5

R-73
1/15



SERENISSIMO ET ILLVSTRIS-
SIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

D. ALBERTO

ARCHIDVCI AVSTRIAE,
DVCI BVRGVNDIAE, STIRIAE,
CARINTHIAE, VVIRTENBER-
GAE, BRABANTIAE, LVTZ-
ENBVRGI, GELDRIÆ, &c.
COMITI HABSBVRGENSI, FLAN-
DRIAE, TYROLIS, ARTESIAE,
HANNONIAE, HOLLANDIAE,
ZELANDIAE, &c.
DOMINO FRISIAE ET
TRANSISVLANIAE, &c.
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

GEORGIVS BRAVNIVS
AGRIPPINAS, DEDICAT
CONSECRATQVE.



IN THEATRVM VRBIVM
GEORGII BRAVNII
AGRIPPINATIS.

PALLAS BRAVNIO.

DOcte vir, Actæis mihi commemorande cothurnis,
Sic Graijs palmam præripis ergo meis?
Germanos Graia perfundis luce, Mineruam
Instituens artis mutua dona dare.
Perge, nec inuideo, post te mihi nemo secundus,
Et maior nemo te nisi Pallas erit.
Hoc studium obsideat mentis penetralia doctæ,
Viuere non fato nobiliore potes.
Concharum mihi nexus erit & vincula tecum,
Si quid & hoc nexu iunctius esse potest.
Ecce domus ego Diua tuæ iunctißima limax;
Nil potius nostris nexibus esse potest.
Quas ego condidero terris & portubus arces,
Strato quas vrbes condideroqúe mari,
Finge, coloratis illas & cude papyris,
Et rebus titulos adde diserte suos.
BRAVNIA sic ego Pallas ero, tu Braunius autem
Palladius: Musis imperó, tuqúe vacas.

Guilhelmus Salsmannus Agrippinas.

GEORGIVS BRAVN COLONIENSIS BENEVOLIS LECTORIBVS S. D.


Xhibemus hic Vrbium præcipuarum Theatrum, Lectores beneuoli, ad cuius editionem, præstantissimi viri ex remotis mundi regionibus, diuersas Vrbium icones, aliaque, ad communem studiorum promotionem, humaniter transmittendo, doctissimis literis multisque rationibus nos propemodum inuitos compulerunt. Quorum auctoritate, cum in hoc publicum Orbis Theatrum inducti & pertracti simus, libet hic quædam de primis vrbium initiis, progressu, & fatali quarundam interitu, pro consuetudine nostra præfari.

Ex naturali ratiocinatione constat, cum frequens hominum multitudo nondum esset collecta, nec agriculturæ, nec pecuariæ, nec archytecturæ, nec opificum artes extarent, in speluncis ac terræ visceribus, quæ nulla adhuc industria vel auaritia, sed casus & natura aperuerant, primùm agrestem, & eam quidem rudem ac simplicem, hoc est, innocentem ac iustam vitam, homines vixisse. Quia sub dio frigidas transigere noctes, natura iudicabat incommodum. In istis verò, ferarum ac pecudum potiùs, quàm hominum latibulis, numero ac familiis aucti, ad loca capaciora progresi, contra intemperiem & iniuriam aeris, naturali ductu, defensionem quærentes, hirundinum & auium solertiam sunt imitati, ex stipula, arundine, ac luto, tuguria quædam, rudi structura, excitantes, ex fronde, cespite, vel arundine contra tempestates, tecto, lutea sua palatia concluserunt. Ob auctiorem deinde sobolem, & continuatam generis propagationem, familiæ se diuidentes, in plures casas tanquam in colonias diuersas prodiderunt, vbi naturæ ductus, plurium ædificiorum rationem suppeditauit, quæ securitatis defensionis gratia, diuersas habitationes, vicinitates, ac vicos excitauit. Vnde Archytectura, Agricultura, Pecuaria limitum distinctiones, villaticæ, & agrestes pastiones sunt natæ. Hinc litis nomen, à dimotis, vel transgresis limitibus, & contentionum seminarium est ortum. Et prima illa aurea ætas, quæ in primis vitæ humanæ rudimentis sponte sua, sola virtute regnante, sine vitiorum lue, sine lege, fidem, rectumque colebat, splendidum conuiuiorum apparatum, & vestimentorum luxum ignorauit, sed quæ alimenta primùm terra spontaneo beneficio suo, postea rudi & incondita agricultura, adiuta, suppeditabat, ad arcendam famem ac sitim parcè, & pro necessitate tantum sumebat. Hæc inquam, aurea ætas, simplicitatis & iustitiæ sole declinante, in deteriorem, argenteam tamen prolem, est immutata. Crescente verò multitudine, cùm contra peioris ætatis, quam ahenam vocant, corruptelas, sui conseruandi & tutandi studio, quod natura omnibus ingenerauit; frequentiores familiæ collectæ, consilio industria, & mutuis præsidiis consociatis animis se munire cœpissent, ciues à coeundo dicti, Opidum, opis gratia, rudi quidem, sed firmiore structura ædificare cœperunt: Quæ post aliquot deinde temporum spacia ex cultiore structura vrbs nuncupata fuit, In qua ciuitas legum & religionis vinculo colligata ab aliorum iniuriis se defenderet. Hinc Plato lib. 3. de legib. omnes disciplinæ & politiæ ordines ex naturæ fontibus manasse, patefecit. Ita ex naturæ ductu, imperandi & parendi ratio, Imperium, dico est natum. Sine quo, vt Cicero tertio de legibus, nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Ipsa quippe natura dictare videtur, vt parentes imperent natis, generosi & nobiles ignobilibus, sapientes imprudentibus & ignaris. Itaque idem Plato eodem de legibus lib. asserit, Cum Deus formaret homines, quicunque ad imperandum idonei sunt, iis aurum in ipsorum generatione admiscuit, propterea honoratissimi sunt. Illis autem, qui ad auxiliandum, argentum indidit. Ferrum denique & æs, agricolis, cæterisque opificibus. Indicans, naturam & eius auctorem Deum, harum varietatum indidisse semine. Summa enim Dei bonitas & infinita sapientia, qua cuncta in gubernatione mundi disponit suauiter, omni sæculo quosdam excitauit præcipuos viros, qui ingenii & prudentiæ acumine, virtutumq; actionibus auctoritatem sibi comparantes, cæteris, ad politicas societates ineundas, & pacificè conseruandas, veluti quędam numina, prælucerent. Talem olim celebrarunt Poetæ Iouis filium Argiuorum Regem APIM, qui rudium Aegyptiorum misertus, relicto proprio regno, eos omnem pietatem, iustitiam prudentiam & agriculturam docuit. Talem Mauritianæ regem ATLANTEM, qui Astronomiam docuit, & proinde cælum humeris sustinuisse fingitur. Talem ORPHEVM, qui bruta animantia, atq; ipsa etiam saxa, citharæ cantu, hoc est, rudes & agrestes populos, eloquenti oratione, ad moderatam vitam, ad vrbes condendas atque colendas pertraxit. Talem etiam HERCVLEM illum Libycum, cuius operam in monstris domandis, hoc est, populum à tyrannorum sæuitia liberando commendarunt. Tales multi successerunt alii, qui virtutis & patriæ amantes, incautum popellum ab externa & domestica vi, & ab influentium hostium petulantia, & prædicationibus defenderent. Ex talium heroum officina, Magistratus, Nobiles, Principes & Reges orti sunt quos virtutis studium, honoris etiam & immortalitatis appetitus generosos, & magis inclytos reddidit, quorum egregia consilia, victorias, bella, & heroica facta ante litterarum & historiarum vsum, seniores iunioribus rythmis, & cantilenis narrare solebant, (quod Tacitus apud priscos Germanos, dum Romanis nondum paterent, vsitatum fuisse perhibet & hoc etiam tempore, apud barbaras gentes, Turcas, Tartaros, & Schytas obseruatur:) Quando deinde humanam industriam, artium vsus magis polire cœpit successerunt carminibus historiæ, historiis imagines, statuæ, monumenta, clypei, saxa, inscriptiones, pyramides numismata, quibus exempla & præmia virtutum & scelerum pœnæ, ciuibus ad honestas actiones colendas, proponebantur.

Sed & præter naturæ & rationis instinctum, vrbanarum & ciuilium societatum inuentrix, ipsa fuit necessitas; Homo enim multis ad benè viuendum indiget, & propterea ad socialem vitam propendet, quia ad

 eam

càm quaſi natus videatnr quod cum Ariſtoteles multis argumentis oſtendat, tum eo maximè, quoniam ſolus is ex omnibus animantibus particeps eſt, composque ſermonis, quo fit, vt ille ad cœtus & congregationes aptus ſit magis, quàm apes, formicæ, aut vllæ beſtiæ congregabiles. Tam arctum enim eſt ſocietatis humanę vinculum, linguæ & ſermonis communio, vt, dicente D. Auguſtino lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 7. libentius ſit homo cum cane ſuo quàm homine alieno. Itaque, cum in ciuili ſocietate mutuis colloquiis, prudentia, conſenſu conſilio, & conſpiratione multorum, homo ſuis, & ſuorum neceſsitatibus ſuccurrere, mala auertere, & ex impotenti ac debili, firmus ac potens, publicisque vſibus ad communem defenſionem idoneus conſtitui poſsit: Hinc ciuiles ſocietates homo vehementer amat, quarum beneficio homines ſinguli, quæ ſeparatim conſilii inopes, impotentes ac debiles certis vrbanorum fœderum vinculis, quæ virtutis & prudentiæ anſis cohærent, vnum quaſi magnum, validum, ac potentem hominem conſtituunt, qui non tantum intra vnius oppidi muros domi, varia à ſe arceat incommoda, ſed procul etiam foris terra, marique dominatur.

Tales autem ſocietates vel ſunt vnius vrbis, vel in alios quoque foris populos excreſcunt, qui certis pactorum legumque fœderibus in vnius quaſi imperii & Reipub. formam coaluerunt: In qua ſunt mutua & confœderata hominum in diuerſis locis exiſtentium auxilia. Quemadmodum enim qualitates diuerſæ bonam corporum conſtitutionem & ſanitatem conſeruant: Ita politica mixtura omnes æque in vna ciuitate, pro ſua conditione in bono & commodo ſtatu defendit. Cuius quidem politiæ harmonia & conſtitutione contingit, vt, cum alii ad alia ſint apti, ex multis cònſociatis ciuibus diuerſorumque conſiliorum communicatione, quaſi vnus vir prudens formetur, & conſtituatur, qui vniuerſam deinde ſocietatem in vnitate & concordia conſeruans, in finem bonum gubernet & dirigat. Hoc Cicero lib. de Repub. commemorat. Sicut in fidibus & tibiis ac cantu ipſo ac vocibus, concentus quidam tenendus eſt ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, isque concentus ex diſsimillimarum vocum moderatione tamen concors efficitur & congruens; ſic ex ſummis ac mediis, & infimis interiectis ordinibus vt ſonis moderata ratione ciuitatem concentu diſsimillimorum concinere; &, quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in ciuitate concordiam, arctiſsimum atque optimum omni in Republica vinculum incolumitatis, eamque pacto nullo ſine iuſtitia eſſe poſſe.

Ex ciuilibus porro ſocietatibus quas partim naturæ, partim neceſſitatis ratio, Deo ita ordinante, collegit, variæ gubernationes, & diſtinctæ politiarum formæ, regna, imperia, nobilium, & primatum dignitates, populi & plebeorum diſtinctiones ſunt ortæ. Quædam enim Reſpub. prudentia & virtute vnius gubernatoris, Monarchæ vel Regis ad communem populi ſalutem reguntur. Quædam primorum & optimorum in communitate virorum ſimili prudentiæ fine gubernantur. Quædam populari imperio, legum & bonarum conſuetudinum obſeruatione moderato ſubſunt. Variæ namque diuerſarum gentium & temporum conditiones, diuerſorum imperiorum rationes admittunt, quæ omnes certis legibus conſeruentur, neceſſe eſt. Illæ enim ſalus & vincula vrbium exiſtunt.

Legitimum vnius imperium, quod monarchæ & regium eſt, optimum communi iudicio iudicatur, quia vnico totius vniuerſi gubernatori correſpondeat: Vnde diuinum cenſetur, quando, potentia cum modeſtia & pietate, hoc eſt, vera prudentia coniuncta, non permittit, vt licentia corrumpat Monarcham, ſed, ad bonum publicum, vt vnus Deus, vnus ſol ciuibus prælucet. Hinc talis Monarcha Platoni, in Politicis, Deus aliquis humanus eſt.

Nec minus optimatum, paucorum nimirum imperium, exiſtimatur illuſtre, cùm plura beneficia ſubditi à multorum, quàm ab vnius prudentia expectare poſſint. (Nec enim temerè vulgò dicitur, plures oculos clarius videre, quàm vnum.) Eſt hoc minus tyrannidi, & mutationi obnoxium; Iuuentutem ad honeſtatis ſtudia ardentiùs inuitat; Cùm videant & intelligant iuuenes, in hoc optimatum imperio, ſolam virtutem, rerum experientiam & prudentiam, aditum ad publicas dignitates parare, emi & comparari poteſtatem virtute. Honorum & gloriæ cupiditas omnibus & maximè iis innata videtur, qui opibus aucti, aliqua experientia ſe ornatos iudicant, quorum in magna Republica multi inueniuntur, eorum autem, ſi plures ſimul ad gubernacula vrbium admittantur, paci, & tranquillitati publicæ benè conſuletur. Ita enim pauciores ab honorum dignitatibus ſe excludi conquerentur.

Hæc autem optimatum Reſpublica quamdiu cupiditatibus ſuis priuatis non inſeruit, optima ad communitatum conſeruationem cenſetur: ne verò, talibus ſubiaceret affectibus, Romani olim diligenter curârunt, qui patritium hominem curiâ iudicabant indignum, ſi ad decem vſque argenti libras diues eſſe voluiſſet, &, dum cordatos & incorruptos tantum ad magiſtratus deligebant, non deſpiciebant pauperes, quos ab aratro pertrahebant ad faſces, & illuſtrandi habitu ſeculari, illis fortaſſe ipſis, quas aſſumpturi erant imperialibus togis madidum ſudore puluerem detergerent. Tunc illi pauperes magiſtratus opulentam Rempublicam habebant, nunc diues poteſtas frequenter pauperem facit eſſe Rempublicam. Carthaginenſes tamen fieri non poſſe crediderunt, vt is benè publica munera tractaret, qui inops eſt, aut egenus. Melius dixiſſent: Fieri nòn poſſe, vt is bene magiſtratum gerat, qui auaritia laborat: egenus enim expleri poteſt, auarus nunquam.

Nec populare etiam imperium ſua laude & elogio caret: Cùm ènim in eo, qui cæteris pares, ex populi præſcripto, & lege omnibus probata, cuncta gubernent, & per eam ipſam gubernationem libertati ac commodo publico ſtudendo, ſibi ipſis, ſuisque & paribus vtiles exiſtant; Tum, ex populi imperio, in quod ius ſuum, omnium conſenſione, tribus, ſocietates, & confraternitates plebis tranſtulerunt, incolumitas communitatis dependet. In qua quidem gubernatione, ſi magiſtratus vitio aliquo corruptus aberret, certè corruptelæ, & imprudentiæ ſuæ pœnas, in popularibus ſuis & ipſe luit. Ita partim virtutis, partim popularis & in agnatos affectio, partim populi metus, tale imperium in officio conſeruat.

Iam autem commemoratæ ciuilium imperiorum formæ, commoda interdum commixtione iunguntur

guntur, vt ex duabus vel omnibus vna fiat: Vnde non minus solidum imperii genus, quàm ex prioribus separatim emergit. Dum enim optimatum potestas ad vnius Regis, vel Monarchæ gubernationem accedit, & venerabilis patritiorum senatorum cœtus, prudentia, & consilio suo, ducem vel principem suum tuetur; & cum eo simul de communi ciuium salute consultat, Certè vsu & experientia edocti sumus, ciues libentiùs acceptare leges, & statuta ex multorum prudentia, quàm ex vnius voluntate prolata. Quin & tutiùs sibi iudicant, patres, & patritios suos cum principe pro Reipublicæ salute conspirare, quia hac ratione omni periculo & metu liberantur, ne summa potestas, vel in imprudentiam vel in tyrannidem degeneret. Nam absoluta vnius voluntas, quæ aliorum prudentia non fulcitur, & regitur, in tyrannidem faciliùs dilabitur. Quod D. Hieronymus consideraſſe videtur, quando Britanniam fertilem tyrannorum scribit, quia quot in ea insula ciuitates, tot etiam reges erant. Vt Iohannes Troinus, Lib. 1. de Britanniæ origine & antiquitatibus refert. Quin & Reges Monarchæ & Principes ipsi subditorum animos certiore amoris & obseruantiæ vinculo, hoc gubernandi modo, quod consilio adhibito, instituit, sibi obstringunt; quando intelligunt, principem, Patritiorum & Senatorum adhibito consilio, imperium suum cum Reipub. salubri temperamẽto miscere. Hac ratione, Titius, Vespasianus, Traianus, Adrianus, bonorum principum titulos, & elogia sunt consequuti, quia Senatus maiestatem conseruantes, de publicis rebus ad patres conscriptos retulerunt. Hinc eleganter Plutarchus, Senatum, in vrbibus cordis locum obtinere scribit, Qui à senectute deducitur. Vtilis enim & nobilis est cœtus Senum, qui emeritia vulgaribus officiis, ad consilii & regiminis officium transeunt, & in marcido corpore exerunt mentis vires, eò magis sapientiæ apti negotiis, quo ab appetitu sensuum minus grauantur, & in exercitiis corporis minus possunt. Quorum consilia, arma sunt, & hastæ iuuenum. Tyranni verò, Caligula, Nero, Maximus, qui bonos semper metuunt, Senatus auctoritate contempta, eruditione, & prudentia excellentes viros, Patritios, & Senatores occiderunt, vt turpitudinem suarum censoribus sublatis, Rempub. licentiùs supprimerent.

Sed & alia mixtura, aliam Reipub. formam parit, dum nobiles & optimates cum populo coniuncti, vrbes & ciuitates gubernant. Et sic Senatus populique potestas æqualis existit & tam senatus consulta quàm plebiscita ad publicam tranquillitatem lata, seruantur.

Atque istæ quidem diuersæ imperiorum formæ, ex vrbium & ciuilium societatum cœtu, inspirante Deo, prodierunt. Cùm enim homo ad societatem & communem vitam, ob varias necessitates suas, quasi impellatur, Deus congregationum, in quibus verum colitur numen, amans, omnibus sæculis prudentia & virtute illustres excitauit, qui humanos cœtus legum & religionis officio, in cõcordia retinendo, verum bonum in congregationes & familias infunderent. Imò, has diuersorum imperiorum formas, ipsi naturæ & dispositioni humanæ ab origine impressit: quod manifestum erit, si membra omnia exploremus, ex quibus perfectum Reipub. corpus consistit.

Plato, sex hominum genera, ad vrbis perfectionem necessaria commemorat, Agricolas, Opifices, Milites, Mercatores, Iudices, & rerum sacrarum ministros. Hæc autem Reipub. membra interioribus animi facultatibus accuratâ harmoniâ, correspondent. Ratio, sincerè iudicando, cuncta dirigit; & iudicis munere, in domestica hominis repub. fungitur. Voluntas homini benè cupit, & quasi militari præsidio eam communit, omnesque ab ea iniurias propulsat. Mercatores, hominum genus auarum, quæstui operam nauans, necessaria communitati procurat, quibus proinde agricolas atque opifices coniungimus, hi cupiditatibus & appetitionibus sensuum correspondent. Mens denique cunctis animi facultatibus, velut regina & domina præest, quam Religioni tribuimus. Quæ meritò sal & anima vrbium, & ciuilium societatum dicitur, quia in omni Repub. primum est, rerum diuinarum curatio: Quarum obseruantia naturæ instinctu, humanos animos occupauit. Nulla enim natio, siue Græca, siue Latina, siue culta, siue barbara, vnquam inuenta est, quæ vllam Reipub. formam, sine alicuius numinis & Religionis cultu instituit, &, quæ non firmiter sibi persuasit, Religionis suæ cultum à Deo aliquo proficisci. Nulla, inquit Cicero, gens est tam fera, nulla tam immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum colendorum opinio. Omnes enim, vt idem actione v. in Verrem inquit, religione mouentur, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt colendos diligenter, & retinendos arbitrantur. Numa Pompilius, per Religionem, ferocem populum Romanum compescuit. Apud Lacedæmonios Licurgus, leges auctoritate muniuit, cum, ab Apolline Delphico eas profectas diuulgaret. Minos, Cretensibus suas à Ioue, Zeleucus, Locrensibus suas à Minerua traditas. Mahometes Alcorani præcepta per Gabrielem Archangelum cœlitus delata, Turcis persuasit. Aristoteles Lib. Politicorum 7. cap. 8. hæc vrbis necessaria recenset, Alimenta, artes, arma, ad publicos & priuatos vsus pecuniam, &, quod ad Deorum cultum pertinet, quod sacerdotium, sacrificiumq; vocatur. Plutarchus aduersus Colotem scribit: Si terras omnes peragres, inuenire poteris vrbem, muris, literis, regibus, domibus, opibus, numismate carentem, sed, quæ precibus, quæ iureiurando non vtatur, quæ non bonorum causa sacrificet, quæ non sacris mala auertere nitatur, nemo vidit. Apud Aegyptios Regis Magni, Magni sapientis, magnique sacerdotis personam vnus sustinebat, nec licebat cuipiam sine sacerdotio & religione imperare. Noë cum domesticis suis ex mandato Domini, ad propagationem generis humani, & ad omnem plantandam instituendamque Remp. progrediens, à Religione, & cultu diuino, tanti operis sumpsit initium, statim enim ædificato altari, holocausta Deo offert. Ita & ad primas Christianorum ciuiles congregationes stabiliendas, Altaria eriguntur, & vel Metropolitanæ, vel Cathedrales constituuntur Ecclesiasticæ Cathedræ, ex quibus per Religionem, Politiæ stabilimentum, hoc est, veram iustitiam, primariæ vrbes percipiunt. Per quasdeinde vicinæ prouinciæ perpetuo vnionis & successionis nexu; per Religionis cultum, in veneratione vnius numinis confirmatæ, quasi in Dei ciuitatem eleuantur, dum formam, spiritum, verum bonum, & vnitatis doctrinam ab vno fonte, per pacis & vnitatis alueum hauriunt.

Atque hæc quidem de tribus Reipub. bonis, & ritè institutis gubernandi formis, pro istius præfationis ratione dicta sufficiant. Sequitur, vt etiam trium vitiosarum conditiones, simili breuitate explicemus.

Monar-

Monarchæ, Regis, & vnius imperium, dum libertati, & publico subditornm bono studet, cum diuina totius vniuersi gubernatione, magnam similitudinem habet. Ac verum consequitur finem, in quem à Deo Regum potestas est instituta, nimirum, vt iudicet populum, & pauperes populi in æquitate. saluos faciat filios pauperum, & seruet eos innocuos, à temeritate, calumnia, & suppresione potentum. Psal. 71. Verùm vbi gubernator hic vnicus, violenter subditis imperans, boni priuati, & cupiditatum suarum studio implicatur, & aliis vitiosarum affectionum harpiis ac beluis stipatus, in vrbium & politiarum theatrum procedens, cuncta libidine priuata, non æquitate & ratione definit; Dum populum tyrannorum suorum potentiæ & voluntati permittit, quorum deindè pascua fiunt pauperes veluti venatio leonum onagri in solitudine Eccl. 13. O infœlicem, tali duce & tyranno, Rempub.

Similis gubernationis facies, & ciuium pressura existit, quando paucorum potestas, sine lege, sine virtute ac discretione, ambitiosè imperans, cuncta ad priuata studia dirigit. Tunc simul multi tyranni, vnam rempub. grauant. omniumque fortunis, velut hydra; variis instructa faucibus, inhiant.

Popularis verò status, quando & is à vero bonæ gubernationis fine, qui libertas est, & bonum commune, in vitium declinat, tum & is valde noxius & periculosus, nō Respub. sed perturbata confusio dici meretur. Quia effrenis, sine legibus, insolens, in licentiam labitur, omnem honestatem priuatus bonis, & cupiditatibus postponit, mobilis, inconstans, & quasi indomita procella seditionis turbine vrbes perturbat, conuellit & concutit. Non est iudicium, inquit Cicero, consilium, ratio, discretio in vulgo.

Porrò, vt internas animi facultates, diuersis politiarum formis, apta harmonia conuenire deduximus, ita vitiosos hominis affectus, vrbem malè constitutam, non dissimili ratione repræsentare inueniemus. Vbi enim rei tantum priuatæ studium, auaritiæ, vel munerum sitis, Regem vel magistratum inuadit, ibi statim his effectibus digni satellites admittuntur. Ministerium præbent oculi & manus ad munera, & oculi geruntur in manibus ad artificiosam rapinam, ad enormes & illicitas exactiones, quæ ad inopiam adigunt plebem. Aures faciles, quia lucrosum præbent auditum, diuersarum gentium populis, vt in ciuilem societatem admissæ, inquilinorum integritatem, ritibus, & opinionibus, peregrinis inficiant. Ex quibus quidem principiis, animi regina, mens, in gubernatore, ita sensim intoxicatur, vt parum admodum de primario vrbis vinculo, quod est religio, & pietas, sollicita; licet vnam, pro consuetudine colat, qualescunque tamen alias irripere, sine cura permittat. Quarum professores, domestica consuetudine & serpentina calliditate, vt cancer, per multa communitatis membra longius proserpentes, turbulenta negocia ipsi deinde magistratui mouent. Adeo, vt tandem vnà cum ciuibus communi interitu, temeritatis, & imprudentiæ suæ pœnas luat, & male mulctetur. Nam vt eleganter apud Dionem Cassium. extat. In vrbes noua numina introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde commutationes, seditiones, conciliabula existunt, res profectò minimè conducibilis Principatui.

Has autem Reipub. non benè constitutæ rationes, paulo explicatius, sed tamen breuiter deducemus. Statim post Noë tempora, primo humanæ propagationis initio, vitiata Chami prosapia in malæ Reipub. & tyrannidis ortu, vim & operationem suam exercere & ostendere cœpit, quando Nembrodum, robustum ante faciem Dei sui venatorem & gigantem, in perniciem subditorum edidit, quos linguarum confusione dissipatos vidit. qui ex pietatis & iustitiæ tramite, in tyrannidem & impietatem prolapsus, violentarum manuum potentiæ tantum confidit, vt iustos & vindices diuinæ maiestatis oculos non timens, homines tanquam feras, venator tractaret, cum venatorum genio, luctum & voluptatē ex gubernationis & magistratus sui venatione captans. Imò ad tantam etiam impietatem deueniens vt ipsum Deum ex altis cœlorum sedibus, Babylonicæ turris ædificatione deturbare, & diluuii, vel similem diuini numinis vindictam, superare, conaretur. Quod turbulenta oratione declarauit, quæ apud Iosephum, extat, primo Iudaicarum Antiquitatum lib. cap. 4. Hic gigas est dictus, quia crudelis & ferox, ius omne in manibus, non in vera ratione constituens, vt venator prædæ & voluptatis expectatione, magistratum adiit. Fit hoc nonnunquam ex iusta permissione diuina, vt ex cap. 14. Esaiæ constat, infernus, inquit, subter te conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes omnes principes terræ.

Tales scribit in Gigantomachia Becanus, sunt omnes principes, magistratus & Reges qui in gubernatione sua ostendunt, non rationem se, & æquitatem sequi, sed libidinem suam, & animi perturbationes, ira, auaritia, dolore, vindicta, & aliis morbis à recto se abripi sinentes qui non amplius reges, sed gigantes appellari merentur, eò, quòd potentiam suam non ratione, sed manibus suis dimetiantur. Sunt verò & sub ipsis regibus consiliarii non rarò, qui prætextu iustitiæ, regum manibus abutuntur, atque eas longè lateque, tanquam harpagonas extendunt, ad ea, volunt, domum suam conuerrenda, atq; rapienda, eaque de causa meritò gigantes nuncupandi, atque regibus, ac populo pestilentes, eò, quod horum culpa maxima frequenter imperia, summmas perpetiantur calamitates, & nonnunquam etiam supremam euersionem.

De tali Vrbium & rerum public. statu Saluianus Massiliensis, vir sanctus, inter multa alia sic scribit. Tūc, quid aliud est dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum; Aut quid aliud superiorum præfectura, quàm præda. Nulla siquidem maior pauperculorum est depopulatio, quàm talis potestas. Tunc honor à paucis emitur, & subditorum vastatione soluatur, Reddunt miseri dignitatum precia, quas non emunt, commercia nesciunt, & sciunt: Vt pauci illustrentur, subditi depauperantur, vnius honor multorum excidium est. Nam illud latroniū an scelus, quia dignè eloqui possit, quod, cùm Romana Respub. vel iam mortua, vel certè extremum spiritum agens, in ea parte, qua adhuc viuere videbatur, tributorum vinculis, quasi prædonum manibus strangulata moriatur. Tunc plurimi proscribuntur à paucis, quibus exactio publica, peculiaris est præda, qui fiscalis debitos titulos faciunt quæstus esse priuatos. Tunc in municipiis, vicis, ac vrbibus quot sunt Curiales, tot sunt tyranni qui exactionis publicæ nomen, in quæstus proprii emolumenta vertunt, & indictiones tributarias, prædas suas faciunt. Tunc decernunt potentes, quod soluant pauperes, decernit gratia diuitum, quod pendat turba miserorum. Atque hæc quidem Saluianus, hactenus, qui etiam in tantam sæuitiam Romanorum exactiones procedere asserit, vt multi subditorum, & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes confugiant, ne persequutionis publicæ afflictione moriantur; quærentes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem

tem ferre non possunt. Et quamuis ab iis ad quos confugiunt, discrepent ritu, discrepent lingua, malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem, quam in Romanis iustitiam sæuientem. Subditis sanè grauissimum est, auctore Platone, huiusmodi canes à pastoribus nutriri, auxilio futuros ad gregis custodiam, & eius saluti inuigilaturos, qui aut famis, aut prauæ cuiuspiam consuetudinis intemperantia, immaniter in gregem sæuiant, vt lupi. Quemadmodum Tiberio, Dalamtarum dux Bato, defectionis causam suscitanti, respondit, culpam in ipsos Romanos deriuans, quod ad gregis custodiam, non canes, pastoresue, sed lupos mitterent.

Alteram diximus inclinantis Reipub. causam, quando Princeps, ob considerationes & causas priuatas, in exteris & peregrinis gentibus, in cœtum suorum ciuium recipiendis, nimis est facilis, quorum mores, & religio non conueniunt, vnde mentium & animorum auersio nascitur, ex qua deinde turbæ & factiones emergunt; quæ nunc maximè augentur, quando exteri in communionē & societates ciuium admissi, indigenarum multos ad se pertrahunt, ad officia & dignitates aspirant, cœtus & congregationes separatas, contra iuris dispositionem instituunt, & legitimo Magistratui negotia mouent, vt difficilius deinde ab instituto, vel loco pellantur, quàm ante non admissi fuissent. Certè, constantes, & cordati in Reipubli. ciues, magnas ob causas talium cohabitationem improbant, vt, qui non ignorent noxias in Rempubl. mutationes, morū & vitæ corruptelas, per exterarū gentium cohabitationem, in vulgus, ad nouitates propensum, introduci. Hinc, non sine causa Romani florente Repub. curarunt, vt, quas imperio, suæque potestati rationes subiecissent, illæ sermonem latinum in primis addiscerent, quo non tam ad propagationem nominis Romani spectarunt, quam, vt hoc sermonis vinculo: in quo, ad societatem ineundam, non minima vis est, ad vnionem astringeretur. Lacedæmonii & Thebani, legibus Licurgi addicti, ciuitatis ius vrbisque vsum peregrinis interdixerunt: eosq; armis victos, ab omni sua Rep. tanquam alienos, arcebant. Habebantur enim illa ætate peregrini, versuti, rerum exploratores, infideles, & optimorum morum corruptores, eoque eos, sicut & aduenas Spartæ, in suam vel ciuitatem, vel commercium non admittebant. Nec ferebant discedentes suos ciues apud exteros, vel peregrinos vitam agere, idque proposito capitis supplicio, ne conceptas & imbutas à peregrino versutias, & dolos malos, ac reliqua vicia, reuersi, in suas infunderent ciuitates, & rectam disciplinæ veteris legem turpissimis moribus conspurcarent.

Neq; vero Hospitalitatis decus & meritum in Rep. perit, quæ quosdam à se exteros, vel inquietos etiam ciues, iusto delectu repellit. Ad honestatem quippe, & vtilitatem Reip. ad Christianam etiam disciplinam pertinet, peregrinos, humana ope destitutos, christiana pietate iuuare: sed eorum maxima habenda est ratio, quos in domum & ciuium tuorum societatem recipias, ne anguem, ne leonem ad tuam, & tuorum perniciem in sinu fouendo, hospitalitatem in te, & in tuos crudelem & impiam exerceas. Cicero, libro 1. & 2. Officiorum hospitalitatem commendans, Valde inquit decorum, patere domus illustrium hominū, sed illustribus & bonis hospitibus, & illis, qui nihil de alieno inquirunt, & minimè in aliena Rep. solliciti sunt, & curiosi.

Tertia verò, & ea quidem præsentissima ac valde contagiosa Rerump. ac vrbium pestis est, non vna numinis, pietatis ratio; Religionis in vno Regno, intra vnius vrbis mœnia diuersitas, quæ, cùm voluntatis, mentium, & animorum affectum in ciuium societate rumpat, hinc concordiam ciuilem turbat, dissociat, & dismembrat, vnde factiones, contraria plebis in vna vrbe studia, legitimi magistratus contemptus, odiū, partesque diuersæ emergunt, quæ non tantum cum magistratus sui Religione, sed cum aliis quoq; in eadem ciuitate factionibus, sibi, & magistratui contrariis, & æquè nouis, nihil cupiunt capere commune. Quarum sermonibus, vsu, consuetudine, & contagio, incauta plebs decepta, ac in varias opiniones imprudenti zelo pertracta, non tantum Principis ac Magistratus sui, & conciuium Religionem, vt impiam & abominandā despicit, sed nouas, nouorum & diuersorum à se cœtum ac Religiones, vt falsas contemnit, Et ita, dum singuli, suam, vt iustam ac veram defendunt, tam infensis suarum partium studiis digladiantur, quod vnitatis & veræ pietatis spiritu se destitutos, eo ipso, demonstrent. Turca in eo nobis Christianis prudentior, qui nullam de sua Religione disputationem publicè, vel priuatim admittit, Græcorum & Vngarum iu Religione dissidiis edoctus, quantam calamitatem eius diuersitas Regnis & ciuitatibus adferat. Quod nostra etiam Germania infelix deplorat, & sentiet suo tempore, eodem contagio infecta Gallia. Peruitiosissimi certè Reip. nostræ Christianæ Gigantes, qui mendacibus & falsis opinionibus vrbium animam, mentes videlicet ciuium oppugnando, inficiunt, à Magistratu separant, ac tandem eò impellunt, vt imperitum ac miserum vulgus, velut Cyclopes, mentis ac rationis destitutus, arreptis armis, Potestatem, hoc est, Dei ordinationem, atque ita, Deum ipsum, quemadmodum Nembrodi Gigantes, oppugnet. Hinc seditionum formidabilis oritur belua, cuius pars vna deuōrat alteram, donec florentes vrbes, Regna, & Imperia tandem corruant, ac funditus pereant. Quod multis Asiæ, Africæ, & Europæ ciuitatibus euenisse, ex historiarum monumentis eruere placet: Vt discant vrbes, quæ nunc sunt potentes & amplæ, non in fortitudine sua, sed in Domino confidere, qui nisi eas custodierit, frustra omnes illorum conatus laborant, & frustra vigilant, qui eas custodiunt.

Vbi nunc EPHESVS, Asiæ totius Metropolis tam multis prophanarum & Ecclesiasticarum celebrata historiis? Vbi ANTIOCHIA nobilissima Syriæ vrbs, quæ Patriarcham, & sub illo decem & quatuor Metropolitanos habuit, D. Petrum Apostolum, Ignatium, Ioannem Chrysostomum, multosque alios, celeberrimi nominis Episcopos. Et in qua prima Christiani nominis appellatio est orta? HIEROSOLYMAE, Palestinæ Metropolis, quam exiguæ nunc supersunt reliquiæ, quam Deus politiâ legis veteris, & IESVS, saluator noster doctrina sua, & Apostolorum præsentia beauit: quam Plinius nobilissimam totius Orientis vrbem nuncupat. CARTHAGINIS ruinæ, stupenda est memoria, quæ vniuersam penè Africam, suo continebat imperio. Nunc tantæ vrbis solum camposque tantum conspicimus, vbi illa fuit. Hæ autem vrbes hāc potissimum ob causam perierunt, quia ciues nouæ doctrinæ Pauli Samosateni, Nestorij, Arrij aurem præbentes, mutuis & domesticis dissidiis diuisi, in barbarorum potestatem peruenerunt, quorum nunc seruitute premuntur.

Quin etiam complures aliæ, non minus opulentæ, aliis ex causis, permittente Deo, funditus deletæ sunt

 & euer-

& euersæ. Hippacis Massiliorum Regiæ vrbes SIGA & TAMAE, à Romanis dirutæ, vbi olim sitæ fuerint nunc quasi ignoratur. Historiarum monimenta produnt trecentas ciuitates à Tyriis ædificatas quas Oceanus Atlanticus alluebat quarum nunc paucæ in iis oris supersunt. Prouincia, Thesmena enumerabat quadraginta duas vrbes, quas omnes Iosephus Marochi Rex, solo æquauit. Cyrenensium Libiæ regio ad solitudinem prope est redacta, & CYRENE ipsa, in gentium Regum sedes nullibi apparet. In Aegypto desertæ sunt illæ Thebæ, quibus centum portę erant, ac singulis portis ducenti equites ad custodiam. Ita, vt illam tuerentur equitum viginti millia ad ipsas portas oberrantium. Iacent TANAIS, HELIOPOLIS; BVBASTVS, celeberrimæ Regum ciuitates. Ipsa denique ALEXANDRIA nihil nunc habet, nisi ruinas, MEROE Aethiopum Regia nullibi apparet, quæ, vt Plinius scribit, dabat armatorum ducenta quinquaginta millia, artificum quadraginta millia alebat. BABILONIS, SELEVCIAE & NINI, quarum incredibilem magnitudinem omnes prædicant, leuia tantum supersunt vestigia. TIRI, SIDONISQVE olim Respub. florentissimæ & potentissimæ, quæ Europam atque Africam Coloniis repleuerunt: modo vix solum manet. Dirutum est SVSAN, cuius Regi Assuero, centum viginti septem Prouinciæ obediebant. Incensa est ab Alexandro PERSEPOLIS imperii Persici caput. Euersæ sunt etiam NICOMEDIA, Bithimorum, MAZARA Cappadocum. SARDIS Lidorum. SINOPE Ponticorum Regum magnificentissimæ sedes PERGAMVM Regia Attalicorum, quorum opes loco prouerbii fuerunt, nullo est loco. CYCICVS quæ nauibus quadringentis aduersus Mitridatem pugnauit, tribusque armentariis erat instructa, nullo nunc est gradu. Quid hic TROIAM commemorem, quæ vel excidio duntaxat suo nobilitata est? Quid CVMAS? Aeolum, Metropolim MILETVM? Quid COLOPHONA, quæ maritimis atque equestribus quondam copiis ita valebat, & à quibus illa stetisset, ab iisdem indubitata staret victoria: Quid SMIRNA, quam vocat Asiæ pulcherrimam Strabo? vbi nunc illa PHOCAEA Ionum ciuitas primaria, quæ adeò floruit, vt Adriæ Tyrheniæ Iberiæque multas terras, Tartessum cœperit, Massiliam condiderit, & alias alibi ciuitates, quod Herodotus & Strabo narrant.

Hem, quot & quantæ calamitates oppresserunt Prouinciarum Reginam Græciam, quantis illa ruinis obruta miserrime iacet, vbi nunc ORGHOMENOS, cuius opulentia locum fecit apud Homerum. MEGALOPOLIS, MEGARA ATHENAE, SPARTA, CORINTHVS, ARGI, MICENIAE, THEBAE, quæ propè toti quondam Græciæ imperitabant? ATGNOSSVS Regia Menois, Cretæque Metropolis, ingens, vt ait Homerus, vnde illa Cycladas insulas, cunctas Græciæ maritimas oras, Italiæque, & Asiæ multas imperio continebat: quod Thucydides lib. 1. historiarum. Strabo & Herodotus narrant, modo est deleta.

Post vrbem conditam dirutæ sunt in sola Italia supra vrbes trecentas, quarum aliquæ habitantium frequentia, ædificiorum magnificentia, & statuarum multitudine Romanæ non cesserunt, vt ARGYRIPA SIBARIS, CANVSIVM, CROTO, VEII, SPINA, AGYLLA, ALBA Romæ parens, & quædam vicinæ aliæ, Ex quarum ruinis, vnica Roma cresceret. VVLSINVM, potentissima Etruriæ vrbs, cuius tanta erat olim magnificentia, vt duo millia statuarum inde sint Romam asportata. Vnde Plinius lib. 3. 4. cap. 7. Zonaras, & Oros. lib. 4. c. 5. referunt, Romanis obiectum, non aliam fuisse causam, vt tantam exscinderent vrbem, quàm vt statuis huiusmodi Romam exornarent.

IN HISPANIA, de Bœtica, siue Andalusia tantum illud cõmemorabimus, quod cùm eius Prouinciæ caput Hispalis, expulsis Barbaris, à Ferdinando Rege, in fidem reciperetur, vrbib. & vicis à Plinio enumeratis centum pagorum millia in Hispalensi agro accersita fuerint, qui nunc pro maiore parte desolati sunt Sed & periit ITALICENSIS, ab Italica nobilissima Romanorum non tàm ciuium, quàm Imperatorum Colonia, quæ ad sextum lapidem ab Hispali trans Betim sita, Antistite Gerontio Martyre Diuo tutelari venerabilis olim fuit. Dedit hæc Traianum, Hadrianum, & Theodosium, optimos, maximos, & Augustos rerum dominos. Vulgò HISPALIS VETVS appellata, vastissimis etiam ruinis vix dum superstitibus, miserabili humanarum vicissitudinum exemplo, eò magis dolendo, quod pulcherrimi & amplissimi amphitheatri moles, quæ disiecta superest, veteris magnitudinis & nobilitatis memoriam funestiorem facit. Scribitur Tiberium Gracchum, subuertisse in Hispania trecentas vrbes. Quod ex Polybio narrat Strabo, & id, quamuis ipse derideat, libro Geographiæ 3. Florus tamen in Epitome ait, in Celtiberia sola dirutas vrbes à Tiberio centum quinquaginta: Illudque certum Troiano imperante à Romanis euersam nobilissimam Lemacenorum vrbem Emporiumque, vt aliqui volunt. Norbæam præterea in Pompeianis, Illiturgium, Castulonem, Carthaginem veterem à Scipione Africano: Numantiam, Iberiam, Bilbilimque ab iisdem Romanis & Saguntum à Carthaginensibus, præclarissimas ciuitates solo adæquatas, aquæ refert post alios Ioannes Gerundensis, Paralipomenon lib. 1. cap. vlt.

Sed nunc in Germaniam descendamus & Galliam; TREVIRORVM AVGVSTA, omnium vrbium antiquissima est, & SOLITVRRA, quæ sorores & vicinę à Glareano & Osvvaldo Molitore, illis Scholiastę, & aliis Panegiricis nuncupantur. Quia eodem tempore fundatæ, & quia inter illas nullæ erant aliæ vrbes interpositæ. Sed, Deus bone, quo nunc Treuirorum magnificentia concidit, rudera conspiciuntur maiora, quàm ciuium habitationes existant. Simili fato diminuta est TVNGRIS, BONNA, VETERA nunc Santen. Quorum tanta amplitudo fuit, vt attestante Tacito, duæ legiones in his commodè residere potuerint. Non hic commemorabo, quàm multæ Hunnicis, Francicis, Normannicis depopulationibus euersæ sint, & deletæ. Periit GELDVBA, post Nouesium quatuor à Rheno miliaribus, insigni Romanorum clade famosa, Villæ saltem aliquæ Gelb nuncupatæ supersunt, quæ antiquum vrbis nomen retinent. Periit ASCIBVRGVM vrbs magna, quam Tacitus à Germanis constructam asserit, Et itineraria inter Nouesium & vetera castra constituunt. COLONIA TRAIANA, præclari nominis vrbs vsque adeo deleta est, vt ne vestigium quidem supersit. Cuius situm inter Vetera & Vlpia inuenta ibi inscriptio prodit, M. P M id est, Miliare plus minus apud V. L. XXX. Vlpiam legionem trigesimam, quam, perhibente Dione. libro historiarum LV. Traianus hic collocauit. BATAVODVRVM ad Mosæ & Vahalis confluentiam excisum est, sicut & ARMAMENTARIVM ROMANVM non procul inde in litore oceani: Batauis, Zelandis & Frisiis ingentes sæpè clades Oceanus infert, cuius immanitate, magnæ partes, diuulsis ac

sis ac dissipatis aggeribus salo oppressæ latent. In Frisia cis Fleuum fluuium STADA cum insigni templo asyli priuilegio donato à primo gentis satore, Frisone constructa, nunc maris eluuione absorpta. Quin & hoc tempore, Staueria, & pleræque Frisiæ vrbes, contra indomitum hoc elementum ægrè se tuentur. BARDOVICVM, vna ex primis Saxoniæ vrbibus, in vicum redacta, ex cuius ruinis Luneburgum & pleræque aliæ vicinæ creuerunt VVAGRIA, olim VVandalorum, qui VVagri dicebantur, vrbs primaria & populosa, nunc raris habitatoribus vicus est. IVLINVM Pomerinæ quondam & totius Europæ post Constantinopolim Emporium longè celeberrimum, nunc ita deletum est, vt campus sit, vbi Iulinum fuit VINETA eiusdem Pomeraniæ vrbs quondam amplissima, marinis oppressa fluctibus iacet. Periit ARCONA, Rugiæ quondam Metropolis. VISBVII Gothorum, NIDROSIAE. Noruegiæ fracta est, & suppressa fortuna. In illa, legibus olim regebatur totius Oceani nauigatio. In hac Ecclesia erat marmorea S. Olao sacra stupendæ magnitudinis, peregrinationibus exterornm valdè famosa. Scribit Tacitus lib. de Germanorum moribus, suo tempore ad Rhenum & Danubium nullam fuisse alicuius nominis vrbem. Vitruuius de Hispania tradit, vrbium structuras ex arundine, virgultis, & frondibus constitisse. Refert Iornandus lib. de rebus Geticis, Angliæ Reges & incolas humiles inhabitasse casas ex virgultis & luto contextas. Quod si nunc Tacito, Rheni & Danubii tractus describendus, Si Vitruuio, Hispania, Iornando Anglia perlustranda foret, & eidem nunc Asiam, Græciam, & Aegyptum desolatas ac præclaris destitutas vrbibus videretur, Anne in admirationem maximam, imò ad stuporem adigerentur? Nobis religione Christiana imbutis papina sacra, tantarum mutationum causam suggerit: Plena est ciuitas iniquitate, itaque adducam pessimos de gentibus, qui possidebunt domus eorum. In omnibus habitationibus vestris, domus vestræ desertæ erunt, Ciuitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta, & scietis, quia ego Dominus. Et Esaiæ cap. 17. Onus Damasci: Ecce Damascus desinet esse ciuitas, & erit sicut aceruus lapidum in ruina.

Hæc quidem à nobis longius repetita, vt ex tanta; tantarum vrbium euersione & interitu intelligeremus, omnia, quæ in mundo videantur admiranda, fluctuanti, ac instabili mutationi esse obnoxia. Nec quidquam sub sole perpetuum ac diuturnum inueniri. Atque tam admirandæ vicissitudines, non vrbes tantum & præclaras Respub. quarum iam complures recensuimus, sed & integras prouincias, atq; adeò latè patentia imperia, regna, & familias, multa temporis diuturnitate attriuerunt, & extinxerunt. Quin etiam notabiles mundi partes, miras alterationes frequenter patiuntur. Scribit Aristoteles lib. 1. Meteoreologicorum, Interiores telluris partes, perinde, vt animantium plantarumque corpora, iuuentutem & senectutem suam habere. Possum, inquit, Lactantius enumerare, quoties repentinis quassatæ motibus vel hiauerint terræ vel descenderint in abruptum, quoties dimersę fluctibus & vrbes, & insulæ abierint in profundum, frugiferos campos, paludes inundauerint, flumina & stagna siccauerint: montes etiam, vel deciderint abrupti vel planis fuerint adæquati: plurimas etiam regiones, & multorum fundamenta montium, latens & internus intus ignis consumit. Hanc in mundo mutationem & vicissitudinem Aristoteles, Lactantius, Seneca, Ouidius, ante multa sæcula accuratè obseruarunt. Omnia, inquit Seneca, tempus edax depascitur, omnia carpit, omnia sede mouet, nil sinit esse diu. Flumina deficiunt profugum mare littora siccat. Subsidunt montes & iuga celsa ruunt. Ouidius, vidi, ego, inquit, quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum, vidi factas ex æquore terras, Et procul à pelago conchæ iacuêre marinæ: Et vetus inuenta est in montibus anchora summis: Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit, & illuuiæ, mons est deductus in æquor, Aeque paludosa siccis humus aret arenis, Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument. Anglia Galliæ quondam adhęsit. Sicilia Italiæ, Gades Hispaniæ, Nostrandia Borealis insula, quam Crantzius Frisiam Aquilonarem vocat, cum Thietmarsia olim pars continens fuit, nunc insulæ sunt, à continenti auulsæ. Flumina alueum & solitum cursum immutarunt. Florentia quondam imperia interierunt. Aegyptij & Persæ, orbis quondā gubernacula tenuerunt. Babylonicum & Assyriorum Imperium celebre fuit, Macedemonicum & Carthaginense similiter: quæ & Romanis terrori quondam fuerunt. Sed corruerunt hæc omnia & in nihilum redacta iacent: Atque tales quidem, & tam horribiles conuersiones, vt infinitam Dei potentiam, ita, humanæ sortis incertitudinem patefaciunt, & mortales huius mundi incolas monent, vt, cum nihil perpetuum ac stabile, sed omnia caduca, variis fortunæ casibus, & interitui obnoxia cognoscant, cogitationes suas, studia, animum & mentem, quæ re nulla creata satiari potest, ad sublimia & sempiterna bona eleuent, ad solum Deum anhelent. In cuius manu sunt omnia iura regnornm, & omnes fines consistunt.

Et hac quidem ratione, Regna, Vrbes, & Respublica manes & labores suos perferunt, fatumque suum, hoc est, ruinam & interitum consequuntur. L. Florus populi Romani & Vrbis Romæ quatuor ponit ætates, infantiam tribuit gubernationi Regum; crescentem verò & adultam, consulibus. Vt enim hominum ætates annorum accessione mutantur: Ita ciuilibus societatibus, florentem, maturam, & senescentem ætatem, scriptores alii cum L. Floro attribuunt, senilem, & decrepitam, fatalem vrbium euersionem nuncupantes. Ego iustitiam & vindictam diuinam dixero, quam non fatali, & alieno aliquo casu, sed propria culpa vrbes sentiunt. Fatetur id Cicero, qui Romanam ruinam Africanum ita & lamentantem introducit. Nostra, inquit, ætas cum Rempub. sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, vt formam tantum eius, & extrema tanquam lineamenta seruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit stare rem Romanam, quos ita obliuione obsoletos videmus, vt non modo non colantur, sed etiam ignorentur? Nam de viris quid dicam? mores enim ipsi perierunt virorum penuria: Cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodò dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo Rempublicam verbo retinemus, re ipsa verò iam pridem amisimus. Hæc quidem Cicero, qui si doctrinam Christianam gustasset, qua nos, per misericordiam Dei imbuti sumus, Anne, cum Syrach dixisset, Regnum à gente in gentem propter tyrannidem, iniurias, & alia principum ac populi delicta transferri? Et cum Sapiente, Prouerb. 14. Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum.

Deus iusto suo iudicio, causas quandoq; permittit, ob quas vrbes, communitates, & regna, vel domesticis, vel externis bellorum procellis, per afflictionem & paupertatem, ad veram erratorum cognitionem, & deprauatæ vitæ immutationem adigantur. Scribunt & conqueruntur Medici, nouos subinde morbos humana corpora molestare, qui ab Auerroe, Auicenna Galeno, Hipocrate noti & explicati nunquã fuerunt, ita, vt noua sint excogitanda remedia, quæ his curandis adhibeant. Consimili modo regnorum, Rerumpublicarum & Vrbium corpora, nouarum & incognitarum factionum virus, infelici fato frequenter occupat, quorum ne nomina quidem intelligi, & explicari queunt. Meminit Meierus in Flandriæ Annalibus BRIGANDORVM; Prædones fuerunt, qui vsque adeo in Normandia inualuerant, vt licet vno anno decem millia ab Anglis supplicio affecti fuerint, tamen ista fece Regio minimè purgari potuerit. Meminit Lessius in descriptione Scotiæ FACTORVM, qui vniuersam Scotiam diris modis vexabant. BOAGANDOS Saluianus recenset, non quidem seditiosos, sed, quos cruentorum iudicum tyrannis, ob crebras & intolerabiles exactiones, & seruitutem quauis morte duriorem, criminosos fecerat, vt abs Romanis ad hostes barbaros deficerent. Meminit BRABANTIOnum Annonius, qui in Gallia summæ crudelitatis tyrannidem exercebant. Hæc autem grassatorum genera, quare talia sortita sint nomina, nemo hactenus explicauit. Circa initium imperij Valentiniani iunioris BAGAVDARVM factio Gallias afflixit, Battone duce, rusticis seruisque grauiter tumultuantibus. GVELFI & GIBELLINI, quas strages in orbe Christiano ediderint, nemo ferè nescit: qua verò de causa sint ita nominati, non facile expedieris, nisi dubias coniecturas pro veris principijs velis haberi. Becanus in suis Atuaticis difficillimum, inquit in factionibus nominum causas inuenire. Quoties his annis proximis, quibus factiones primùm in Francia, deinde apud nos in Brabantia ortæ sunt, ingenti publicæ tranquillitatis damno, &, extremo fortassis, ni Deus auertat, exitio christianitatis; disputationum meminimus, qua causa illa HVGENOTARVM, hæ GEVSIORVM acceperint nomenclaturam. Etenim eiusmodi absurdas voces, semper ingens aliquod malum portendere iudico: quod Romani etiam crediderunt, dum boni nominis eum esse vellent, quem primum militiæ adscriberent.

Multa de Repub. & Vrbe benè instituenda à summis & præstantibus viris prudentet sunt excogitata, & ad posteritatem doctissimis scriptis transmissa, quorum commentaria & politica præcepta multi ex Magistratu libenter legunt & amplectuntur, & tamen optatam bonæ Reip. formam assequi nequeunt, sed cum dolore & gemitu quandoque tolerare coguntur, quod non optima consilia vrbibus suis præualeant; quæ publicam ciuilis societatis pacem perturbent. Quo quidem ipso monemur, vt non nobis, & humanæ tantum prudentiæ, sed diuini nominis gloriæ omnem bonæ gubernationis honorem adscribamus. Nisi enim dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Quod veteres sibi firmiter persuasisse, multis argumentis ostenderunt: quando vallorum & mœniorum potentiæ, quibus arces & oppida valdè cinxerant, minimè confidentes, numina quædam diuina, & tutelares diuos colebant, quibus atas & templa erigebant, vota, preces, thura pro communitatis conseruatione offerebant. In vrbibus Priapum colebant, Palladem, Mineruam, Iunonem, Opem, Mercurium, & summum Deorum Iouem: In Arcium & turrium munitionibus Martem: Prouincias autem & populos, nũc Herculi, nunc Marti certa religione, & opinione numinis committebant. Vrbes & ciuiles congregationes, per generationis successionem conseruari videbant, ideo in honore & veneratione habuerunt Priatum, Iunonem, & Opem: Illam à iuuando, hanc Opem & Opigenam, quòd implorata partum iuuaret. Apollini verò, Mineruæ, & Palladi, Magnos attribuerunt honores, quod hæc eas, quas condidit vrbes, prudentia, & bona administratione gubernaret: Quia multitudo, nisi prudentia, & vera sapientia dirigatur, diu subsistere nequit. Pallas enim, cum Troiam fuisset egressa, subducto Palladio, tum Ilium in hostium potestatem deuenit.

Marti, in montibus & editioribus locis, in pottis & munitionibus, constitutis atis, sacrificarunt, eò quòd is, furiosus murorum euersor, censeretur placandus, ne ciuibus obesset, & exitiosam potẽtiam suam in eos exerceret. Et quia Germani, gens Martia, ferox ac potens, armis semper assueta, hinc litium & bellorum numen, Martem, vt plurimùm coluerunt, quemadmodum Tacitus, & Plinius referunt. In Hassia, Marpurgũ, cum arce, præcelso in loco posita, vrbs nobilis, à Marte denominatur. Itaque Georgius Sabinus, in suo Hodœporico eam scribit, Mauortis nomen habente Luneburgi, in magnifica Saxoniæ vrbe, Iuliani in celeberrimo quondam Pomeraniæ emporio, in editiore colle Martis delubrum fuit. In Ducatu Slesvvicensi extra Flensburgum, supra montem integrum adhuc cernitur Martis delubrum forma rotunda, Nunc D. Michaelis Sacellum dicitur, Apud Treuiros manet adhuc vetus appellatio montium, inter quos, tanquam gemmas speculas, Augusta Treuirorum sita est, vt ab exortu solis imminentia iuga, mons Martis, ab Occasu mons Apollinis, eiusque pedi appositus vicus, etiam nunc Apollinis vocatur. Et potta, quæ nunc Simeonis est, olim Marti sacra fuit, per quam ad bella processuri, exibant, & ad campum Martis (planiciem huic monti & portæ vicinam) exibant, in quo tyrones ad Martis exercitia erudiebantur: In Sicambris, haud procul à Teutoburgensi saltu oppidum est veteribus, Marti sacrum, Martis lacus, nunc Dinckslaken vulgò dictum. Nam dingen, litigare significat, quod Marti proprium est: Vt etiam furere & insanire, quia feruorem, ferocissimo Deorum Marti, tribuunt, quo excandescens animus ad iram, imò, ad furorem ac rabiem, Martiali, hoc est, cruento vultu, propellitur. Vnde etiam cruentum, amentemque Deum Martem nuncupant. Hinc, quædam Germaniæ loca olim Marti sacra, à furore ac rabie Martis Tolliates, post, à Germanis Dollendorff, sunt nuncupata. Vt iuxta Bonnam primæ Legionis sedem, pagus est, Marti sacer, Dollendorff Paulò vlteriùs in Eifflia Tolliates sunt populi, Dominium est, cui vicus adiacet, cum veteri arce, Dollendorff. Quam quidem appellationis causam, furiosum Martem dedisse nuper ibi per doctissimum virum Crisantum Bosium inuenta inscriptio arguit, quæ talis est.

MARTI ET GENIO TOLLIATIVM CLAVDIVS VERINVS
AD PERPETVAM TVTELAM AEDIS TOLLIATIB. DEDIT
XCL. QVAM AEDEM L. MARCIVS SIMILIS DE SVO PONIT.

Martem Deum tutelarum Romanis fuisse, cum Ioue & Vesta, M. VVelserus in commentariis antiquitatum Augustæ Vindelicorum tradit. Et Cicero lib. de natura Deorum, Martis, inquit, templa duo, vnum

Quirini

Quirini intra vrbem, prope portam, quasi custodis, & tranquilli. Alterum in Appia via extra vrbẽ, quasi bellatoris & gradiui. Hinc in prouincijs, & Romanorum colonijs, quæ Vrbis religionem, & mores imitabantur, Martem, eadem veneratione cultum fuisse, & pro Deo tutelari habitum, complura antiquitatis documenta testantur. Quale est illud in M. VVelseri antiquitatibus.

IN H. DD. DEO MARTI. ET VICTORIAE CONTVBERNIVM.
MARTICVLTORVM POSVERVNT V. S. LL. M.

Cimbri, in ATVATICO suo, nunc Antuerpia, extra arcem, templum Marti consecrarunt, ea parte, qua Neruiorum, Eburonum, & reliquorum Belgarum imperium maximè respicit, Romani Fonnæ, primam Legionem Martis numine, tutam & munitam cupientes, in Porta, quæ Vbios respiciebat, & nunc Coloniensis dicitur, sacra Marti Militari fecerunt, Quemadmodum ex antiquissima inscriptione & in loco, per excellentissimũ virum Iacobum Campium Collegiatæ Bonnensis Ecclesiæ Decanum longè dignissimum nunc verò Protonotarium & Consiliarium Moguntinum inuenta, & in historicorum gratiam detecta, manifestè constat: Quæ talis est.

I. N. H. DD.
PRO. SALVTE. IMPP.
DIOCLETIANI. ET. MAXI-
MIANI. AVG. CONSTANTI.
ET. MAXIMIANI. NOB.
CAESS. TEMPLVM. MARTIS.
MILITARIS. VETVSTATE. CO-
LAPSVM. AVR. SINTVS. PRAE-
FEC. IM. S. A. SOLO. RESTI-
TVIT. DIE. XIII. M. OC.
TVSCO. ET. ANVLINO. COS.

Agrippina Colonia Fanum habuit, & Martis Aram supra portam Rhenanam ad ortum. Vnde hoc etiam tempore, is vicus, ad Martis portam, vulgò Martport vocatur. Ad quam quidem Agrippinensem Martis Aram; Aluus Vitellius pugionem Roma ex voto transmisit, quo se Otho Syluius Imperatore transfoderat. Apud Romanos namque more receptum erat, vt Magnatum gladios Dijs suis tutelaribus ac potissimum Marti dedicarent. Refert in Vitellio Suetonius, cùm Imperator designaretur, Diui Iulij gladium delubro Marti detractum, prima gratulatione, oblatum, quod in Agrippina Colonia factũ existimo. Ita Sceuinus, qui in coniuratione contra Neronem præcipuus erat, pugionem templo Salutis in Hetruria Fortunæ detractum, veluti magni operis sacrum gestabat.

L. XXX. VV. Hoc est, Legio trigesima vlpia victrix, quæ ad vetera, nunc Santem ex dispositione Traiani Imperatoris rescedit, Martis habuit celebre Fanum, Quod portæ & plateæ eodem Oppido, hoc etiam tempore nomen reliquit. Cuius quidam votiuam inscriptionem, ad portam Santensem inuentã, Stephanus Pigius, in Hercule suo Prodicio, talem designet.

MARTI.
SACRVM.
EX. VISV.
SECVNDINI-
VS MARTIVS.
L. L. P.

Quemadmodum autem Martem vrbium, Legionum, ac Portarum, Ita Herculem Regionum defensorem, ac limitum custodem Veteres constituerunt. Cui proinde Regionum sunt dedicata vestibula. Hinc in Gadibus ad vvest Capellam Zelandiæ, & in Frisijs, Hercules limitaneus colebatur, vbique finium Oceani limites constituebantur. In quorum custodia & defensione prudentia, & fortitudine maximè opus est, quæ ambæ virtutes Herculi adscribebantur, Sed de Limitaneo isto Hercule plura vide quinto, huius operis folio, vbi Gades occiduæ describuntur.

Et demum, vrbes & communitates, vt vniuersum Deorum cœtum propitium sibi, & clementem haberent, Pantheon multis simulachris conspicuum erexerunt, & Mercurio statuas sacraque fecerunt, qui vt Planetarum est medius, ita ipsum Mediatorem & intercessorem inter Deos, Deasq; elegerunt. Certè, memorabile est quod de ferrea Mercurij imagine legitur, inter res stupendas, Galbam Viatorem Lucinio Sophistæ retulisse, Treuiri, Galliæ nobili ciuitate; visam sibi ferream effigiem Mercurij volantis magni ponderis in aëre pendentem, magnetis vi, supra in fornice templi, atque infra in pauimento ferrum medium æqualiter attrahente.

Atque hic quidem superstitiosus ac falsus falsorum deorum cultus, ex falsa infidelium religione originem traxit, quæ, quando aura diuinæ gratiæ adspirante, per veræ Religionis & iustitiæ solem in vnius veri ac viuentis Dei cultũ est immutata (quod temporibus Constantini magni accidit, cuius edicto, Deorum aræ subuersę, templa clausa & Dij in priuatorum ac diuitum ædes sunt relegati.) Tunc aræ in quibus Dijs ignotis sacra fiebant, in veri Dei cultum sunt immutatæ, & amotis falsorum Deorum simulachris aræ & templa vni, trinoq; Deo consecrata, varijs deinde amicorum Dei, hoc est, beatorum nominibus sunt intitulata. Eum planè ad modum, quo omnes Christiani, per Sacramentum Baptismi, vni ac vero Deo consecrati, templa fiunt Dei viuentis, sed diuersa nomina sortiuntur. Quemadmodum igitur olim extra vrbes, in portis & editioribus locis, Martem, vt vrbis, & communitatis protectorem, infideles colebant, qui in prælijs, & bellorum expeditionibus ipsis opitularetur. Ita, Maiores nostri, primi Christiani, impium Martis cultum detestantes, eius aras Deo vero ac viuo consecrantes. D. Michaelis memoriæ & tutelæ attribuerunt. Qui, vt olim à Deo, Danieli assignatus est Hebræorum Ecclesiæ defensor, ita militantis Christianorum Ecclesiæ aciem, & fluctuantem exercitum, vt Archistrategus, dux & Præfectus, per gratiam Dei tueretur, atque defenderet. Multarum vrbium Christiana ac pia consuetudine ita obseruatum, confirmari potest,

De Martis delubro in Ducatu Slesvvicensi. Luneburgi,& Iulini diximus, vbique; S. Michaelis est substituta Ecclesia. Antuerpiæ, templum Martis in S. Michaelis honorem conuersum, prima pastoribus populi sedes fuit. Nunc magnifica est. S. Michaelis ordinis Præmonstratensium Abbatia Martis etiam delubrum in monte fuit extra Leodium, Vbi nunc est S. Egidij Canonicorum Regularium Abbatia, D. Michaelis memoria Ecclesia celebris. Nota est S. Michaelis historia in monte Gorgano. Bononiæ memoria S. Michaelis in Bosco; in Pedamonte, eiusdem Archangeli phanum excelso in monte Abbatia nobili illustre. In Dalmatia, ad famosum Clissæ propugnaculum arcemque inuictam, in altissima rupe S. Michaelis Archangeli celebre oratorium existit. In nostra Coloniensi vicinia, Monasterij Eiffliæ in altissimo monte, olim Marti sacro, nunc D. Michaeli sacellum perantiquum conspicitur. Quin & Bonnæ, vbi Mars Militaris templū antiquitus habuit. Quod Aurelius Sintus Præfectus, Anno ab vrbe condita, 1047. A Christo nato, 297. impensis suis restaurauit, ibi nunc Monasterium, & sacrum nobilium Virginum Collegium extat, D. Michalem & in apice Ecclesiæ, & in aditu templi, vt tutelarem Diuum, & protectorem loci effigiatum exhibens, A quo vallis Angelorum nuncupatur.

Sed ipsam Agrippinam Coloniam patriam nobis longè charissimam ingrediamur; vbi, quod supra portam Rhenanam Marti consecratum commemorauimus phanum, in oratorium D. Michaelis, auorum pietate, mutatum fuit. Quod nunc, necessitate ita postulante Magistratus auctoritate est amotum, & ad antiquitatis conseruandam memoriam, duæ constitutæ sunt statuæ, quarum altera Martem, altera S. Michaelem Archangelum repræsentat, cum tali inscriptione.

AEdibus his Phano Martis celeberrima portæ
Astitit hanc vrbis struxit Agrippa parens.
Addidit, illustreis aras vbi iura ferebant
Bellorum & stabant fixa trophæa Dijs.
Hic gladius magni fuerat suspensus Iuli,
Syluius & quo se foderat ensis Otho.

Porta Michaeli Christo regnante, dicatur
Sanguinei Martis cum simulachra labant.
Ast obscura fuit moles & inutilis vrbi:
Translatis igitur sit via plana sacris
Vt nam Mauortis sunt diruta mœnia Portæ
Dextera sic Vrbem seruet ab hoste Dei.

Hanc tutelarem D. Michaelis memoriam Coloniensibus imprimis gratam fuisse, hinc facilè constat, quia in diuersis editioribus locis insignita tanti patroni nomine oratoria auorum pietas instituit. Vt in altera Vrbis antiquæ porta, versus meridiem ad S. Cecilię Monasterium vbi editiore in loco, S. Michaelis celebre oratorium & cœnobium existit, prout etiam in aliarum nostrarum Ecclesiarum turribus, portis & testudinibus. Quin & primi summæ & Metropolitanæ ædis fundatores tantæ molis fastigium S. Michaelis Sacello, tanquam colophono claudere, & vtramque campanariam turrim in apice, tanti condeprecatoris oratorio coniungere statuerunt. Quemadmodum ignographica istius fabricæ sacræ delineatio, hoc ipsum artificiose demonstrat.

Det Christianorum ciuitatibus, per misericordiam suam Dominus, vt horrendi draconis conatus, quibus almæ pacis, & concordiæ decus ipsis eripere statuit, S. Michaelis, omniumque angelorum tutela, per fortitudinem Dei frangantur; Ne verus & vnicus in cœlo Iupiter, commerita in eos fulmina vibrare cogatur: Sed Herculis clauæ Palladis, & Mineruæ consilia iungant quò sapientiam diuinam cuncta suauiter disponentem in omnibus gubernationis suæ actionibus sequantur, quò hac ratione Palladē; quæ de Iouis cerebro, hoc est, à vero Deo sincera pietas, & sapientia nata censetur, colentes, ab vno, trinoque Deo vrbium suarum protectionem consequantur, vt ciuium suorum mentes, à noxijs opinionibus liberas, non mœniorum tantum fortitudine, sed & animorum consensione stabiles firmasq; conseruent. Et sic tandem, ex hac terrena, in ciuitatem æternam à Deo prædestinatam, in Hierusalem cœlestem & supernorum ciuium congregationem commigrent, cuius muri ex lapidibus pretiosis, portæ ex margaritis optimis plateæ ex auro purissimo, in quibus Deus noster regnat. Vbi conciues nostri angeli, & beatorum spiritus, quorū cohabitatio perpetua lætantium est exultatio, vbi summa pax, quies & tranquillitas, vbi nullus labor nullus dolor, nulla paupertas, nec senectus, nec vlla mors, nec nox, nullum ibi cibi desiderium, nullum sitis incendium, sed cibus & potus omnium Christi & sanctæ Trinitatis visio erit & diuinitatis puro cordis oculo contemplatio, & assidua lectio, vt ita dicam libri vitæ, id est, æternæ veritatis, & summæ sapientiæ, & verbi Dei, quod est Iesu Christi visio. Ad quam nos perducere dignetur vnica spes & expectatio nostra IESVS CHRISTVS, qui viuit & regnat Deus, in æterna sæcula, Amen.

GVILHELMVS SALSMANNVS
GEORGIO BRAVNIO VRBIVM
THEATRVM ADORNANTI.

*B*RAVNI, *carmen eris magnum mihi, carminis hæres*
Mæonij: te Minciadæ præconia Vatis,
Maxima te decet ingenij vis maxima Vena:
Quæ minor est mihi quam mediocris vena fauore,
Parua, rigata tuo, en, sinuoso voluitur æstu.
Tempus erat, mecum nosti, mihi nosse voluptas,
Cùm primum Latios imitarer voce lepóres,
Nectoris audirem cum te puer ore loquentem
Admirans fœcundi oris mirabile flumen.
AEquantem verbis tum maxima pondera rerum
Te vidi simul obstupui. sic vtilis hora
Quælibet insigni glomerabat fœnore pensum.
Non etenim hærebas, precium non vile sinebas
Temporis esse tui, sed erat preciosius auro;
Vnde tua interitum non vnquàm Musa veretur.
Concedat scriptis genium per temporis omnem
Circuitum. noua fama tuis & grata vetustas.
Qui modò clarus, eris post funera maior, vt aruo
Mandatum semen globis vbi putruit actis,
Concepta virtute redit natalibus agris,
Fœnore centeno gratum locupletat arantes.
Gratulor, in grauidis libris. tua gloria viuit,
In grauida quercu vixit, quæ heroibus olim
Caudice de sancto Iouis hinc ab origine prisca
Codex eductus, BRAVNI *tua dona recludit.*
Scriptorem celebrant te magna volumina magnum.
E templis suspensa velut, domibusque trophæa
Signabant olim tabulis præstantia facta;
Atque hæc semideis post fatum erat altera vita:
Cerno tuas BRAVNI *tabulas, diuturnius ære*
Hoc opus. & validum magis ætas si quid habebit,
Dum sol exoritur, dum splendent cornua Lunæ.
Tu monstras orbem, redit orbita crebra laboris;
Tu monstras vrbes, vrbana negotia rerum:
Orbis te monstrat, monstraris ab vrbibus, vnde
Laudas, æternum crescens laudaberis inde.
Qui sis paret, & à dictis assurgitur omni
Iure tibi spatio quantos anteire relicto
Scriptores valeas, testis res ipsa, fidesque
Congrua non ornas numerum solummodo scriptor,
Auges & meritum. meritoque adscriberis astris.
Hoc aliquid cœleste quidem mihi credere fas est
Quod solers naturæ ardor miracula rerum
Nos penetrare facit tandemque insistere fixis
Sideribus cœlum mens vt cognata reuisat.
Conditor hoc orbis, terrarum magne theatri
BRAVNI *magne facis, calamus cui tantus, vt orbem*
Vtque vrbes orbis mensures linea quanta,
Oppida quæ mundi simul omnia colligit vno
Ductu ne mirum sit cuiquam linea tanta est,
Quam trahit vna dies omnisque irrruptaque semper
Artificum tibi docta manus, tibi seruit Apellis
Linea, victuros semper dimensa colores
Fuluos cælator iussus conferre labores,
Ad tua verba studet formas inducere pictis
Vrbibus, atque situm omniparentis ab ære
Reddit, delitias oculis offundit amœnas,
Quodque operis videt effictum variantibus, ipsum
Hoc præsens verumque putat par copia laudis
Est decor, est precium precijs redimendaque nullis
Virtus ingenij veris expressa figuris.
Vrbis imago quota est. vrbis te spirat imago
Tota; tibi toties effingeret ære Colossum
Ciuis Erithræis ornato vertice gemmis
Virtutis decora hæc latuerunt, lumine Solis
Concomitante modo perstringunt vndique mundum,
Huius mirantem se clausum mole theatri,
Qui tuus est, BRAVNI, *labor & tua gloria fulgens.*
Sic quod principio quasi parturit vmbra Lycei,
Effundit Phœbus radijs imitantibus astra.
Quamuis te tantus labor in diuersa trahebat
Magne virûm, tamen haud vires subduxit amicas,
Nec tibi diminuit vitalem in corpore succum:
Quippe viges Phœbi seruans cum luce iuuentam;
AEtatem studijs fallens & stamina Parcæ.
Diuisit fortuna suis bona sortis alumnis
Singula, te faciunt eadem collecta beatum.
Conciliant multis vitæ felicia labem,
Sed nil dextera sors animo tibi detrahit æquo
Quin addit potius generosa modestia cultum
Cultibus eximijs: ita sunt felicia vitæ
Fata tuæ, sed quæ Rhamnusia nulla flagellis
A tergo sequitur fastosi criminis vltrix.
Nam Musæ tecum faciunt & castus Apollo
Innocuos sine labe dies euoluere suadet.
Cura veternosos odit studiosa Mineruæ,
Omnia sed facit, vt sensu discriminet acri
Virtutum miles, vitæ ne fluctuet ordo.
In sese inq; suos suspensa lance tuetur
Mores, ambiguum casu disquirit in omni;
Hinc res ampla tibi culpam non affricat vllam
Nec sectaris opes, nec opum discrimina sentis.
Ocia tutus agis quæ porro negotia dicas.
Felix illa quies, non à pietate quieta,
Palladioque foro, atque choro strepituque Camœnæ.
Dum sudant alij sub iniquo pondere fului
Plutonis, vinclisque abdunt crudelibus aurum
Infelix vetitis dum intendunt lusibus æuum
Contenti solum vitæ ignobilis vmbra;
Aut quam morte magis crudelem dicere vitam
Fas est dum Venerem, atque inconcessos hymenæos,
Sacri homines, intra polluta cubilia tractant;
Dum vicos obeunt inter spectacula crebri &
Turbarum sonitus, inter studia impia vulgi,
BRAVNIVS *intendit curis fruentia sanctis*
Pectora, surrectos leuet hinc ad sidera vultus,
Signaque dat Christi verum spirantia amorem.
Postea succedunt alecumana negotia sacris.
Consulit in commune bonum, hæc ad munia quamuis
Haud pronus, conuicit cum tamen ardua moles
Officij, facilemque parat deuota voluntas:
Quod reliquum si quid reliquit, tamen esse necessum
Demonstras operum tantùm immortalibus ausis
Adijcitur libris, hic est post seria ludus.
Horis quid valeat succisa industria parcis,
Quas nolles parcas tamen esse, fluentia monstrant
Scripta per ingentes dispersa volumina libros
Monstrant: historia mundi complecteris vrbes
Innumeras, sed quæ in numerum rediguntur ab arte
BRAVNI *docte, tua, coijt qua totus in vnum*
Orbis, & ingenio tibi se submisit in æuum
Omne tuo quicquid natura constat, in artem
Inq; tuos vsus confert ter maximus orbis
Olim, nunc verò quater idem maximus orbis,

India

Inediacum accedit ſoli ſuppoſta cadenti,
Fineſquẽ Antipodum & ſine limite peruia tellus:
Huc labor applicuit finem tuus, huc tua profert
Scripta ſimul tecum victura perennis in æuum.
Semita quæ ſolis, lunæ qui curſus is idem
Muſarum, BRAVNI, *eſt poſt ſecula multa tuarum.*
Cum Muſis hyberna tuis. æſtiuaque degis;
Hoc Ver Autumnusque tuus, Vertumnus is idem?
Hoc exercitium ſeruent, moremque beatum,
O vtinam plures, pauci quos Pallas amauit,
Seruent: è factis exempla probata petuntur,
Euge, tuis, eademque viris aptiſſima doctis?
A proprijs exempla petis tu maxime factis.
Supra alios pronus virtuti, artique pudicæ.
Inſinuas mihi ritè viam, tua limina ſeruens
O vtinam; ad ſimiles velox aſſurgere curas.
Vt fateare bonum me, quamuis longius ex hoc
Diffiteare parem Muſæ. Phœbique miniſtrum.
Cum Phœbo tibi Muſa dedit prænobilis artes:
Huius & huius habes laudes decus omne: duorum
Tu decus es, laudesque: mihi concede fauorem
Hunc aliquem, atque adeo magnum conceſſeris vt ſim
BRAVNIADES *titulo communis amoris amicus.*
Quantæcunque forent, vires tibi dedico, partim
Debeo: tu mihi Muſarum non vana parabas
Subſidia, hæ vitæ auxilium quodcunque pararunt.
Cœperat ingenium prima quaſi meſſis in herba
Efflorere mihi, ſed erant quæ multa vetabant:
Continuo ergo cies arrecta cupidine corda,
Sed depreſſa prius mihi: quis neglectus hic inquis:.
Ac torpor? cole diuinam ne abſiſte poeſim
Te colet ipſa, vicem grauido cum fœnore reddens.
Quod fuit obtuſum ſubitò teneatur acumen.
Prædura ceu cote chalybs, limaq; politur.
Depudet haud igitur piguit fortaſſis ad iſtam
Militiam te autore dedi quod nomen: habeto
Fructus, quos ferret, voluiſti ſurculus iſte;
Et facias, ramis fiat florentibus arbor.
Scribe potens, felix, vt abhinc ſacreris Olympo:
Vtque choris nunc es Muſarum interſitus, olim
Emeritos Phœbo Muſisquẽ beatior annos
Cum trades ſuperûm pars & non infima fias.
O BRAVNI *patriæ lumen columenq; tuorum.*

ACROSTICHIS.

G rate Deo BRAVNI, *non inficiande Camœnis.*
E uge Vbijs magnum condere pergis opus,
O fficium tibi victuras, eſt pangere chartas:
R eddam pro ſacro nunc Helicona choro.
G eſtio ſacra nihil Muſis non cedite, tantum
I n ſtudijs ſtudio concelebrate virum.
V rbes Pallaidas quinto cum fœnore profert:
S ic quoque Georgus Pallade digna facit.

B ella theatra facit: colet officioſa theatris
R arum ſcena virum, fornice clarus erit.
A mphitheatra cui fient tandem iſta theatra,
V irtutis monſtrent vt monimenta noua.
N unc eſt ſemper erit quod eum tranſcribet Olympo
I ngenium, fruitur quo propiore Deo.
V iuentem inſcribet manus illum docta metallis.
S eruabitque illum floribus herba ſuis.



PALATIVM REGIVM IN ANGLIAE REGNO, NONCIVTZ, HOC EST, NVS-QVAM SIMILE DICTVM.



NONCIVTZ Palatium Regium in Anglia, decimo à Londino lapide, omnium elegantissimum ab Henrico viij. constructum, Arondelij Comitis fuit, qui Regem ibi lautè & magnificè excipiens, loci, situsque elegantia, epulis, venatione, multisque deliciis oblectans, Arcem ipsam Regi donauit, talem loci conditionem asserens, vt NONCIVTZ hoc est, Nusquã simile, meritò diceretur. Rex elegantiam situs, recreationis & otij peridoneum fore recessum considerans, donationem benignè acceptat, & se effecturum promittit, vt iustas ob causas NONCIVTH appellationem semper conseruet. Diuersarum nationum præstantes opifices, architectos, sculptores, & statuarios, Italos, Gallos, Hollandos & patriotas, sumptu regio, eo inuitauit, qui mirabile artis suæ experimentum, in hac Arce ornanda ediderunt, statuis eam intus & foris condecorarunt magnificis, quæ Romanas antiquitates partim apprimè referunt, partim superant. Spatiosam habet aream, quæ omnem Regiam nobilitatem, & numerosum equitatum admittit, habens in medio fontem marmoreum limpidas aquas ad varios arcis vsus affatim euomentem, quem exquisitus diuersarum statuarum ornatus valdè commendat. Mirandam quoque Echo, artifices hîc, in primo Arcis aditu, excitarunt. Talem enim fornicum & testudinum concauitatem, artis industria fecerunt, vt voces & tubarum clangores editi, non semel sed quartò & quintò eandem vocem crepitando resonent.

DE HABITV ANGLORVM.

SVnt Angli procera statura, venusta & candida facie, cæsiis vt plurimum oculis, & vt sono linguæ Italis persimiles, ita corporum habitu ac moribus ab illis penè nihil discrepant: belle inorati: consilia cunctando capiunt, vt qui sciunt nil esse tam inimicum consiliis, quam celeritatem: mites, & suapte natura ad omne humanitatis officium propensi, & cum primis nobilitas, vel erga peregrinos, sed plebs præsertim vrbica nõ itẽ. Amicos domum suam inuitant, hospitioque benignè, & in prandiis ac cœnis, hilarè, nitidè, lepidè, atque ampliter accipiunt, idque officium humanitatẽ vocant: etsi, vt Tacitus ait, pars est seruitutis non modica, alieno tantùm cum tædio, indulgere palato. Cæterum bello intrepidi, optimi sagittarij ac in militia moræ haud multũ patientes, & idcirco vbi ad arma ventũ est, statim de omnibus fortunis alterius partis dimicatur, quia omnia victorem sequuntur. Atq, extra patriam, si cum hoste res sit, militarem disciplinam seruant. Reliqui, qui ad studia literarum incumbunt, facilè proficiunt, quorum hodie ingens floret numerus. Vestimento non multum absimili Gallico vtuntur. Fœminæ niueo candore insignique forma, quàm longè decentissimo vestitu honestant. Vrbes habent atque opida egregia, frequentesque pagos, & villas passim magnificas.

MODVS VENDENDI LVCIOS PISCES IN ANGLIA.

LVcius, quem appellant Itali pike, quemadmodũ olim vilior, si nunc apud Anglos multò est pretiosior, qui ex palustri aqua in viuaria translatus, ac nidore illo olido purgato, anguillis minutisque pisciculis pastus mirandum in modũ pinguis fit: mox in piscario foro viuus cùm vendi debet, si opus sit, ei venter cultro aperitur, vt illud pingue quod habet ostendatur: at si minus vendatur, eo tamen vulnere affectus (mira res dictu) haud moritur: quippe plaga filo insuitur, ac statim pòst in viuario tincarum glutinoso contactu sanatur. Hæc Polydorus Vergilius, in sua Anglicana historia, Idem Iouius hoc modo refert, Mirum est illud, quod à tot audiui viris, vt impudẽtius fuerit, tot testibus, mendacium non credere, quàm veritatem aduersus eorum authoritatem turri, Lucium, scisso ventre ostendendi lactes causa, inde consuto, atque inter tincas in viuariis reposito, sanari humore earum, dum se illis lucius ventre affricat. Scribit Cardanus, hoc causam manifestam habere, cùm viscera non sint oblæsa & humor ipse glutinosus sit, aërque ad corruptionem minime paratus, nec scire se, An in Italia, experimenti hoc sit successurum.

Quoniam verò hîc piscarium forum ingressi, nouam de Lucio historiam retulimus, eadem occasione referemus & alteram, quæ innuit, sæuos ac feroces tyrannos, ab hoste non magno quandoque premi, & superari posse. Dubrauius celebris author (post Episcopus Olomuzensis, tribus & 30. libris historiam Boiemicam complexus est) libro de piscinis primo cap. sexto scribit. Non mihi tempero, quin spectaculum, quod ad viuaria Arci Cremsirensi subiecta, dum Stanislaum Thurzonem Pontificem meum assector, à me oculis tunc spectatum, nunc verbis quoque hoc loco spectandum repræsentem. Delitescebat in latebris ripæ viuarij, discors Lucio Rana, cum forte Lucius otiosus similis, leui caudæ motu summas viuarij aquas vltro citroque sulcaret, quoad tandem ad locum, quem insidiis faciundis rana cepit, propius appelleret: non omisit, bene gerendæ rei occasionem Rana, sed simul atque facultatem assiliendi hostis, sibi oblatam vidit, ita, vt erat finibus buccarum inflatis, occulisque, præ ira flagrantibus, repente caput illius insilit, lateque diuaricatis pedibus, frontem circomplexa (vide solertiam animalculi) in ipsos præcipue oculos Lucij inuadit, mollissimasque & charissimas lancinat partes: at ille dolore exagitatus modo citato per vndas cursu ferri, fluctusque circum se concitare, modo vertigine rotari, modo fruticum & arundinum, quæ in viuario subnatæ emicabant, attritum quærere, si quo pacto male conciliatum, nullarumque præ se virium inſessorem, frõte excuteret: cæterùm, omnes eius conatus incassum cadebant, tam mordicus eandem frontem Rana obtinebat, tamque pertinaciter pœnas ab auidissimo corporis sui vexatore, exigebat, donec torpescentibus, ex multa lucta, viribus, ipse Lucius victus succubuit, seque, ranamque vnà, in ima gurgitis demersit, Adhuc nobis omnibus, qui aderamus eodem loci subsistentibus, luctatoresque, quod iucundum nobis spectaculum de se exhibuerant, oculis requirentibus, ecce tibi, Rana subito in altũ exilit, moreque victorum ouans, coaxans, vitulansque rursus se in palatia sua recepit. Imperat extemplo Pontifex, acciri piscatores, quod Lucio retibus inuento, in lucemque prolato, cognoscendi potestatem facerent, quidnam cum illo demerso actum esset: atque miser ille vtroque lumine orbus extrahitur, non sine omnium nostrum admiratione: At piscatores vetant casum mirari, se enim crebrò talibus certaminibus interuenire, sæpenumeroque à Ranis Lucios excæcatos, atque eosdem emaciatos, piscari, quoniam amissis oculis venari sibi pisces nequeunt, sed sterili tantùm arena ventres suburrant.

QVI IN ANGLIA PAREMTITII DICANTVR.

IN Angliæ ciuitatibus, & præsertim Londini, omnis quasi populus per artificum collegia diuiditur, exempli gratia: Lanifici de Rege emunt priuilegium, quòd sibi liceat inter se societatem coire suum habere collegium, suas condere leges, quibus monopolia instituant pretium panno laneo constituant, prohibeantque ne alij in vrbe vendant. Est autem μονοπώλιον vox Græca: siquidem μονὸς solus dicitur, πωλέω est vendo, cùm potestas vendendi penes vnum est, qui pretium etiam constituat, quod Reipubl. vt Iustinianus ait, semper detrimentum affert. In illud verò collegium potissimum veniunt, qui discendo artem, annos septem, decemve, aut eo amplius, seruiunt eiusdem Collegij lanificis. Et ij dum seruiunt, aliorumque ministri sunt, vocabulo non ineleganti appellantur Paremptitij, hoc est, pares emptitiis seruis, quia perinde lanificis in eos, toto illo annorum spatio, ac dominis in seruos ius fermè est. Post exactos ministerij annos ciues habentur: tametsi interdũ sine famulatu, etiam pretio, ciuitate donantur. Eodem quoque seruitio vel fœminæ in ciuitatem adscribuntur. Quapropter quotidie multitudo puerorum etiam nobilium æquè vt puellarum, vsque ab vltimis Regni partibus Londinum confluit, qui ibi, eo pacto diuitias, honores & honesta coniugia consequuntur.

PALATIVM REGIVM IN ANGLIÆ REGNO APPELLATVM NONCIVTZ,
Hoc est nusquam simile.

Effigiauit Georgius Houfnaglius Anno 1582.



OLISIPO



DVæ sunt vrbes hac nostra tempestate, quas iure Oceani dominas, ac tanquam Reginas appellare possimus, quarum ductu & imperio totus oriens, occidensq; hodie nauigatur, Earũ altera est Hispalis, altera Olisipo, quæ à Tagi faucibus, eius Oceani partis imperiũ sibi vendicat, quæ Africã Asiamq; immenso maris circuitu complectitur. De cuius origine ac nomine, quæ in primo Vrbium Theatro à nobis explicata sunt, heîc non repetemus.

Lusitaniæ Regni Metropolis est Olisipo, Vlyssis indicãs errores, & exercitum huc delatum, Insignis amplaque ciuitas, loco amœnissimo sita, diuitijsque supra modum affluens; mercium quippe, quarum per vniuersũ id regnum negotiatio est luculentissima, existens Emporium vndequaque aduentantium, nauium commodissimum ac fama celebre receptaculum; Regis insuper aula, sedeque fortunatum cæterarum prouinciarum caput, Romanis aliquando Iuliam fælicem appellatam volunt nonnulli, Vna ex tribus eis Regni Archiepiscopatibus. Metropolitanam habet Ecclesiam magnificentissimam, in cuius fornice corpus D. Vincentij Leuitæ & martyris summa cum reuerentia asseruatur; Ad radicem verò huius summæ Ecclesiæ, paulò inferius occidentem versus interposita platea, sacellũ diui Antonij, quem Paduanum vocant, admirabili structura, & mira elegantia elaboratum, sese nobis offeret, olim ipsius diui Antonij parẽtum habitaculum, in quo quidem ipse natus educatusq; fuit, super cuius sacelli epistylium domus Ciuica seu vrbana curia constituta est. Plures montes ac valles magnitudine amplectitur, cuius potissima celeberrimaq; pars orienti opposita est; qua potissimum parte, suscepto iam Tago, pelagus in latitudinem milliã passuum sex patet. Vrbis igitur Olisiponis initium ab hac parte, qua meridiẽ respicit, verus regia amplissima, magnificoq; opere pulcherrima, efficit, quam ad Sanctos nostri nuncupant. Nomen inditum loco quòd longo temporis spatio, corpora Sanctorũ Martyrum Verissimi, Maximæ ac Iuliæ ibi recondita fuerint, donec sub Ioanne Rege, eius nominis secũdo translata alio fuêre. Qui quidem diui, dum Christum Dei filium, orbisq; seruatorem constanter profiterentur, sub Romano Præside Olisipone passi sunt. Inde obliquo aggere, saxoq; constructo, ad Vastaliũ templum, cui diuæ Mariæ Spei nomen est, per cliuũ sensim depressum itur, vnde rursus eadem via in aduersum montem conscenditur, cuius in tergo, sacellum diuo Rocho nuncupatum cõspicitur. Eodem deinceps tractu, in vallem amœnissimam, mœnibus vrbis contiguam hortisq; vndiq; consitam est descensus, quæ à sacello Eremitarum, diuo Antonio consecrato, nomen olim sumpsit: nunc verò ijs exclusis, ab annuntiatione Angelica Deiparæ Virgini facta nomen habet, & à Vestalibus Dominicani instituti inhabitatur. Mox pari accliuitate collis nascitur, densissimo oliueto obsitus, vt non facile introrsus inspici possit; A superiori verò parte apertus, & sacello D. Annæ recens dicato, ornatus, quod summa cum religione & reuerentia magna itẽ populi frequentia, ab omnibus hodie visitur & colitur. Ab hoc subinde per agrum compascuum, leprosaria, foroq; boario interiectis, in aliam vallem non minus fertilem iucundamque deuenitur; Quæ Maurusia, nuncupatur, ex eo, quod post recuperatam de Saracenis vrbem eo loci permissi sunt Mauri habitare. Cuius sinistram partem, quæ ad septentrionem vergit, vbi campi D. Barbaræ incipiunt Angelorum sacellum diuidit. Supra vallẽ hanc orientem versus mons excelsus imminet, recto difficilique ascensu, à quo fanum D. Mariæ Montanæ, quod in summo montis culmine sitũ est, nomen accepit. Ab hoc præterea modico flexu vtcumq; directo itinere ad vrbem reditur, statimque obuium fit templum vetustissimũ Augustinensium monachorum, diuæ Virgini gratiarum sacrum, introrsus eidem vrbis muro adhærens. Exinde porrò præteritis ditissimo cœnobio Vincentio leuitæ & martyri dicato, canonicorm D. Augustini, atque Gymnasio non ita pridem celebri, antequam Rex Ioannes Tertius illud Conimbricam transtulisset, ad ripam Tagi decurritur, quæ aquilonare vrbis cornu ab ea parte efficit. Qua parte amplissimũ, nobilissimumq, Vestalium D. Claræ cœnobium ad fluminis crepidinem fermè attingit, indeq; aduerso itinere, sacelloq; D. Virginis Paradisiacæ interiecto, ad primam vrbis portam, quæ Crucis dicitur, iter est. Ab illo autem Claræ templo ad regiam veterem, quam ad Sanctos antea nominari diximus, vbi meridionale vrbis cornu posuimus, rectus margo, secundo mari, ab oriente æstiuo incipiens, in meridiemque excurrens, millia passuum tria fermè efficit. Eo igitur modo, latus hoc vrbis mari alluitur, reliquæ tres partes aditum habent à terra. Itaq; collibus quinque, vallibus totidem feracissimis & iucundissimis, vrbs tanto spatio complectitur, ita vt vniuersus eius ambitus septem millibus passuum designari possit. Interioris verò vrbis amplitudo & magnificentia tanta est, vt cum cæteris omnibus Europæ vrbibus, & hominum multitudine, & ædificiorum pulchritudine & varietate meritò contendere possit: Domorum siquidem amplius quã viginti millia inesse, earumq; ingens multitudo, tam principum virorum, nobiliumque quam etiam priuatorum hominum, eleganter & sumptu propè incredibili constructa est, adeò vt etiam parietes intrinsecus, fornicesque ligno Sarmatico vndique vestiti, vermiculato opere, auro varijsq; coloribus adhibitis exornentur. In litore fontes quàm plurimi ex diuersis vrbis partibus per ductus subterraneos oriũtur, è quibus populus aquationem facit. Ad reliqua igitur vrbis ornamenta breuiter ac summatim delibanda veniamus, atq; vt antiquam in summa arce regiã, quæ in æditiore vrbis parte posita est (opus ipsam antiquitatem verè repræsentans) omittamus.


Olisipo septem inprimis ingentibus ædificijs, singulari regum nostrorum consilio, sumptuq; incredibili magnificẽtissime extructis, hoc tempore illustratur. Horum primum, vt à religione initium faciamus, Misericordiæ templum est quadrato vndiq; lapide eleganter extructum, non infinito prædiorum censu, ac prouẽtibus annuis vberrimis, quemadmodum pleræq; omnes nostræ ætatis basilicæ, sed sola optimatum ac piorum hominum benignitate ista sustentatum, vt propè fidem superet, quantum in annos singulos ex collatitia stipe in pauperes impendatur. Huius qui curam gerunt, Sodales, siue vt expressius dicam, Fratres Misericordiæ nuncupantur, quibus propter & generis & nominis claritatem, & summam etiam pietatis probitatisque existimationem negotium defertur. Siquidem illi omnes communi consilio, parique animorum voluntate illud Misericordiæ ærarium administrant: quod ex fortuitis tantummodo hominum piorum largitionibus, eleemosynisq; conflatum est, ex quo summa sodalitij fide & integritate, nullo habito personarum delectu, egentium omnium inopiæ consulitur ac prouidetur, præsertim puellarum, quibus inde, iuxta cuiusq; qualitatem dotes in matrimonium conferuntur: Tum etiam eorũ qui graui aliquo incommodo, aut calamitate pressi, vitam in mærore, rerumque angustia trahere coguntur. Quo fit, vt multorum tam incolarũ quam exterorum mentes, ad largiendum alliciat, perpetuus ille ordo, incorruptaq; ratio ærarij, quotannis in pauperes exhauriendi. Nihil enim in eo pecuniæ vltra annum tempus asseruari fas est, nec item prouentus habent, nec ex instituto legibusque sodalitij habere licet. Quod sanè eo magis admiratione dignum videtur, quod ex ærario amplius viginti quatuor ducatorum millibus in singulos annos constet egentibus erogari, quin nonnullis annis numerum quadraginta millium æquasse vel superasse compertum est.

Secundo loco sequitur alterum misericordiæ, ac humanitatis exemplum, valetudinarium videlicet commune pauperum infirmorumq; hominum, nomine Omnium Sanctorum, non magnificentia ædificiorum, non sumptuũ magnitudine; non deniq; benignitate erga pauperes, varijs corporis morbis conflictatos & expositos infantes, quos nutriendos alendosq; curat, priori illi cedens. Id quatuor diuiditur claustris hortisq; amœnissimis, porticibusque quatuor & triginta, quibus circumcirca continenter adhærent ædes magnificæ, triclinijs, lectis, culcitrisque mundissimis decenter ornatæ. Ibi pauperes ægrotantes benignè liberaliterque excipiuntur: nec nisi recuperata in integrum valetudine inde dimittũtur, dato insuper quibusdã viatico, quo se nõ paucos dies, dũ firmiores, valẽtioresq; affecti fuerint, sine vllo labore ac molestia subleuare possint. His porrò quæstorum, curatorum, medicorum, pharmacopolarum, cæterorumque ministrorum domus rectè distinctis ordinibus coniunctæ sunt, vt infirmis, si quis casus, necessitasve acciderit, præstò semper adsint, diesque noctesque pro se quisque sedulò diligenterque inseruiant: adeò, vt inter reliqua Regia xenodochia, quibus amplissimis celeberrimisque Hispania passim præter cæteras orbis Christiani prouincias referta est, hoc facile principatum sibi vendicet. Pro huius verò foribus, campus patet apertus, planus vndique quadrato ædium pulcherrimarum ordine circumdatus, à quo diui Antonij & Maurusia valles in deltæ literæ figuram se contingunt, ac diuersis postea plateis incorij bubuli similitudinem, detracta cauda explicantur, mare versus decurrentes.

Ad dexterum deinde eiusdem Xenodochij latus, medium inter aquilonem & occidentẽ, diui Dominici templum situm est, ac collegium celeberrimum, cuius ex aduersa fronte campo interiecto occidentem versus, tertium extat monumẽtum à Diuo Petro, Ioannis Regis huius nominis

Olissippo quæ nunc Lisboa, ciuitas amplissima Lusitaniæ, ad Tagum. totiꝰ Orientis, et multarum Insularum Aphricæque et Americæ emporium nobilissimum.

121 Sacellum D·N·consolationis super portam ferri. 122 Templum sancti Anthonij de Padua.
123 Templum Misericordiæ.
124 Sacellum sancti Spiritꝰ de alfama.
125 Templum sancti Martini. 126 Templum sancti Blasij et sanctę Luciæ.
127 Templum sancti Ludouici.
128 Templum sancti Spiritꝰ da pedreira.
129 Ermita D·N· do monte.



Nonnulla alia.
130 Moles lapidum vulgo Cais da pedra.
131 Carcer priuatꝰ Ciuitatis vulgo tiongo.
132 Domꝰ monetę. 133 Palatium Ducis de Aueirnoa. 134 Pala Ducis de Gragança. 135 Palatium Marchionis de Vila real. 136 Palatium Comitis de Portalegre. 137 Palatium Comitis de Redondo. 138 Palatium Comitis de Linsare. 139 Praca dos Canos. 140 Sacellum D·N·da Palma. ◎ Putei publici.

Septentrio
Occasus
Oriens
Meridies

Campus S. Claræ

Tagus fluuius

Insigniora vrbis Olissiponæ. Regiæ.
1 Castelli regia vulgo pacos do Castello. 2 Ripę regia vulgo pacos da Ribeira. 3 Statuum regia vulgo pacos des staos vbi nunc est Inquisitio. 4 Sancti Eloi regia vulgo pacos de santo Eloy. Alia insignia. 5 Regium portorium vulgo Alfandega. 6 Domꝰ frumentaria vulgo terreiro do tugo. 7 Domꝰ Indica vetꝰ. 8 Domꝰ Indica noua. 9 Armamentarium vetꝰ nunc Atrium regiæ. 10 Hospitale omniũ Sanctorũ. 11 Platea amplissima quæ vulgo Rosio dicitur. 12 Platea q̃ vulgo pilourinho velho dicitur. 13 Via noua mercatorũ amplissĩa 14 Fons vberrimꝰ sex canalibꝰ deriuatꝰ vulgo chafaris del bei. 15 Forũ olitoriũ et piscatoriũ vulgo Ribeira. 16 Domꝰ Senatoria vbi carcer publicꝰ q̃ vulgo Limoeiro dicitur. 17 Castellũ ciuitatis. 18 Circuitꝰ in fumatis montis moenibꝰ circumdatꝰ, q vulgo alcacoua dicitur. 19 moles Carbõis vulgo Cais do caruaõ. 20 Fornaces ad conficiendum calcem. 21 Moles lignorũ, vulgo Cais da madrª. 22 Locꝰ vbi rudentes nauiũ cõficiuntur vulgo Cordoaria noua 23 Scholæ generales vbi antiquitꝰ scientię profitebãtꝛ nunc sunt Conimbricę. 24 Paco de madeira. Monasteria fratrũ. 25 Monasteriũ S·Francisci ordinis Fraciscani. 26·Monast. S·Marie do carmo Carmelitarꝫ. 27 Monast. Trinitatis. 28 Monast. S·Dominici pdicatorꝫ. 29 Monast. S·Eloi ordinis sancti Joannis. 30 Monast. S·Vincentij Canonic: regulariũ. 31 Mon. S·Marie da graca, ordin·Augustan: 32 Collegiũ sancti Rochi Jesuitarꝫ. 33 Collegiũ et Scholę S·Antonij Iesuitarũ. 34 Collegiũ orphanorũ. Monasteria Vestaliũ. 35 Monast. Saluatoris. 36 Monast·D·N·da Rosa. 37 Monast·D·N·da nũciada. 38 Monast·D·N·da esperanca. 39 Monast·sanctę Anæ. 40 Monasterium Sanctę Claræ. Portę in veteri vrbe. 41 Porta ferri. 42 Porta maris vetꝰ nunc vulgo postigo da Rua das Canastias. 43 Porta maris ad S·Joanem. 44 Porta fontis regij vulgo portido do chafariz del Rej. 44* Postigo do conde de linharꝫ. 45 Porta sancti Petri. 46 Porta Solis. 47 Porta alfofę. 47* Porta sancti Georgij. 48 Porta de dom fadrique. 49 Porta do Monis. Portę in noua vrbe. 50 Porta sancti Laurentij, vulgo postigo de S·Laur: 51 Porta quę vulgo dicitur da mouraria. 52 Porta q̃ dicitur portigo da Rua de palma. 53 Porta quæ dicitur do Jego dapela. 54 Porta sanctę Anæ, vulgo postigo de sant Ana. 55 Porta sancti Antonij vulgo de santo Antana. 56 Porta q̃ dicitur da strebaria del Rej. 57 Porta sancti Rochi vulgo portigo de san Roque. 58 Porta q̃ dicitur postigo da tindade. 59 Porta sanctę Catharinę. 60 Porta Ducis Bragãtię. 61 Porta q̃ dicitur do Corpo santo. 62* Porta q̃ dicitur dos Cabertes. 62 Porta quę dicitur dos Corte reais. 63 Porta Auri. 64 Porta quę dicitur do almazem. 65 Portę quę dicũtur arcos dos pacos 66 Porta q̃ dicitur portigo da moeda. 67 Porta quæ dicitur arco dos pregos. 68 Porta q̃ dicitur arco dos barretes. 69 Porta ripę vulgo porta da Ribeira. 70 porta q̃ dicitur portagem. 71 Porta noua Maris. vulgo porta do mar. 72 Porta do chafaris dos caualos. 73 Porta q̃ dicitur postigo da peluora. 74 Porta da Cruz. 75 Porta S·Vincentij. 76 Porta q̃ dicitur portigo de san Vincente. 77 Postago de nossa Snorã da graca. 78 Porta de santo Andre. 78* Postigo dalfama. Ecclesię parochiales. 79 Templum maximũ sedes Archiepiscopalis. 80 Templũ sancti Juliani. 81 Temp·S·M·Magdalenę. 82 Tem D·N· a conceptiõe. 83 Tem·S·Nicolai. 84 Tem·S·Iustę. 85 Temp. S·Mathię. 86 Tem·S·Sebastiani da mouraria. 87 Temp·S·Anthonij in Collegio Jesuitarũ. 88 Tem·S·Laurentij. 89 Tem·S·Christophori. 90 Tem·S·Mametis. 91 Tem·S·Georgij. 92 Tem·S·Bartholomei. 93 Tem·S·Jacobi. 94 Temp·S·Spiritus. 95 Tem·S·Crucis. 96 Tem·Saluatoris cum monasterio Vestaliũ. 97 Tem·S·Thomę. 98 Tem·S·Andreę. 99 Tem·S·Marinæ. 100 Tem·S·Vincentij in monasterio. 101 Tem·S·Stephani. 102 Tem·D·N·do paraiso. 103 Tem·S·Michelis. 104 Te·S·Petri. 105 Tem·S·Ioannis dapraca. 106 Tem·S·Sebastiani da padaria. 107 Templũ martyrũ. 108 Tem·S·Pauli. 109 Tem·D·N·da Esperanca in monast. Vestaliũ. 110 Tem·D·N·do loreto. 111 Tem·Trinitatis in monasterio. 112 Tem·dnę nrę da Escada. 113 Tem·S·Anę in Monasterio. 114 Tem·fideliũ dei. 115 Temp·S·Catharinę. 116 Tem·das chagas. 116* Tem·D·nrę da Vitoria. Alia templa vel sacella. 117 Sacel·D·N: 118 Sac. Corporis sancti. 119 Sac·S·Thomę. 120 Sac·D·N·Oliuæ.

nominis primo filio, sumptu publico constructum, domus reuera amplissima mirificoq; opere admodum conspicua. Quam eo tantũ consilio inibi, dum Alfonsi quinti, sui ex fratre nepotis, regni regimen sustinuit, extrui imperauit, vti exterarum gentium Regnumque Legatis, eo loco hospitium præberetur, publicisque sumptibus ibidem liberaliter magnificeque exciperentur. Inde si recto itinere ad littus ire perrexeris, relictis ad dexteram in loco eminẽtiore cœnobijs Carmelitarum, Franciscanorum, ac ordinis Trinitatis, magnifica, sumptuosaque structura nobilissimis, regiam nouam plateam, anaglyptarijs, cælatoribus, vascularijs, fabris argentarijs & ærarijs, aurarijs, item argentarijsque refertissimam præteriens, in aliam eodem pariter nomine nouam mercatorum, continuò flectens ad læuam; deuenies, cæterarum omnium longè latissimam, ædificijsq; pulcherrimis vtrinque exornatam. Illuc omnibus ferè ex partibus orbis & gentibus, quotidie mercatores certatim conueniunt, maximo hominum concursu atque frequentia, propter commerciorum portusque opportunitatem. Eademq; via contra septentrionem progredienti ad læuam portorium vetus obijcitur, vbi pro mercibus importatis, publica Regi vectigalia nuper pendebantur. E regione huius portorij forum, quod veteris pali vocatur, apparet.

Dehinc recto itinere ad templum Misericordiæ iter est, contraque eius vestibulum ex orientali latere quartum apparet ædificium, regis Ioannis, hoc nomine tertij; perpetua memoria dignissimum. Duplex nempe magnificarum ædium structura totidem porticibus, vtrinque triginta duobus arcubus, octogintaq; cellis exornata, angusta, æqualiq; areola interiecta, quam Domum frumentariam Reip. ac quasi Lusitaniæ nutricem meritò nominare possis. Ea siquidem mente horreum ibi publicum à Rege optimo ac prudentissimo constitutum est, vt sublato frumenti leguminumq; omnium portorio, quod non sine fisci magno detrimento, ipse omnium Regum Lusitaniæ primus plebi elargitus est, Speque ingentis quæstus mercatoribus proposita, frumentum vndique ab eis conuehitur. Eo pacto breui plebs annoniæ caritate subleuatur. Quod sanè magno Reip. commodo factum esse nuper experti sumus.


Post huius tergum, nouum Portorium inhæret, ipsam maris crepedinem attingens, immanis quædam lapidum moles, tignis trabalibus confertim immissis, ac fistucationibus in mare adactis suffulta, Regisque eiusdem iussu sumptuq; constructa, cui merito ob ædiũ magnificẽtiam & operis pulchritudinem, quintum in hoc ordine locũ tribuendum esse duximus. Eodem tractu secundo mari, campus latus admodum inest à noua Portorij horreique structura, tum à septentrionali, tum ab occiduo latere pulcherrimam ædij serie circumseptus, tum maximè à meridionali porticu iucundissima aspectu, ad litus vsque ornatu summo deductus. Nam aliud latus, quod orientem hibernum respicit, mare includit. In eo forum inest piscarium, vnaque forum cupedijs constitutum, quo cetarij, fartores, cupedinarij, lanij, panifices, dulciarij, gregatim quotidiè concurrunt, omnia, quæ ad vrbem vescendi caussa afferuntur, vendentes. Præterea propolarum, institorum, cauponum, stabulariorum, linteorumque tabernæ ibidem instructissimæ visuntur. In hoc verò piscario foro, certa quantitas corbium deposita est, magistratuum edicto, quibus cymbis piscatorijs appulsis, pisces à mediastinis in forum ad venditrices aduehuntur. Hi quidem corbes singulis annis à magistratu piscatoribus plus minus duobus millibus ducatorum locantur. In huius verò campi occiduo sinu, eodem piscario foro à tergo relicto, mercatuque panificum, holitorum, fructuum venditorum, aucupumque interiecto, nec non macello domus, quam Septensem nominant, sita est, in qua regij præfecti negotia ad bellum Africanum spectantia expediunt.

Non procul præterea ab hac domo, contiguo ædium ordine, sextum monumentum, opere admirabili factum extat, præda, spolijsq; multarũ gentium regnumq; refertissimũ, quod ab Indicis, negotijs, quæ ibi pertractantur, domum Indicam vulgus appellat. Attamen meo quidem iudicio, aromatum, margaritarum, carbunculorũ smargdorum, aliarumq; eius generis gemmarum, quę quotannis huc ex India deportantur, emporium copiosissimum, tum auri quoque & argenti facti infectique horreum amplissimum veriùs appellare poteris, quòd cellas ibi quã plurimas miro artificio atq; ordine distributas, maxima omniũ harũ rerũ copia affluentes, ab omnibus conspici posse palam est, vt mehercules, fidem res superatura sit, nisi id omnium oculis obijci, manibusque in horas pæne contrectari videremus. Proinde ex regia quam ibi desuper D. Emanuel amplissimam & sumptuosissimam sibi fabricatus erat, porticus latissima, velut musculus, in mare prorumpit, in cuius fronte ad orientem versus, turris, vndiq; quadrato saxo mirè exculta, litori imminet. Ad hoc ibidem in ipso litore aliud ædificium opere mirabili à fundamentis facere incepit potentissimus Ioannes III. Rex.

Postremò ei regiæ, quam diximus Emanuelem ædificasse è regione huius nouæ instructuræ, occidentem versus, platea interposita, contiguum est septimum vltimumque publicum monumentum, cellis quàm plurimis, ac triclinijs quaque versum artificiosè fabrefactis instructum, vt ob interiorum ędium multiplices recessus, aditusq; diuersos Labrinthum esse vere existimes. Ibi Reges Lusitanię armamentarium, ingenti armorum omnis generis copia refertum constituerunt, machinarum item & tormentorum, tum rerum omnium, quæ ad bellum terra marique gerendum pertinent apparatu, adeò instructum, vt cæteris omnibus, quæ Europa Asiaue hodie instructissima copiosissimaque habere fertur, & multitudine machinarum, & infinito armorum telorumque numero facilè præstet. Id verò hoc argumento me cuiuis facilius probaturũ puto, quòd rex in ordinarijs tantũ naualibus expeditionibus, naues plures ducentis omniũ generũ perpetuò instructas, optimeque armatas in Asia, Africa, Europaq; habere cogitur. Tribus autem harum ædium, cellis, quadraginta millia peditum armatorum corpora ac tria millia cataphractorum integra quasi ex deposito diligentissimè, nitidissimeque custodiuntur, præter ea quæ ad quotidianos & extraordinarios motus depromuntur. Bombardici quoque generis Mortarios, Scorpiones, Basiliscos, Leones, Colubrinos, Camelos, Petrarios, Dispersores, Ruptoresque inusitare magnitudinis & ponderis, tum reliquorum etiam vulgarium missilium quos Falcones, Bercios, Scloppos que vulgus appellat. Pulueris item & globorum, tam ex saxo, quam ex ferro, tantam vim & copiam asseruari compertum est, vt si singulas omnium, diuersasque formas, numerum, pondusque per partes explicare coner, verear ne falsa ijs, pro veris huic narrationi videar inseruisse, quibus hæc legendo duntaxat, vel audiendo percipere sufficiet.

Ad reliquum ergo pergamus. Vrbs ex ea parte qua muris Tagus adluitur, vt paulò antè demonstrauimus, vtpote nobilissima eius parte, portis duabus & viginti distinguitur: pars verò quæ continentẽ respicit, sedecim, quibus omnibus, propter infinitã hominum multitudinem, eiusq; ambitum latissimum, maximè indigere videtur. Turribus autem per murorum gyrũ septuaginta septem munitur. Templa verò quæ à Gręcis, pareciæ appellantur, in quibus Sacramenta fidelibus omnibus subministrantur, quinque & viginti numerantur, præter ea quæ plurima monachis, Anachoretis, vestalibusq, virginibus sunt attributa. Huic loco nonnihil in laudem Ecclesiasticæ Musicæ adijciam, idque verissimum, compertissimũq; inter omnes ciues habetur. Nempe quod in præcipuis anni festis diebus, ex ipsa vrbe Olisipone vltra triginta absolutos cantorum choros, ad sacra modulato cantu in pagis, villisq; circumuicinis canenda, vna die cuncti exeant, omnibus vrbis templis, in quibus musica modulata canitur, ex eo nihil detrimenti ad suas celebrandas festiuitates capientibus. Societates vero, quas Confraternitates vocãt, CXXXI. sunt, in quarũ vsum, ingens à sodalibus quotannis conflatur pecunia, quæ in pauperes & alios vsus necessarios summo ordine elargitur. Quod autem ad loci situsq; salubritatem & aeris temperamentum attinet, tanta certè solis cæliq; clementia & amœnitas est, vt nullo ferè vnquam anni tempore, nec æstas nec hyems immoderata sentiatur: quo factum est, vt multi mortales ex diuersis nationibus, terrisq; remotissimis, cœli puritate perlecti, illuc commigrarunt: derelictoque solo natali, & patriæ cura posthabita, perpetuam ibi sedem vitæque domicilium posuerint. Vrbis verò territorium, suburbanis, rusticisque villis ædificijsque magnificis, quocuuque oculos verteris propter agri fœcunditatem, vndique refertum videas, tanta etiam hominum frequentia, vti secundis iampridem rebus perpetuaque pace cũ finitimis parta, complures tam ruri potius quàm in vrbe commorandi desiderium teneat. Agros enim passim, non vicis pagisq; solùm, sed templis etiam claustrisq; innumeris & ornatissimis frequentari, cum tanta animi voluptate videre licet, vt villæ tam rusticæ quàm suburbanæ numerum sexcentarum excedant. Pagos verò qui ab vrbis Magistratibus ius petere coguntur, ducentos quadraginta numerant, inter quos sex & triginta priuatis proprijsque iudicijs ac prætoribus vtuntur, suisq; opidanis iuris dicendi potestatem habent, incolarumque controuersias per se omnes dijudicant & finiunt, nisi cum de causis capitalibus grauioribusque agitur: Tunc enim ad summum vrbis magistratum prouocatur, eiusque sententiam requirere compelluntur.

BRACARAE AVGVSTAE.



BRACARAE vnam de antiquioribus Hispaniæ vrbibus à Gallis Celtis, cognomento Braccatis, fuisse conditam, fama est, anno ante virgineum partum ducentesimo nonagesimo. Hanc annorum 40. obsidione tandem expugnatam sub sua ditione, annis ferè quingentis Romani tenuere, cui & Augustæ nomen indiderunt. Fuit in hac vrbe primum Iuridicus conuentus, vnus è septem, citerioris Hispaniæ veteri more instituto que Romano, vnde auctore Plinio vrbes quatuor & viginti ius petere consueuerant. Hinc ab Antonino Pio quinque itinera militaria in varias Hispaniæ partes describuntur. Hanc vrbem Ausonius poëta diuitem, atque opibus florentem vocat. Sed & priscis maiorum annalibus perscriptum extat, regum Sueuorum antiquam sedem fuisse Bracaræ annis 70. supra centum, & sub Gothis annis 127. floruisse, quam & Alfonsus huius nominis primus, cognomento Catholicus, Hispanorum Rex primam inter omnes Hispaniæ Metropolitanas vrbes, ex Saracenorum tyrannide in pristinam libertatem vindicauit, anno 740. Hic Regum Portugaliæ primus sator Henricus Comes (Guidonis Comitis Vernohensis & Brionensis filius) Alfonsi Henrici primi Lusitaniæ Regis pater, in templo maximo, quod ipse erexerat, sepultus est. Sed longe maius vrbi decus è rebus sacris accedit. Nam Christi Opt. maximi fidem complexa est D. Petro S. Iacobi Maioris discipulo prædicante, vix post annum decimum, quo idem Dominus subacta morte in cælum victor ascenderat. Colit igitur Bracara, vt patronum, eundem Diuum Petrum martyrem suum primum Archipræsulem, vna cum tribus alijs suis itidem S. Pastoribus. Martino, Fructuoso, & Gerardo: quibus veluti quatuor columnis Bracacensis Ecclesia fulcitur & fulget. Multum sanguinis olim pro Christo effudit, diues octo Sanctorum corporibus, alijsque innumeris reliquijs, ornata templis, nobilitata Patrum concilijs, decorata sodalitijs rite institutis, totius Hispaniæ primatum antiquissimo iure sibi vendicat; qua de re cum Toletana sede vetus ei lis est, & contentio: cuius meminit Honorius III. in cap. Coram, De integrum restituit. Quæ tamen lis ab eiusdem Pont. Max. tempore ad nostram vsque ætatem silet. Posita est Bracara in ea parte regni Portugaliæ, quæ regio Interamnis dicitur, à duobus quibus clauditur, fluminibus. Durio & Minio memorabilibus. Est in quinto climate, gradus habens longitudinis 6. latitudinis duos & quadraginta ac semis, distatque ab Oceano quinque leucas. Ciuitas pleno iure suo Archiepiscopo paret, siue spiritualem iurisdictionem spectes, siue temporalem, multò quondam frequentior, nunc incolarum numerat ad duo millia. Fruitur magna cæli, aërisque clementia, insigni agrorum vbertate, & amœnitate quod ei beneficium commune est, cum hac tota regione Interamni. Hæc & alia complura de hac vrbe scitu digna in nostra Metropoli Bracarensi inueniens, quam Deo dante in lucem edere meditamur illustrissimi primatis Augustini auspicijs cuius etiam iussu & auctoritate vniuersam diœcesim perlustrauimus & in tabula non omninò negligenter expressimus montes, vrbes, fluuios, oppida, parœcias, ædiculas, ac itinera geographica delineantes.

Hæc Caspar Aluarus Machiadia, Historiographus S. Bracarensis Ecclesiæ.

Alestes fluuius, cuius fontes in Spino monte quatuor à Brac. August. miliaribus distant, vallem amænissimam vrbi adiacentem irrigat, multis hortis, pomarijs, pratis, viridarijsque excultam. Illud mirabile, arborem nullam ex Medicæ Mali generibus creat, quibus alioqui hæc tota Prouincia abundat. Vrbem alluit, atque in Auum, maioris famæ fluuium prope antiquuum oppidum Villam Comitis influit. Hunc & falsò quidam Zethen vocant.

B. Via, in Vimarianum oppidum S Pontificis Damasi ortu clarissimum. Hæc via vna est ex quatuor, quas Ant. Imp. Bracara Asturicam descripsit.

C Via antiqua Imperatoris Antonini, in quas calidas, vulgo Orense.

D B. Annæ ædicula, quam columnæ XII. à Prætoribus Ro. varijs quondam in locis erectæ, literisque incisæ, cingunt, atque exornant.

E Fons amœnissimus in medio luci, quæ & Silua Primatialis, perdicum ac leporum abundantia celebris.

F. Vrbis præsidium.

G. Seminarium Adolescentum, ad narmam Tridentini Concilij erectum.

H In hunc locum Reuerendiss. Augustinus Archiepiscopus, nouum sacrarum virginum cœnobium transfert.


I In hoc loco, quondam Romanorum cœmiterium fuisse creditur, Nunc, Campus Vineæ dicitur.

K Hæc via vna ex quatuor est, quas Ant. Imp. Brac. Asturicam descripsit.

L Hic Vrbis Arcum Romanorum tempore fuisse fama est.

M S. Sebastiani ædicula, vbi forum Romanorum fuisse constat.

noua BRACARIE AVGVSTE descriptio.





Alestes fluuius cuius fontes in Spino monte 4.or a Brac. Aug. milliaribus distant, vallem amoenissimã vrbi adiacētē irrigat multis hortis, pomarijs viridarijsq exculta. illud mirabile, arborē nullã ex medicę mali generib. creat, quib. alioquin hæc tota prouincia abundat. Vrbem alluit, atq in Auū maioris famę fluuiū prope ãtiquū oppidū Villã Comitis influit. hunc falso quidam Sethen vocant.

Hic vrbis arcem Romanorum tempore fuisse fama est.

a. Seminarium adolescentium ad normam Tridentinę Synodi erectum.
b. In hunc locum dñs August. Archiep. nouum sacrarium virginum coenobiũ trãsfert.
c. In hoc agro quondam Romanorum coemiterium fuisse creditur. nunc campus vineæ dicitur.
d. Hæc via vna e quatuor quas Anthonin. Imp. Brac. Asturicã descripsit.
e. Horti publici oleribus vernantes.



CONIMBRIA.



CONIMBRIA, vulgo, Coimbra, olim Regni Portugalliæ caput, Veteribus quibusdam, Calabria, aliis Colimbria, siue Colibria, etiã Coimbria Isidoro & Rosendio nuncupata, multis naturæ & artis decorata splendoribus. Nam loco amœnissimo in rupe sita, vndique oliuarum syluis, veluti Athenæ, quarum vicem hodie quasi sustinet, vinetisque cingitur; Ad Muliadam, siue Mondam, alias Mondegam, fluuium nobilem, sita, qui duas separatas vrbis partes ponte coniungit, qui sane fluuius, præter Tagum & Duriam, in Lusitania præcipuus est: distat hæc vrbs ab huius fluuii ostio, quod ad occasum est, octo leucis, itinere per agros fertilissimos, frugumque feracissimos læto. Paruis interim cymbis, præsertim verno tempore nauigatur, tantam quippe arenæ copiam, præsertim verno tempore, secum trahit, vt cæcis vadis multis in locis abundet. Ripa vero, ea ex parte, vbi monasterium S. Francisci est, silicibus referta, amœnissimas deambulationes efficit. Nam etsi Lusitaniæ ager, plerisque in locis horridus, argillosus, ac sterilis, huius tamen vrbis territorium, totius Regni optimũ præstantissimumque censetur. Montes, quos habet vicinos, Strade Alioba, patriotæ nominant, oliuis, vinetis, & omnis generis fructiferis arboribus, ad delectationem, & cõmodum referti. Quin & multis limpidissimæ aquæ fontibus Conimbria irrigatur, præcipue vero aquæductu celebri à rege Sebastiano anno Salutis M. D. LXXII. maximo sumptu perfecto. Ex illo enim, ad altiorem vrbis collem, qui à tergo Regiæ est, vbi forum studiosorum existit, tanta clarissimæ & dulcissimæ aquæ copia in stagnum marmoreum infunditur, vt per omnes plateas totius anni tempore quasi torrens, ad varios ciuium vsus, & multas commoditates deriuetur. Quin & maiore fœlicitate Conimbria præstat, cathedrali optime fundata ecclesia, & vniuersali præstantissimarum artium studio, quod & loci amœnitas, & variæ præstantissimarum artium professiones commendant. Ibi enim Regiis stipendiis, Theologiæ, vtriusque Iuris, & Medicinarum Facultatis Professores liberaliter fouentur, ac salariantur. In quarum singulis, vt quotidianis prælectionibus Studiosi in officio contineantur, quatuor sunt Doctores ordinarii, qui accuratissimis & assiduis lectionum ac disputationum exercitiis, ad nitorem ac summam elegantiam, Studiosorum ingenia expoliunt. Sunt etiam publici & peculiares eruditarum linguarum professores, humanitatis vero scientias, Patres Societatis IESV accurata industria, & magno profectu docent, qui iuuentutem simul in pietate, & bonis literis erudiunt. Sunt hic etiam quatuor artium cursus, Louanienses Pædagogia; Colonienses, Bursas; Alii, Collegia nominant, in quibus Philosophica, Metaphysica, & Mathematica præleguntur. Sunt & alia à Prælatis, magnisque viris dotata, & instituta Collegia, quorum descriptio nimis longam narrationem exigit. Horum appellationes, in ipsa lamina, siue pictura, exprimuntur. Studiosi omnes, antiquas modestiæ, grauitatis, & scholarum leges in habitu obseruant, togati namque incedere coguntur, Magno, frequentique sunt numero. Priuata, à ciuibus separata, ac priuilegiata iurisdictione gaudent. In qua ædiles, præfectos, & iustitiæ administratores ex ipso Vniuersitatis gremio eligunt, Qui etiam in peculiari Vniuersitatis foro, pro tribunali præsident, ius dicunt, Et rerum venalium precia moderantur.

Septentrio

Illustris ciuitatis CONIMBRIAE in Lusitania ad flumen Illundam effigies.

mm. Comitis Palatium
nn. Domus hospitalis iuxta forum.

Occidens

Oriens

Campus Arnado

Flumen Illunda vulgo Mondego

Meridies

A·regia, in qua sunt publicae scholae omnium facultatum. B·antiquum castrum. C·porta quę dicitur castri. D·aquæductus copiosissimæ aq̄ à rege Sebastiano constructus. E·templum maius sedis Episcopalis. F·columnæ antiquæ Romanorum. G·templum S·Christophori. H·porta Almedinæ. I·Collegiũ Iesuitarum. L·Schole Iesuitarum bonarũ literarũ, q̄ adhuc ædificatur. M·templũ corporis Christi. N·templũ S·Ioannis. O·supra dictum tēplũ aliud templum Misericordię. P·forum. Q·fons fori. R·porta quæ vocatur Portagem. S·templum monasterij sanctę Crucis canonicorũ regularũ. T·fons Sampsonis. V·fons plateę sanctę Crucis. X·hic fuit olim Collegiũ Iesuitarũ vbi bonę l̃rę docebantur, et dicebātur scholę minores, nũc verò carcer Inqsitionis. Y·Collegiũ Carmelitar̃. Z·Collegiũ Bernardinor̃. aa·Collegiũ Augustianor̃. bb·Collegiũ p̃dicator̃, vbi tēplũ ãplissimũ ędificari est coeptũ, sed pp vapores noxios lacꝰ q̄ ibidem est, et illuuiões fluuij desitũ est ędificari. cc·Templũ scte Justę. dd·pōs marmoreꝰ ãplissimꝰ. ee·Insula in q̄ erat coenobiũ sctę Anę, sed pp illuuiões fluuij dirutũ. ff·Monasteriũ S·Fracisci arena fluminis quasi obrutũ. gg·Monasteriũ sanctę Claræ Virgin. hoc loco situ. hh·via sanctæ Sophiæ, et porta eiusdem nois. ii·Via mercatorũ q̄ dicitur Calçaga à Portegē vsque ad tēplũ misericordię. ll·turres palatij Episc. iuxta forum Scholasticarũ.

GADES AB OCCIDVIS INSVLÆ PARTIBVS.



GADES, hodie Calis, in capite Hispaniæ Beticæ insula est, protensa secundum veteres instar fasciæ, sic dictæ, quasi terræ ceruix, propter continentis angustiam, vtrimque breue illud fretum constringentis. Continenti, quemadmodum nunc Peloponnesus, olim adhæsisse, & Isthmus fuisse putatur. Nam olim mare Mediterraneum inclusum fuit, nec Oceanus in illud, nec hoc in Oceanum influebat, eratque siccus transitus à Calpe monte in Hispania ad Abylam in Africa, qui Herculis columnæ appellantur fortasse quod ipse ibi mare in Oceanum emiserat: de qua re, & de onere, & de stagnatione, & fremitu, & tumore maris inclusi, multa Strabo, & lectu iucunda, & scitu digna operose scribit. Quod & Plinius, & Plato, & Seneca affirmant, qui de causis rerum, post multas multorum Philosophorum opiniones, tandem & ipse quoque de sua sententia adiungit. Sic & Hispanias à contentu Africæ, mare eripuit. Pari ratione & Sicilia ab Italia erepta, ac separata fuit, vtriusque rupturæ auulsionis hæc sunt Valerii Flacci carmina.

neq; enim Rex Æolus illic
Rector erat, Libyam cum rumperet aduena Calpem
Oceanus: cum flens Siculos Ænotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus vndæ.

Est in eadem insula, eiusdem quoque nominis vrbs celebris, cuius frequens est apud historicos mentio. Ante Herculis aduentum dicebatur Tartessus. Postea vero, quam Hercules ad eam peruenit, statuitque in ea columnas ad æmulationem alterius Herculis Ægyptii, qui alias columnas statuerat ad alterã Libyæ oram, secundum Diodorum libro quarto, ab ipsis columnis erectis, Gades Herculis insula, & illius vrbs appellata est. Hæc Priscianus. Quanquam Strabo libro tertio referat, Polybiũ dicere, eam regionem, quæ circa Bætim est, cognominari Tartessum. Gades vero prius Erythream vocitatam cum duabus adiacentibus insulis. Dionysius Alexandrinus insulam vocat maxime occiduam extremas Gades, in medio portarum quæ iuxta Iberiam sunt, vnde etiam Ibericæ vocantur teste Arriano. Est autem insula illa non multo maior centum stadiis in longitudinem, in latitudinem vero alicubi ad stadii vnius spatium patet. Gades vero in finibus Oceani sitæ sunt, nempe iuxta occiduum mare, Cotinusa prius ab hominibus vocata, quasi κοτινόεσσα, id est, multis, κότινοις, hoc est oleastris referta, postea vero Gades ab incolis dicta vbi Iouis filium Herculem coli ait: qui vel Thebanus erat Hercules vel iuxta quosdam Phœnix, id est Tyrius, nam & Phœnices olim in insulam illam colonias traduxerunt. Cum enim negotiatores essent Phœnices, & in omnes regiones nauigarent, ibi etiam habitarunt, Gadesque propter loci angustiam, quasi terræ ceruicem vocarunt, vt paulo ante est dictum. Quod autem Phœnices eo Colonias traduxerunt, Dionysius Alexandrinus indicat: Phœnicesque vsque in Iberam (inquiens) & Allam, & extra columnas colonias duxerunt. Arrianus etiam Tartesum ait à Phœnicibus esse conditam. Ælianus præterea in libello de Prouidentia: In Gadibus, inquit, ara Anno erecta est, aliaque Mensi, in honorem temporis breuioris & longioris. Est præterea apud eosdem (inquit) templum Senectuti extructum, quod ætati multa edoctæ hunc deberi honorem existiment. Aliud vero Morti, in communis quietis honorem, quod hic sit vltimus omnium terminus. Adhæc, ara apud eosdem posita & paupertati, & arti, illi quidem, placandæ eius gratia: huic vero, tanquam parato contra illam remedio futuro. Cæterum nauigandi quoq; peritia excellunt Gadium incolæ: vnde, licet in extremis sita insula, celeberrimum tamen est nomen sortita. Quin & Gaditanæ puellæ ab historicis olim commendatæ, quod ad qualemcunque musicum concentum & numeros, elegantes choreas, atque tripudia ducere norint. Quæ hac etiam ætate à maiorum festiuitate non degenerant. Sed Dionysium ipsum, quem aliquoties citauimus, de Gadibus loquentem audiamus.

Porro in medio sub vespertinis columnis,
Extrema Gades apparent hominibus.
Insula à circumflua, in finibus Oceani,
Ibi Phœnicum hominum genus inhabitant.
Venerantes magni Iouis filium Herculem:
Atq; hanc quidem incolæ, à prioribus hominibus.

Sed in hunc Gaditanum Herculem libet paulo accuratius inquirere. Quem, qualemcunque scriptores statuant, nos Herculem custodem, siue limitaneum, aut Herculem Marchusanum existimamus. Docte fabulantur Poetæ, Herculem, opera quæq; laboriosa atque ardua in vsum humanum perpetrasse, cum orbem terrarum peragrasset. Atq; ipsum monstra, non solum sustulisse, hoc est, subuertisse tyrannides, potentatus prauos coercuisse, atq; nefaria malignorum puniisse scelera, verum etiam desertis in terris, vrbes, oppida, & castra condidisse, portus & naualia construxisse, vias difficiles & imperuias muniuisse, damnosa auertisse flumina, & fluctibus marinis opposuisse claustra, hoc est, terminis, legibusq; iustis inter discordes populos diremisse bellorum semina, pacem atq; amicitias vbiq; conciliasse, negotiationibus atq; commerciis, inter ignotas & longe dissitas gentes viam aperuisse. Et, propter hæc similiaq; beneficia, templis vbiq; locorum, & diuinis honoribus cultum, cognominaque, vel à factis, vel à locis, in quibus colebatur, diuersa sortitum ferunt. Hinc Gaditanum Herculem dictum, quia in hac insula Geryones olim habitasse, à quibusdam existimatur, cuius armenta Hercules abduxerit: quem quidem Geryonem Hispaniæ Regem trimembrem finxerunt Poetæ, quia tribus insulis præfuerit. Et bicipitem habuisse canem, quia nauali & terrestri certamine plurimum potuerit. Hunc Herculem vicisse, qui ideo fingatur ad eum olla ærea transuectus, quod nauem habuerit fortem, & ære munitam. Cuius beneficii Gaditani memores, in altero insulæ suæ cornu, Herculi templum erexerint, ipsis religione, opibus, & vetustate illustre, de quo, cur sanctum sit (inquit Mela) ossa eius ibi sita efficiunt. In hoc templo Alexandri Magni imaginem conspexit Cæsar, referente in eius vita Suetonio. Porro, inter alia Herculis cognomina, quæ sunt quam plurima, Hercules custos, in vetustis monumentis vocatur. Romæ in nona regione, ad circum Flaminium, ædes Herculis custodis fuit, adiuncto (vt videtur) templo Musarum, vt ille harum, sicuti dux, ita custos esset. Ouidius in Fastis Herculis huius meminit, ita canens.


Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est.

Ita & Hercules Musagetes, id est, ductor & custos Musarum. Custos igitur Hercules fuit, vt Musarum, ita rerum cæterarum omnium, quas defensione sua tuetur. Hinc Herculi vestibula templorum & Regionum introitus primi ad custodiendum dedicantur, quod in iis tuendis & prudentia, & fortitudine maxime opus: quæ ambæ virtutes Herculi tribuuntur. Quam ob causam hic in Gadibus, & olim in Zelandia, & Taciti tempore in Frisia colebatur, vbique finium Oceani custos atque protector. Est in Zelandia pagus, Germaniam ad Oceanum, & illud Schaldis ostium terminans, quod proximum est Galliæ, nomine West Capel. In eo olim fanum fuit Herculis Limitanei, quia hic extremum esset limitaneæ regionis, qua Germania ad Galliam finiretur. Cernitur apud VVestcapellanos lapis in baptisterio muro infixus, cum hac inscriptione.

HERCVLI MARCHVSANO.

Mare Cimbris & Saxonibus limitem; Hus, domum, ab Hu, id est, custodio, tueor: vnde Hercules Marchusanus, limitis defensor & custos. Vel, Marchus, Domus limitis, vel domus signi dicebatur. Erat enim in Zelandia signum nautis expositum,

GADES AB OCCIDUIS INSULAE PARTIBUS



Orie ns

Canis leporarius ex Indijs Occidentalib, allatus A°. 1565.

Auis, siue pica Peruuiana allata Anno 1578







Anno 1564

1. Puerto Sancta Maria.	9. Castillo Sanct Philippo.	17. Ruinas de Cadiz antiqua.
2. Entrada della Baija.	10. La casa del obispo.	18. Coral.
3. Sancta Catelina.	11. La yglesia maior.	19. Santo Sebastiano.
4. Schipiona.	12. El Castillo.	20. Punta di S.t Sebastiano. vulgo, fin del Mundo.
5. Las sieras de Ronda.	13. Sancta Maria monasteo.	21. las armas de Cadiz.
6. Medina Sidonia.	14. La Calletta.	22. Boluerte, o, castillo S. Philippo.
7. Los puercos.	15. Torres de Guardia.	23. Mar Oceano.
8. La chiara fuente.	16. Sancta Catalina.	24. qui si Juega su la galera.

DEPINGEBAT GEORG. HOUFNAGLIUS.

positum, quo clauum recte tenerent ad Schaldis ostia subeunda, cuius loco nunc turris est VVestcappallana. Et eundem turrium Herculis in Gadibus, ex vasto Oceano nauigantibus vsum fuisse, non est vllum dubium.

Fuerunt etiam in Frisiis, non procul ab ostiis Rheni, vbi Oceanus eum absorbet, Herculis Limitanei columnæ, quas Tacitus magna celebritate commemorat; quarum reliquiæ in tractu Tenterorum, hoc est, in Drenta adhuc visuntur, vico Roelden, haud procul à Coeuordia oppido, non sine spectantium admiratione, sunt enim singuli lapides (quorum non paruus aceruus est) tantæ magnitudinis, vt nullos currus, nullas naues admittere posse videantur, neque ibi fodinæ lapidum sunt, vt, loco paludoso, quare suspicio est, eos illuc à dæmonibus, qui Herculis nomine illic colebantur, aduectos fuisse. Stabant enim super columnas aræ (Saxa vocant Itali, vt quidam inquit poeta) quas ad aras incolæ viuos immolabant, maximeque aduenas, quos prius, quam mactarent, cogebant transire angustum foramen, quod sub aris erat, transeuntemque stercoribus insectabantur ac petebant: Quod & hodie faciunt, præsertim, si Brabantum nacti fuerint, vnde sæpe cædes oriuntur. Foramen ipsum, ob ignominiam St. Duuels Cut/ hoc est, Dæmonis cunus appellatur. Verum hanc immolationem D. Bonifacius, primus horum locorum Euangelista sustulit. Huius videndi monimenti causa, Drusus Germanicus, fama excitus, auspiciis Augusti, primus Romanorum, septentrionalem Oceanum nauigauit, teste Plinio lib. 4. Sed, vt refert Tacitus, obstitit Oceanus, in se simul, & in Herculem inquiri, sanctiusque & reuerentius visum, de actis deorum credere, quam scire. Commentaria Althameri male hunc Taciti locum explicant, de his columnis, quas in Gadibus ille habet. Atque hæc quidem de Herculeis columnis hactenus.

Ad Gaditanam insulam redimus, cuius eam partem hic accuratius exhibemus, quæ à Sacello S. Sebastiani Promontorium S. Sebastiani nuncupatur, vulgo, Punta di S. Sebastiano, Et, Fin del mundo, eo, quod isthinc in Indiam vsque, mare sit perpetuum, & nulla amplius terra appareat. Vehementior maris æstus, qui in extremum hoc promontorium magno impetu impingit, longo temporis tractu, magnam insulæ partem erosit, & in vasta maris altitudine, cautes & scopulos multos reliquit, vnde nautis ex Oriente per Herculeum fretum tendentibus, frequenter non leue periculum imminet.

Petrus Medina, quem dominus Abrahamus Ortelius in descriptione Regni Valentiæ, Petrum Methinensem vocat, opere, quo totam Hispaniam, etiam hanc Gaditanam insulam describit, Fretum, inquit, Herculis, quod vulgus Estrecho de Gibraltar nuncupat, latum est quasi quatuor milliaria, Europam & Africam diuidit, habens in Europa Calpe, in Africa Abyla, præcelsos & celebres fama montes. Inter quos mare coarctatur, &, quod parua inter eos sit distantia, Strictum, vel angustia, vulgo Estrecho de Gibraltar vocatur. Duo hi montes, nunc columnæ Herculis dicuntur. Eo, quod scriptores referant, Herculem, cum ex Africa in Europam transfretasset, terram ad Gades, quæ nunc Insula, tunc autem cum reliqua Hispania continens erat, primum calcasse, lustratisque maris littoribus his montibus duas magnas columnas imposuisse, & ab eo tempore historicos omnes columnarum Herculis meminisse. Alii autem tradunt, eas columnas non fuisse marmoreas, quales nunc ponuntur, sed Herculem magnum lapidum aceruum in mari coaceruasse, eumque tam firmum reddidisse, quam nunc ii montes spectantur. Carolus quintus has Herculis columnas iure optimo, symboli loco vsurpauit, quum victoriæ & potentiæ suæ ornamenta longe vltra hoc fretum diuersis mundi partibus nota fuerint, quibus à Deo tanquam inuictus Hercules datus, iustitiam belli, pacisque tempore administrauit. Optimo igitur iure scribitur, PLVS VLTRA, Noch weiter der Keyser.

Quibus tamen hoc addendum putaui, recensere in publicæ gratulationis Serenißs. principi Ernesto, &c. Antvverpiæ facta descriptione Hispanos in columna quadam Herculem populo spectandum proposuisse, monochromate coloris ænei depictum, & geminas brachiis humerisque columnas magno conatu asportantem, ipsiusq; pedibus hoc distichon apte subnexum:

Amphitryoniade ter magno cede PHILIPPO,
Tu veteri, ille nouo defixit in orbe columnas.

13. Muri notabiles partes supersunt, qui Gadium vrbem à tota Insula seclusit, & veluti vallum ac propugnaculum defendit, iuxta capellam S. Mariæ. Hic autem murus, ex magni Theatri hoc loci olim constituti, ruinis ædificatus est. In quo quidem Theatro candida marmorea Cupidinis statua mire artificiosa, inuenta, & ante Prætoriam domum vrbis Gaditanæ constituta est. Truncus similiter Herculis, etiam ex candido marmore, magnitudine gigantea in angulo Ecclesiæ la Misericordia collocata.

17. Ruinæ hic antiquarum Gadium apparent, vrbis quondam magnificæ, quam Strabo & veteres scriptores ad Occiduas Insulæ partes constituerunt, cuius fundamenta maxima, cisternæ, cellæ concameratæ, & saxa ingentia marinis teguntur fluctibus, ita quod piscatorum retia hic inuoluantur, & rumpantur sæpius, vt in primo vrbium Theatro, in Gadium descriptione explicauimus. Certe magnam quondam vrbem fuisse, & ex ruderibus ipsis, & ex vrinatorum relatione, qui de æreis portis & murorum reliquiis, quas sub aquis frequenter inuestigarunt, mira referunt, & ex Strabonis commemoratione apparet. Qui refert eam vrbem ita creuisse, quod post Romanam, cæteras mundi vrbes anteibat. Et, cum illi ager nullus esset, omnes illius vrbis incolæ ad nauigationem se contulerunt, in asportandis Romam rebus mercatoriis; maximeque eis, quæ ab Hispania exportabantur. Adiecit etiam Strabo ad illius amplificationem, quod, cum census semel exigeretur ex ea, reperti sint in ea militaris ordinis equites aurati viri quingenti, quod nusquam in aliqua ciuitatum Italiæ compertum, quam in Patauio vrbe.

18. Nouum piscationis genus appictum hic cernitur, quod Gaditanorum industria ita instituit. Magnam maris partem, super impositis saxis ac scopulis, quasi obsepiunt & muro claudunt, quo dum pisces magna frequenter copia se recipiunt (recenti quippe argilla & luto delectantur) decrescente mari, recedere nequeunt: Et sic, quod delectabile visu, varii generis pisces, sine hamo & reti, manibus capiuntur.

22. Hic elegans & venusta Hoffnaglii Miniatoris præstantissimi manus mercandi modum expressit, quo Hispani cum Hollandiæ nautis in Gaditana Insula hærentibus vtuntur, qui vt Hispanicam non callent linguam, ita nec hi Hollandicam. Et tamen merces suas, quibus delectantur Hispani, nullo accedente interprete, ipsis diuendunt, elatis digitis mercium suarum pretium indicantes, tot enim erigunt digitos, quot realibus mercem suam æstimant.

24. Quando Triremibus, quæ quotannis in Indiam, vel ad qualescunque Regis vsus adornantur, remiges desunt, arte & eleganti dexteritate hoc hominum genus conquiritur, abiectæ sordis, vilisque conditionis, vagabundi ac validi, qui vltroneæ, sed tamen annuæ seruituti seipsos mancipant. Prodit in publicum deputatus ad hoc, quem vocant Alquasil de Corte, in erecto tentorio, ad mensam tapeto decenter stratam residet. In qua tria, quibus inescatur & facile capitur hoc hominum genus, adornata sunt fercula, aurea & argentea pecunia, aleæ & lusoriæ chartæ. Fortunæ & libertatis præmium proponitur, quatuor ducati, vel eorum valor Iulii, siue Reales quadraginta quatuor. Accedunt bini & bini, chartas vel aleas, prout placuerit, & inter eos conuentum fuerit, eligunt, assidente supradicto Alquasillo ludunt, victor præsenti pecunia & libertate donatur, victus, statim ad triremes & annuam seruitutem abducitur. Ita Remiges cum lusu acquiruntur & gaudio.

GADES.



ADITANAE Insulę latus australe hæc tabula repræsentat, in cuius suprema parte, venustè exprimitur, quonam pacto Promōtorium S. Sebastiani in mare se latè extendat, & qua ratione æstiuo tempore contra Turcarum, Maurorum, & aliorum hostium excursiones, qui piraticam hic frequenter hostiliter exercent, admodum diligentes instituantur vigiliæ, iuxta duas præcelsas turres, quæ inde Torres de Guardia nomen habent. Commeat eò singulis noctibus ciuium turma ex Gaditano oppido, hora vndecima & vicissima altera hora noctis secunda, quibus præsunt præfecti siue ductores duo, qui ex stramine, malleolis cæteraque materia incendio apta, faces ardentes hastis affixas sursum tollunt, quod excubatores in promōtorio S. Sebastiani conspicientes, ipsi pari ratione ignibus facibusque incensis, idem vigiliæ signū edunt, quod vltra fretum in ipsis Hispaniæ limitibus in oppido Ronda simili correspondentia instituitur. & ex Herculeis turribus ad Insulam S. Petri, vnde Barcinonam vsque, & per totam quasi Hispaniam, quæ passim multas tales vigiliarum turres habet, quas Atalayas vocant, mutuis Vulcani indicijs bis omni nocte se probè vigilare ostendunt. Quòd si autem contingat piratas, vel hostes se aliquos prodere, excubitor statim tot ex statione sua exhibet faces, quot triremes in mari, bona obseruatione se conspexisse existimat: Si verò plures sint, quàm is obseruare, vel obscura nocte satis accurat è numerare queat, faces ignesque ex turri & specula sua frequentes, absque vllius numeri consideratione, deorsum in terram deijcit, vt hinc proximus excubator intelligere queat, quidnam periculi immineat, & quid excubatori proximo simili indicio significandum veniat. Quòd si verò contingat prædones piratasque ex nauibus rapinarum studio in terrā conscendere, quotquot in vicinia sunt piscatores atque ruriculæ statim ad has Attalayas turres sui conseruandi gratia, fuga sibi consulunt, turres conscendunt, & portis (quæ angustæ & ferreæ sunt) clausis, scalas ad se attrahunt. Et quia hostes, tota vicinitate, tanta excubatorum vigilanti diligentia excitati, diutiùs in continenti, tutò hærere nequeunt, non admodum diu in necessaria hac captiuitate, innocentes detinentur.

De Gadibus porrò hæc, quæ sequuntur, Benedictus Bordonius, Gadira, Græcis, Gades, Latinis Erythea, ab his qui ex Erytheo mari illuc appulerant, nominatur. Alij Iunonis Insulam, nunc Gades appellant. In longitudinem trans Alpes milliaria 40. se porrigit, viros præstantes gignit & educat. Quin hoc vnum oppidum eodem tempore 50. equites suppeditare potest, quod vix de vllo Italiæ oppido præterquam de Padua fertur. Fuit & quidam oppido Neopoli ortus vir celebris, qui rebus magnificè gestis gloriosè triumphauit. Porrò Incolæ horum oppidorum, Gadij scilicet & Neapolis, vrbem simul construxerunt, eique Didimæ nomen indiderunt, vbi summa ad delectationem amœnitas inter cætera etiam fœminæ intemperantes quondam, & in omni libidine petulantes, effusæ, dicaces, Romam sæpiùs, quæstus habendi causa excurrebant: Masculini sexus personæ scurriliter faceti, cauillantes, moriones, saltatores, fraudulenti, & callidi, quorum exercitiorū studio multi ex varijs Europæ locis illuc cómeabunt. De ædificatione GADII hæc memorant. Tyrios olim Apollinis oraculum consuluisse, quonam loci vrbem fundarent; illisque responsum, ad Herculis columnas. Quas cùm attigissent, arbitrati mundi illic finem, in vrbe ad occasum sita, fanum quoddam, super ærea columna octo cubitos ob longa erexerunt, meridiem respiciens quæ res posteris occasionem Herculis columnas nominandi præstitit. Quod itaq; illuc tanquā in portū ex longa nauigatione venissent, solēne statuerūt Herculi sacrificiū; existimātes illius opera se illuc saluos appulisse, persuasi à flaminibus ibi extremos Orbis fines terminari, nec vlteriùs nauigari licere. Polybius refert in fano illo fontem aquam dulcissimam scaturire, cuius effectum maris aquæ directò contrariari: hac scilicet crescente, illam decrescere, nec pariter exhauriri. Causam hanc volunt. Aerem, qui ex terræ visceribus exhalatur, dum crescente mari clauditur, impediri, & in inferiores partes repelli, vnde fontis cursum reprimat, & exinde aquam sustineat: verùm decrescente mari, terræ superficies aquis liberatur, & per hoc aer etiam solutus, naturaliter erumpit, sicque fonti nullo amplius impedimento districto aqua luculenter suppetit. Incolæ vulgò hoc miraculi instar Herculi acceptum ferunt. Arbor etiam illic conspicitur ramis in terram propendentibus, cuius frondes gladij formam exprimunt, cubitum longi, & quatuor digitos lati, fructum fert palato suauem, vbi ramum quis amputat, lac emanare, radicem euulsam instar rubri minij fulgere. Pascua huius Insulæ adeo fœcunda & vbera, vbi pecora ibidem palantia tale lac suppeditent, quod non per se, sed cōmixta lympha coagulari & caseus formare necesse sit, quin, ne menstrue vena pecoribus illis incidatur, nimio abdomine suffocandam eruitur. Et hæc ratio adfertur, cur Geryonem eodem loci armenta sua pauisse comminiscantur, versus Alpes Betica sita est, In Oceano Occidentali à freto Herculeo sexaginta milliaribus distans Pindarus vates Gaditanam nominat, collocatur in quarto climate, decimi paralleli; dies longior, horis quatuordecim & semis computatur.

Inferior hæc tabulæ pars typum exprimit piscaturæ Thynnorum, quæ in Gaditana hac Insula à prima Maij ad 15. Iunij diem inter duas Herculeas turres quotannis instituitur, quamdiu induciæ permittuntur omnibus banditis, validis mendicantibus, profugis & vagabundis, vt mercede conducti, in piscatione ista laborent. Ipsius piscationis tempore omnis vicina his turribus Insulæ Regio, iusto quasi exercitu & castris occupata est. Multa enim passim fixa cadurca, & erecta tentoria, tabernæ, œnopolia, cauponaria vidētur, nec Veneris officinæ desunt. Magna populi frequentia tam ex Gaditana vrbe, quàm ex ipsa etiam Hispania, piscationis visendæ gratia huc spaciatum venit. Thynni pisces in Oceano Germanico degunt. Mensibus verò Maio & Iunio, dum generare intendunt, naturali ductu angustum locum & vehementiorem maris fluxum inquirunt, quem nusquam commodiorem, quàm in Herculeo freto inueniunt, vbi totius maris impetus, in trium milliarium angustias coarctatur, huc igitur gregatim magno numero, certo anni tempore cómeant, quorum immensam multitudinem, iucundo ac solemni spectaculo Gaditani capiunt. Et id quidem hac ratione. Tres cubitos vt plurimum longi sunt, crassi per medium, quantum vtrisque vlnis iustæ magnitudinis homo complecti potest, vtrinque in remi modum gracilescunt, fusco & subceruleo colore, dorso extra mare proeminent. Et dum magno agmine in freto passim natare ab eo videntur, qui ad hoc in turri vicina constitutus est. Is linteo piscatoribus passim in cymbis cum retibus & laqu eis latentibus signum edit, ex quo ipsi iam ad nauigandum & retia (quæ longa sunt ex chordis grandioribus) explicanda intelligunt. Quod dum solerter ac gnauiter faciunt, Thynnorum multitudinem sensim ac paulatim ad Insulæ solum adegunt, & quandoque duo millia, quandoque vltra mille octingentos, sexcentos, vel quingentos vna vice larga, periucunda & fructuosa captura irretiunt. Qui dum se captos, & terræ vicinos animaduertunt; saliunt & tumultuantur valdè: sed eos hoc modo tumultuando adnatare expectant, & singuli, singulis, nudi, in mare occurrunt, habentes in brachio chordam, cui alligatus est vncus (hos hamiotas proinde non malè dixeris) quem pisci inijciunt, & chordam illi helluanti dimittunt, donec vehementer volutando exanguis deficiat, & sic captum ad se pertrahunt, & in designatam ad hoc institutam publicam domum, La Stanca nuncupatam deferunt, vbi frustatim cœsos in cadis & tonnis sale condiunt, & magno quæstu in Hispania & Italia vendunt. Ex capitibus & spinis adustis, multum liquoris & abdominis conquirunt, quo piscis instar in nauium obturatione vtuntur. Fortasse & Strabo Geographiæ lib. 3. de hac aut simili piscatione intelligendus, quando inter cætera scribi, Frequens autem Thynnus magnus, & pinguis horsum impellitur.

La muy noble y muy leal ciudas de Cadiz

...idens

Septentrio

1. Mar Oceano.
2. Sant Sebastiano.
3. Santa Catherina.
4. Torres de Guardia.
5. Yglesia maior.
Castillo. 6.
7. Puerta del muro.
8. Camino para la ysla.
9. Puntal.
10. Goertas de Safia.
11. Arenas.
12. Torres de Hercules.
13. Stanca.
14. La Baija.
15. Los puercos.
16. Tierra firma d Espanna.
17. Punta de Sant Luçar.
18. Scipiona.
19. Rotta.
20. Sant Catalina.
21. Pa barra.
22. Puerto Sta Maria.
23. Mar Oceano.
24. La Ysola.

Effigiauit et communicauit Georgius Houfnaglius.

Almodraua de Cadiz

SIVE THYNNORVM PISCATIO APVD GADES



HISPALIS.



HISPALIS, famatissima Hispaniæ in Bætica prouincia vrbs, mari Gaditano Bætiq; flumini iuncta, totius propemodùm Hispaniæ Emporium, & Indicarum occidentalium mercium receptaculum celeberrimum, quod nouum orbem classibus patefecit. De cuius appellatione & ortu eruditorum hominum turba non eandem sententiam tenet. Isidorus lib. Originum 15. ca. 1. Hispalim à situ cognominatam ait, eò quòd in loco palustri suffixis profundo palis, locata sit, ne lubrico atque instabili fundamento caderet. Idē Ioannes Gerundensis lib. 1. Paralipomenum Hispaniarū scribit. Benedictus Arias Montanus Hispalensis ad Clarissimum virum Abrahamum Ortelium Anuerpianum, Cosmographum Regium, ita de patriæ suæ nominatione scribit. Hispalis nomē Phœnicum est, ex spila vel spala deflexum, quod planitiem siue virentem Regionem significat, qualis eius territorium conspicitur. A Græcis verò addita est aspiratio: Arabes autem, quòd P literam non habent, ob idque pronunciare nequeunt, ferè ad natiuam vocem referentes Sbilla dixerunt, deinde Christianorum vulgus Seuilla, ut nunc, appellauit. Silius Italicus Hispal: Philostratus Ispolum, Ptolomæus Ispalim, Decreta Spalim. Episcopus Gerundensis scribit eam à Strabone Iuliam Romuliam nominari. Quod etiam Isidorus in suis Originum libris refert. Qui Hispalim inquit Cæsar Iulius condidit, quam ex suo nomine & Romæ vrbis vocabulo Iuliam Romulam nuncupauit. Apud Plinium legitur, Hispalim Coloniam Romulensem cognominari. Vnde putatur Iulij denominationem, vulgari idiomate, in hodiernum vsque diem retinere, vt ab ipso Iulio Cæsare Ciuilia, id est, Ciuitas Iulia, appelletur. Sed Iulium Cæsarem Hispalim construxisse, cum Historiarum veritate non conuenit, quum apud Titum Liuium, Commentariaque præfati C. Iulij Cæsaris, ac Lucium, plurimosque antiquiores scriptores, fiat eius mentio: potuit tamen Iulius Cæsar illam instaurasse labentem, auxisse ac dilatasse. Franciscus Tarapha lib. de Hispaniæ Regibus, hæc de Hispalo commemorat. Hispalus filius fuit Herculis Libyci, qui à patre Rex creatus Hispanias accepit, teste Beroso, anno 36. Baleci Regis Assyriorum, id est, ante humanæ salutis aduentū, vt in Eusebio computatur, M. DCC. XXVII. Hic Hispalim ciuitatem, quæ nunc Sibilia vulgò Seuilla dicitur, condidit, & tota Hispania quasi Hispalia, ab eius colonijs dicta, vt assentitur Rodericus Toletanus Antistes, insignis historicus. Est Hispalis ciuitas ad mare Gaditanum, vbi sunt æstuaria, id est, conualles replet, ac marinis aquis, inundationibusque Pelagi: per quas instar fluuiorum nauigantes ascendunt ad vicina oppida. Regnauitque Hispalus, teste Beroso, annis XVII. Hispalim porrò Marineus Siculus lib. de Reb. Hispanicis XIX. ita paucis describit, Hispalis & Corduba sunt Bęticæ Prouinciæ Ciuitates in ripa Bætis fluminis expositæ; quarum Hispalis aliquanto maioris est incolatus. Hanc ab Hispano Herculis nepote conditam fuisse, vulgus asserit. Cuius ego sententiæ nec accedo, nec refragor. Incertum est enim, quod nec authore nec ratione probatur. Verùm enimuerò cuiuscumq; sit opus, vrbs est maxima & opulentissima, meoque iudicio multis Hispaniæ ciuitatibus, ne dicam omnibus, anteponderat. Est enim ambitu magna, forma rotunda, visu pulchra, templis celebris, sacerdotibus exculta, & multis equitibus nobilis, ciuibus plena, domibus insignis, plateis & vicis hilaris, hortis & fontibus amœna, tuta propugnaculis, mœnibus cincta, defensa portis & turribus, campis iucunda, agrorum frugibus abundans, oliuetis & magnis oliuis & oleo felix, mercatorum commercijs diues, artibus adornata mechanicis, & liberalibus studijs illustris, plena multis piscium generibus & magnis ostreis, palmetis & palmulis & arborum fructibus exuberans, ostio maris & nauigabili flumine ligneoque ponte, quem parua nauigia catenis compactum sustinent, admodum delectabilis. Bætis enim amnis nobilissimus Hispalim non sine commoditate singulari exornat. Quod quidem in eo semper declarat tanta nauigiorum multitudo, quanta vix in vllo Maris portu hîc apud Hispalim inuenitur, vnde amplissimorum commerciorum & multarum diuitiarum occasio. Cuius etiam aqua, ad inficiendas lanas plurimum valet, quam Martialis hoc modo commendauit;

Bætis olifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.

A quo etiam, vt Strabo & Plinius asserunt, Bætica Prouincia nomen accepit. Et Seneca quoque refert:

Nomenq; terris, qui dedit Bætis suis.

Ex hac igitur situs, commerciorum, portus, maris ac fluminis oportuna commoditate, vero & sincero omnium iudicio est natum vulgi adagium.

Hominibus, quos Deus amat, Hispali demum largitur & victum.

In ea siquidem multò melius viuitur & abundantiùs, quàm in alia, quantumlibet vrbe ditissima totius orbis. De cuius templo maximo, & nauigiorum numero L. Marineus Siculus alio loco præclara scripsit, & nos hoc vrbium Tomo magnificam eius Ecclesiæ Turrim peculiari lamina accuratè delineatam separatim exhibemus.

De Hispalensis Ecclesiæ magnificentia, hæc Franciscus Paciecus: Huius Ecclesiæ maiestatem dignitatemque & opulentiam, breui compendio dicere non possumus, hoc fuerit satis, quantum ex collegiasticis rationibus colligimus, ipsi Antistiti centum & amplius aureorum millia annui reditus cedunt. Primarij templa sarta tecta 30. & amplius millia: Senatus verò Ecclesiæ 120000. fert, quæ in Canonicos 40. & 11. prærogatiuæ dignitatis sacerdotia, itidem in viginti portionarios, quos vocant, totidemque semiportionarios sodales distribuuntur, ea lege, vt Canonici & dignitates ex diurno canone ad bina millia aureorum quotannis accipiant, portionarijs quadrante minus, semiportionarijs triens ex dimenso reddatur. Horum post præsulem summa auctoritas post Decanum est, cuius dignitas 5000. aureorum censetur. Sunt præterea in ea Ecclesia sacrifici 20. quos à numero, Vicenarios vocamus, qui nocturnis diurnisque psalmodijs assidui, ducentos & amplius aureos merentur: & ducenti alii sacerdotes, qui ex priuatis sacellis satis commoda ferunt stipendia. Beneficia adhæc per omnem diœcesim opima sexcenta ferè, quorum multa singulis, & binis etiam aureorum millibus censentur: minorum verò sacerdotiorum quas Capellanias vocant, duo millia fermè numerantur. Sunt etiam in hac Diœcesi innumera Monachorum & sacrarum Virginum monasteria, in quibus multum religio viget, & in illis etiam sacrarum literarum studium, cum

Occidens

Septentrio

SEVILLA

Qui non ha visto

non ha visto marauilla

A. Quemadero.
B. Nuestra seignora de abondanza.
C. St. Elmo. CC. Rio Tagarette.
D. Fuente de Calderon.
E. Rio guadalqueuir.
F. St. Juan del foratce
G. Toure del oro.
H. El Alcaçer casa Real.
I. La yglesia maior.
K. El mattadero. KK. quartos.

L. Santa Croux. LL. Castileia della cuesta.
M. st. Marcos.
N. St. Augustin.
O. Cannos de Carmona.
P. Camino para granada.
Q. Sta Trinidad.
R. Muladar.
S. Execution de Justitia de los cornudos patientes.
T. Execution d'alcaguettas publicas.

HISPALIS.

Meridies

Oriens

D. NICOLAO MALEPART AMICO VETERI ET CONGERRONI HISPALENSI LEPIDISSIMO GEORG[illegible] HOVFNAGLIVS AMICITIÆ MONVMẼTV D. AO CIↃ IↃ XCIII. FRANCOF. AD MOENVM

cum magno Reipub. commodo viget, multa ex his sena aurearum millia annui reditus fuerunt. Certè, vnum Carthusianum, quod ad Bætim in ipso Hispalis prospectu magnificentissimè exstructum est, supra 25000. refert. Longè sit etiam hospitales pauperum domos recensere, cùm in vna Hispali tantùm, vltrà centum viginti numerentur egregiè dotatæ, vt multæ 800. aureorum, nonnullæ 15000. annuis locupletatæ sint.

Atque hæc ex variis Hispaniæ scriptoribus excerpsimus, ad quæ & alia longè maior felicitas accedit, quam Vascus in Hispaniæ Chronico ita commemorat. Stat abundans diuitiis & delitiis nobili præcincta chlamide Hispalis, patronis infinitis suffulta gloriosis, sub cuius alis & pallio hi sancti pugiles & bellatores inclyti pausare elegerunt, vsque ad consummationem seculi, qui hanc vrbem nocte dieque munimine iugi non deserunt, ac in conspectu Domini pro eius salute, sine intermissione precantur. Hi sunt S. Carpophorus & Abundius, S. Petrus, S. Florentinus, S Iusta & Rufina virgines, partim sub ipso Daciano, partim sub Diogeniano Daciani Legato Corpus B. Iustæ ex altissimo puteo, in quem proiectum erat, & ossa B. Rufinæ, cuius corpus in amphitheatro combustum fuerat, à venerabili Sabino Episcopo, in cœmiterio suburbii Hispalensis sepulta fuerunt.

Denique vt præstantes arbores boni commendant fructus, ita insigne ornamentum vrbibus conferre solent heroici viri, eruditione, rebus magnificè gestis, & virtutibus præstantes. Sic inter alios multos insignes viros, quorum celebris est apud Scriptores mentio, qui Hispalim ortú condecorarunt, nostro æuo extitit Benedictus Arias Montanus, nobilissimus & summus Theologus, plurimarum linguarum vulgarium & eruditarum cognitione admirandus, & homo planè incomparabilis, fœcundum & locuples diuino munere ingenium. Testantur id opera quæ summam eius admirationem apud omnes excitant, inter quæ primas sibi meritò vendicat veteris ac noui Testamenti ad Græcam, Hebraicam, Chaldaicam, & Syriacam linguam translatio: deinde Commentariorum opus in duodecim Prophetas, & in reliquos maiores paraphrasis, Liber Generationis & Regenerationis Adam, siue de Historia generis humani. Opus de optimo imperio, siue in librum Iosuæ Commentarium, Dauidis Regis ac Prophetæ, aliorumq; psalmos ex Hebraica veritate in Latinum carmen conuertit, Hymnos scripsit & secula vario carminum genere. Dictatum Christianum, siue communes & aptas omnium discipulorum Christi partes. Quatuor diuersorum poematum tomos. Atque hæc quidem tanti viri opera ad meam Bibliothecam venerunt, sic plura, quæ non vidi, recensere nequeo.

Non hic longa oratione commemorabo, quàm capax & ampla nauium statio; quanta Bætis amœnitas, quàm longè aquæductus se extendant, quantas opes Hispalenses ex nouo orbe annua nauigatione percipiant, quanto sumptu & apparatu classis Regia hîc adornetur, quàm preciosæ merces, quàm variæ & exoticæ res ex vniuersa India, Bresilia, Æthiopia, Arabia, Africa, in hanc vrbem singulis annis inferantur. Sed Hispalim tantam egredientes agrum vicinum contemplabimur. In quo, mirum dictu, quàm excellentia antiquitatum monumenta ex terræ visceribus eruantur, vt peculiari tabula hoc opere explicauimus. Suburbani verò soli vbertas maxima, in quo villæ, horti, cultu & aspectu gratissimi, & amœnissima oliueta conspiciuntur, in quibus condensæ arbores, ardentiore meridiano sole, vmbram, secessus & recreationis occasionem præbent.

In vicino vrbi agro Domus amplissima visitur, El Mattadero nuncupata, in qua optima politiæ ratione mactantur oues & boues, & varia pecora campi, quorum carnes Hispali ciuibus & inquilinis diuenduntur. In latissimo verò campo, iuxta hanc domum, iucundissimum spectaculum præbet, Taurorum venatio, quos robustissimos ibi saginant, capitis ac pectoris robore præstantes, in quos molossos & magnos incitant canes, quibus, per se alioqui feroces, truces ac toruos, priusquam eos mactent, efferare solent, ita vt in canes magna ferocitate insilientes, ignem naribus spirent, terramque pedibus feriant, in altum spargant arenam, frontem semper canibus offerant, & cornibus hostes infestent, & tanto impetu appetant, vt eos cornibus ferientes in aërem altè proiiciant, & in cornuum cuspides excipiant decidentes.

Denique tam multa de hac vrbe præclara commemorari possunt, vt natum sit inde & tritum vetustate dictum, *Qui non ha visto Seuilla: non ha visto marauilla.* Scribit Fortalitium fidei, quòd Fernandus secundus eius nominis octauus Rex Castellæ, considerans, quòd ciuitas Hispalensis erat de principalibus mundi, quia receptaculum terræ & maris, itaque magno desiderio illam Christianis restitutam cupiuit. Vocato ergo Raymundo Bonifacio, tunc Admiralio, classem per mare adornari mandauit contra Hispalenses, Rex verò per terram cum magno exercitu venit. Et sic terra & mari, arctissimè obsessa est ciuitas per menses XVI. Et tandem profligatis Saracenis, Anno M.CC. Lxxxx. in die S. Clementis, occupata, cum multis aliis Hispaniæ ciuitatibus vicinis.

Aliam, & vberiorem Hispalis descriptionem studiosus Lector in Indice operis inueniet.

S. IVAN DEL FORATCHE.



HISPALIS, vt est celeberrima Hispaniæ, & in ea Bæticæ ciuitas, quæ opida plura, quàm aliæ Regiones, numerat, Ita præ cæteris huius Regni prouincijs, nobilium, magnatum ac Regum sumptuosis ædificijs maximè decorata fuit, quam felicem ac beatam interpretantur: inter quæ S. Ioannis del Foratche, primo ab Hispali lapide, veteris castri ruinæ, incredibili magnitudine, collem occupant ad Bętim flumen vulgò & Arabico idiomate Guadalqueuir, dictum, quod designat fluuium magnum. Ex cuius ruderibus & erutis antiquitatibus apparet eam arcem à Gothis quondam constructam fuisse.

IERENNA.



IERENNA, famosus prope Hispalim locus, ob mirabilem saxorum in circuitu dispositionem, tanta multitudine in terram defixorum, quasi cęlesti pluuia huc delapsa fuissent. Terræmotu id factum putatur, quo multa ædificia Hispali & Cordubæ & vicinis in locis frequenter corruerunt. Ad delectationem quoq; eorum, quos antiquitatis studium capit, momentorum quorundam descriptionem subiungimus, quæ anno M. D. LXV. in suburbijs Hispalensib. inuenta fuêre. Quod vbi cōmunitati Hispalensi hæc fama innotuisset, quasi veneranda sanctorū corpora, hinc reperta fuissent: Hispalenses incolæ pro singulari in catholicā religionem affectu, tam frequenti concursu, ad visendū hæc monumenta excurrerunt, & loci terram, tanquā martyrum sanguine consecratā, secum in vrbē retulerunt, vt nisi magistratus authoritate portæ clausæ, & tantus populi feruor cohibitus fuisset, totū suburbanum hunc fundum abstulisset. Talia autē inuenta fuerūt.

1.

CAPSA plumbea oui forma (cui inerat eiusdem formæ vitrum refertum cineribus ossibusque exusti corporis humani, superimpositis tribus vitreis lachrymarum vrnulis) reperta sub terra in suburbio Hispalensi (vulgò el tablado) in rusculo Henrici van belle, mercatoris Flandri, Anno 1565.

2.

Sepulchrum septempedale ex solido marmore excisum, cui inerant ossa nobilis fœminæ Christianæ, vt apparebat ex superimposito coperculo marmoreo cum inscriptione sequenti, in eodem suburbio, eodemq; tempore repertum.

PAVLA CLSA FEMINA, FAMVLA XPI.
VIXIT ANNOS XXIV. MENSES DVO.
RECESSIT IN PACE DIE XVI. KAL.
FEBRVARIAS. ERA DLXXXII.

3.

Sepulchrum forma, magnitudine & materia omnino priori simile, & illi coniunctum, continens itidem nobilis fœminæ Christianæ ossa cum hac inscriptione.

CEREVELLA CLSA FEMINA, FAMVLA
XPI VIXIT ANNOS PL. MVS XXXV.
RECESSIT IN PACE III. KAL. FEBRVARIAS DC.

4.

Lapis quadratus in eodem loco, eodemque tempore sub radice peruetustæ nucis repertus cum sequente inscriptione.


NOME VIXIT ANNO ET MENSIBVS VIII. DIEBVS XII.
H.S.E.S.T.T L. hic sita est sit tibi terra leuis.
NOME EVIT NOMEN, HÆSIT NASCENTI CVSVCCIA
VTRAQVE HOC TITVLO NOMINA SIGNIFICO.
VIXI PAROM DVLCISQ. FVI DVM VIXI PARENTI
HOC TITVLO TEGEOR DEBITA PERSOLVI.
QVIQ. LEGIS TITVLVM SENTIS QVAM VIXERIM PAROM.
HOC PETO NVNC DICAS SIT TIBI TERRA LEVIS.


5.

Monumenta siue sepulchra communia ex lateribus coctis exstructa, ac fornicata, quę passim in illo suburbanio Hispalensi permulta ac penè innumerabilia quotidiè, in subruenda terra reperiuntur, ita vt qui in illo territorio fundum exstruendis ędibus emunt, tantam vim laterum sub terra inueniant, vt super terram ædificio pænè sufficiant.

6.


Maioris Hispalensis Ecclesiæ turrim hîc separatim exhibemus, ob insignem venustatem & artem, quam Mauri cocto ex latere, dum ipsi in Hispania rerum potirentur, tanto sumptu & artificio construxerūt, vt in admirationem spectantes rapiat, cochleam intus habet, per quam eques ad quadraturę summitatem commodè ascendere potest. Superiorem verò ędificij & Campanarum ornatum postmodum Christiani addiderunt in cuius circumferentia capitalibus his sculptum TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI. Prouerb. XVIII. In suprèmo turris apice Fidei est statua ęrea, magnitudine hominem referens, versatilis ventorum index.








Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.





ARCHIDONA.

RCHIDONA, in Bætica Prouincia Hiſpaniæ oppidum, viam, quæ Hiſpali Granatam ducit, plano & eleganti ſitu ad montis radices, venuſtè exornat, rei ruſticæ, & pecuariæ ſtudio, nauiter ſuos exercet, cum paſcuis & hortis abundet. Imminens, & mons in vertice caſtrum vetuſtate collapſum ſuſtinet, in quo Mauri ſua tenuerunt præſidia ad maximam Chriſtianorum calamitatem, ad barbaram tyrannidem, qua multis annis omnes Hiſpaniæ Prouincias, & præſertim hanc Bæticam diris modis afflixerunt. Ad quam exercēdam & continuandam tyrannidem, per totam Hiſpaniam diuerſis in locis, varios habuerunt Reges, quorum reſidentiæ & palatia regia, barbara quidem, ſed faſtuoſa ac valdè ſuperba, in præcipuis vrbibus fuerunt, vt Toleti, Salmanticæ, Hiſpali, Cordubæ, Cæſar-Auguſtæ. Granatæ. Hi, non tantùm ſuas Reſidentias, quàm potuerunt maximè firmarunt, ſed & diuerſas excitando arces, vias occuparunt, & tranſitus, quo tutiores in ſua Regia forent. Hinc varia caſtra vetuſtate collapſa, priſca Maurorum & prædonum latibula, hoc etiam tempore in Hiſpania paſſim ſuperſunt. Quale etiam illud fuit, quod Archidonæ vicinum commemorauimus.

Eadem hac via, quæ ex Hiſpali Granatam ducit, præcelſa eſt rupes, ex plano campo emergens, quæ ex memorabili æuo duraturo amoris exemplo, famam & nomen ſortita, vt Hiſpanis La penna do los enamorados, Hoc eſt, Amantium rupes diceretur. Et id quidem tali ex cauſa. Cùm regnum Granatenſe Mauris adhuc pareret, & graue bellum inter ipſos & Chriſtianos flagraret, quodam in conflictu, inter cæteros, captus Chriſtianus quem Maurorum Rex, ob formæ, morum & conuerſationis venuſtatem, libertate donauit, eundem apud ſe in aula retinens. Porrò, ſenſim inter hunc & filiam Regis, tanta & tam caſta coaluit familiaritas, vt ipſa Chriſtiana pietate imbuta, & matrimonij fide obſtricti, ad Chriſtianos conarentur elabi, & ſic fugam cum ipſo, clam molita ſit. Cùm itaque Rex diligenter illos perſequeretur, in hanc rupem, vt ibi deliteſcerent, fugerunt: poſteaquam verò ſe detectos, & rupem à Mauris vndique circumſeptam animaduerterent cacumen rupis aſcendentes, territi ſupplicio, quo ſe à Rege afficiendos metuebant, mutuo amplexu, præcipes ſe dederunt.


Ad cuius quidem rei memoriam, in rupis cacumine, & in publica via, cruces erectæ videntur.


IN MEMORABILEM MVTVO SESE
DEPERIVNTIVM HISTORIAM
EIKOSO STICHON.


Heſperia occiduis dum quondam obnoxia Mauris.
Terra antiqua, potens armis, atque vbere gleba,
Bellaq́; funeſto ſtagnarent ſanguinis hauſtus:
Triſtem vbi non fauſto tentaſſent omine pugnam
Chriſticolæ miſeri iuga ſub ſeruilia aguntur,
Neſcio quis raræ iuuenis ſub imagine formæ,
Ob benè compoſitos artus, vultusq́; decorem,
Principe libertatem vnus mandante capeſſit,
Poſt ſenſim ad laudem virtus interrita cliuo
Inprimis GNATAE REGIS dedit inclyta famam,
Illius incutiens maleſuadum in pectus amorem:
At venus in molles magis inſinuata medullas,
Ex æquo vt captis flagrarunt mentibus ambo.
Cumq́; Philommeidôs flammam celare nequirent,
Maurorum vnanimes ſtatuunt excedere Regno
Per ſaltus, per opaca loca, occultosq́; receſſus.
Rex hos inſectans fugientes præpete niſu
Montis in anfractu rupem ſubiere cruentam,
Cumq́; omnis iam elabendi ſpes irrita caſſes,
Præcipite amplexi ſeſe iecêre Coloſſo.


Occaſione huius fugæ, aliam duorum Chriſtianorum à Saracenis captorum, quia venuſta, elegans, & quaſi miraculoſa, hic recensêre placet, quam D. Hieronymus in vita Malchi captiui Monachi deſcribit: In qua ſeruatæ caſtitatis & pudicitiæ meritum eluceſcit. Malchus monaſticæ vitæ mancipatus, poſt aliquot contra Abbatis ſui conſilium, ad patriam redit. Has profectionis ſuæ cauſas allegans. Iam, inquit, patrem mortuum audieram, vt ſolarer viduitatem matris, & exinde venundata poſſeſſiuncula, partem erogarem pauperibus, partem monaſterio conſtituerem, & quid erubeſco confiteri infidelitatem meam, partem in ſumptuum meorum ſolatia reſeruarem. Verùm ſero conſilij ſui pœnitens, à Saracenis in comitatu ſeptuaginta Chriſtianorum capitur, & cum altera muliercula, in vnius heri ſeruitutem ſortitus venit, atq; his oues paſcendæ tradebantur. Dumque firmo caſtitatis ſeruandæ propoſitio in eremo fideliter Saraceno Domino ſuo, in paſtorali hac cura ſimul inſeruiunt, inito tandem conſilio, fugam meditantur, quam ita D. Hieronymus deſcribit.

Erant, inquit, mihi Malcho in grege duo hirci miræ magnitudinis, quibus occiſis, vtres facio, eorumque carnes viatico præparo, & primo veſperi, putantibus nos dominis ſecrete cubitare, inuadimus iter, vtres & partes carnium portantes, cumque perueniſſemus ad flu .ium (nam decem millibus aberat) inflatis conſcēſiſque vtribus, aquis nos credimus, paulatim pedibus ſubremigantes vt deorſum nos flumine deferente, & multò longiùs, quàm conſcenderamus, in alteram nos exponente ripam, veſtigium ſequentes perderent. Sed in ter hæc madefactæ carnes, & ex parte lapſæ, vix tridui cibum pollicebantur. Bibimus ad ſatietatem, futuræ ſiti nos præparantes. Currimus, poſt tergum ſemper aſpicimus, & magis noctibus prouehimus, quàm diebus, vel propter inſidias latè vagantium Saracenorum, vel propter ardorem ſolis nimium. Paueſco mi ſer etiam referens; etſi tota mente ſecurus, toto tamen corpore perhorreſco. Poſt diem verò tertium, dubio proſpectu procul aſpicimus duos camelis inſidentes venire concitos, ſtatimque mens mali præſaga, putare cœpit dominum meditari mortem, ſolem cernere nigreſcentem, dumque timemus, & veſtigiis nos proditos per arenam intelligimus, offertur ad dexteram ſpecus, longè ſub terram penetrans. Igitur timentes venena-


La penna de los Enam orados.
Las sierras de Antequera
Camino para Granada.
1564
Camino para Malaga.
Venta.


ARCH IDONA
Venta
Camino para Granada
Effigiabat Georgius Houfnaglius.


Penna


Archidona

nenata animalia,(nam folent viperæ,reguli,& fcorpiones,cæteraque huiufcemodi, feruorem folis declinantia, vmbram petere)intrauimus quidem fpeluncam,fed ftatim in ipfo introitu finiftræ nos foueæ credimus,nequaquam vltra progredientes,ne dum mortem fugimus, incurramus in mortem: illudque nobifcum reputantes,fi iuuat Dominus miferos, habemus falutem : fi defpicit peccatores, habemus fepulchrum.Quid putas fuiffe nobis animi? quid terroris, cùm ante fpecum haud procul ftarent dominus & conferuus,& veftigio indice iam ad latebras perueniffent? O multo grauior expectata,quàm illata mors. Rurfus cum timore & labore lingua balbutit,& quafi clamante domino, mutire nõ audeo.Mittit feruum, vt nos de fpecu trahat: ipfe camelos tenet,& euaginato gladio,noftrum expectat aduentum. Interea verò, tribus ferè vel quatuor cubitis introgreffo famulo,nobis ex occulto tergum eius videntibus(nam oculorũ iftiufmodi natura eft, vt poft folem vmbram intrantibus cæca fint omnia) vox per antrum fonat: Exite furciferi,exite morituri: quid ftatis? quid moramini? exite,dominus vocat,patienter expectat.Adhuc loquebatur,& ecce per tenebras afpicimus leænam inuafiffe hominem,& gutture fuffocatum, cruentum intro trahere, IESV bone,quid tunc terroris nobis,quid gaudij fuit? fpectabamus, domino nefciente, hoftẽ noftrum perire: qui cùm videret illum moras facere,fufpicatus eft duos vni refiftere: fed iram differre non valens,ficut tenebat gladium,ad fpeluncam venit,& furore rabido ferui increpans vecordiam,prius à fera eft tentus,quàm ad noftras latebras perueniret.Qui funt,qui hoc crederent, vt ante os noftrum beftia pro nobis dimicaret? Sublato autem illo metu,fimilis ante oculos noftros verfabatur interitus, nifi, quod tutius erat,rabiem leonis,quàm iram hominis fuftinere.Pauemus intrinfecus,& ne mouere quidẽ nos aufi, præftolabamur euentum rei, inter tanta pericula pudicitiæ tantum confcientia pro muro fepti. Leæna infidias cauens,& vifam effe fe fentiens,apprehenfos mordicus catulos effert,nobifque cedit hofpitium,neq; tamen fatis creduli,ftatim erumpimus,fed expectantes diu,egredi cogitantes,illius nobis femper figurabimus occurfum.Sublato ergo horrore,& alia tranfacta die egredimur ad vefperam, videmufque camelos, quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant,præteritos cibos in ore voluere,& in aluum miffos,iterum retrahere: quibus afcenfis,& noua fitarcia,id eft,annona refocillati,decima tandem die ad Romana per defertum caftra venimus,oblatique tribuno,rem ordine pandimus: inde tranfmiffi ad Sabinum, Mefopotamiæ ducem,camelorum pretium accepimus,&,quia iam Abbas ille meus dormierat in Domino,ad hæc delatus loca,ne monachis reddo,hanc trado virginibus, diligens eam vt fororem,non tamen ei me credens vt forori.Hæc mihi fenex,Malchus adolefcentulo retulit,hæc ego vobis narraui fenex, & caftis hiftoriam caftitatis expono,virgines caftitatem cuftodire exhortor,vos,narrate pofteris, vt fciant, inter gladios,& inter deferta,& beftias, pudicitiam nunquam effe captiuam:
& hominem Chrifto deditum poffe mori,non
poffe fuperari.

PALACIOS.



ALENTIA, vulgò Palacios, Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, quod arcem peranti quam à latere adiunctam habet, quinque miliaribus ab Hiſpali ſitum, via quæ ad Gaditanum & Herculeum fretum ac S. Lucam tendit, ex agricultura & frequenti hominum tranſitu, victitat, qui hac labriſſam contendunt, viam depreſsiorem tenentes, qua paludes & æſtuaria fluminis (Mariſma vocant Hiſpani) ad quinque miliaria ſe latè extendunt, & hyemali tempore, ex Bæti flumine vliginoſa ſunt & inuia, ita vt hac commodus non pateat tranſitus, ſed altior ſit tenenda via Alcantaram & Cabecam verſus: vice verſa autem æſtate, tantis hîc ſunt itinera obſita & contecta pulueribus, vt tranſitum ferè denegent, ſed quemadmodum nauigantibus in mari opus ſit vſu compaſſus, ne quis in maximo ſolis ardore, in via aberrans ſiti conficiatur. Neque enim mirum eſt, inuenire hoc tranſitu viatores æſtu ſolis & ſiti mortuos. Itaque quibus hac proficiſcendum, de vino ſibi prouidere, & equorum ephippij; coreaceam lagenam appendere ſolent: Boratejas patria lingua vocant. Nulla enim in tanto puinque magnorum miliarium itinere inueniuntur hoſpitia, Cùm is locus ob aquarum abundantiam hyeme, ob intolerabilem calorem æſtate ſit inhabitabilis, & proinde incultus ac horridus. Imò, ne arbor quidem aliqua apparet, ſub cuius vmbra refociliari quis poſsit.

ALCANTARA.



LCANTARA, Hiſpanis Alcantarilla, Pons eſt in Palentiæ quidem paludibus, ſed ad laus ſiniſtrum, meridiem verſus à flumine Bæti aliquantulum diſsitus, & paulò editiore loco, ſtructuræ magnificentia opus eſſe Romanum oſtendit: vtroque in latere maioris turris periſtylia baſes & capita columnarum apparent, quæ hîc ex viridi iaſpide poſitæ erant, nunc in maiorem Hiſpalenſem Eccleſiam, ad altaris ornatum tranſlatæ. Hic pons ad Paludis difficultatem ſuperandam conſtructus, à Lucio Marineo Siculo, cum Segouienſi ponte lib. 3. de rebus Hiſpanicis cap. de Regni fluminibus, commendatur, vt, qui ſit altitudine & opere & artificio mirabilis. Altera ex parte pontis Meſquita eſt, vetus Maurorum delubrum, nunc pietati Chriſtianæ dicatum & ſemper clauſum. Altera ex parte Venta, hoc eſt hoſpitium, qualia multa per totam Hiſpaniam conſpiciuntur. In Caſtilia duorum aut trium dierum iter confeceris, vt nec pagum, nec oppidum, ſed eiuſcemodi Venta inuenias, ad quæ quietis & refocillationis cauſa diuertas. Horum verò locorum, quemadmodum & oppidorum & pagarum hoſpites, qui Meſſones vocantur, omnes pariter eiuſdem fœderis ſocietate ſunt iuncti, quam Hermandat nuncupant, vt, ſi contingant latrones vel prædones aliqua infeſtare itinera, ſtatim in equis armati concurrant, inuigilent, & ſe mutua correſpondentia ad inquirendum nocentes excitent. Quæ quidem optima politiæ ratio accuratè obſeruatur, vt per totam Hiſpaniam omnia paſsim itinera, quouis tempore ab omni periculo tuta reddat.

CABECAS.




ABECAS oppidulum Hiſpaniæ Bæticæ per Alcantaræ pontem Palacios, ſiue Palentiam proximè ſequitur, in montium aditu ſitum, qui in meridiem Malagam verſus ſe extendunt: vrbem quondam magnam fuiſſe, rudera, & mœniorum veſtigia docent, nunc ex Agraria, & ijs, quæ terræ beneficium producit, vitæ ſibi neceſſaria curat; tum etiam ex frequenti mercatorum & peregrinantium tranſitu, qui hanc viam ex Hiſpali ad Gades & S. Lucam frequentant. Et quia Cabecas, idem quod capita ſonat, hinc oppidani hoc vulgari ſibi laudi ducunt.

Non ſe haze nada nel Conſeio
del Rey ſeuſa Cabecas.

quod metonymicôs venuſtè ſibi adſcribunt & interpretatur, ac dicerent, Regis Concilium ſine Capitibus, id eſt, prudenti iudicio, quod capita complectuntur, nunquam coire.

Io


Occidens
PALACIOS
Septentrio
Meson
Seuilla
Camino de Cadiz para Seuilla


Meridies
ALCANERILLA
Occidens
Mesquita
Cabeças
La Venta
Aestuarium vulgo Marisma
Marisma
Arroio
Camino para palaçios y Seuilla


Sierras de Ronda
CABEÇAS
de Seuilla
Non, se, haze, nada, nel, con
scio, del, Rey, senza
CABEÇAS
Depingebat Georgius Houfnaglius
Anno 1565.
Septentrio

HARDALES.


ARDALES, siue Ardales, in fœlicissimo totius Hispaniæ Hispalensi agro (*Axaraflum*) Arabes vocant (Bæticæ prouinciæ, itinere, quo ex Xerxes Malagã itur, oppidum, seu potius apertũ & amplum hospitiũ, Hispanis Burgada, Arcem habet præcelsa in rupe à Mauris quondam in limitibus Hispalensis imperij constructam. Quam Christiani deinde, fœliciore auspicio rerum Domini, amplioribus ædificijs condecorarunt. Aquæductum habet, cuius beneficio ex montibus vicinis fontana & limpida aqua in arcem, & inde in oppidum, ad varias ciuium commoditates deriuatur, quibus copiosum fontem largitur. Ciuium opus, victusque ratio in agricultura potissimum consistit, & pecorum pastu, cùm fœlix aruorum vbertas, magnam triticeæ messis lætitiam ipsis, naturæ beneficio, præbeat, vt non immeritò Græcorum carmina Elysias amœnitates huic & vicino Hispalensi agro tribuerint. Hinc frugibus & tritico præsertim abundãt, quod in subterraneis cellis seu puteis eleganter & cautè conseruant. Quæ recondendi ratio, & nobis in Coloniensi agro degentibus, & infœlicis belli diuturnitate attritis, necessariò excogitanda foret, quibus hostiles prædonum excursiones nullum horreum, è Vulcani rabie tutum relinquunt.

CARTAMA.


ARTAMA miliaribus duobus à Malaga distans ad maximi montis radices, qui ad mare vsque Mediterraneum se extendit, oppidulum, cum castro incontinenti situm, in agricultura, & pascendis pecoribus se exercet. Multas in vicinia habet glãdium & gallarum syluas, quarum ad atramentum conficiendum, & ad coria densanda, tum etiam in medicinis est vsus. Venatio hic, & aucupium frequens, ob venustam loci elegantiam. Hic enim aperire se incipit cultum & fœcundum Malagense solum, quod ad Mediterraneũ mare continuata vbertate, sese extendit, & varia fructuum ac herbarum genera, quæ ad exteras etiam gentes, procul emittuntur, producit. Et inter reliquas, herbam, quam Itali Somacho, Hispani Sumagre, Belgæ Sommack, etiam Smack nuncupant, apud Latinos nomen habere Plinius negat. Foliorum vsus ad paranda & condensanda Hircorum & Caprarum coria (Corduana vocant) conducit. Et, qui canos oderunt capillos, decoctum foliorum, ad denigrandos capillos adhibent. Multi etiam hic Cappares hinc inde promiscuè in magna abundantia proueniunt, & à vulgari plebe collecti in Malagam, harum mercium emporium, importantur, inde per mare in Belgium, & ad alias prouincias transuehuntur. Porrò hic mons, cui Cartama adiacet, versus Aquilonem, omninò syluestris est, ab alia autem parte, vineta cõtinet, quæ vina, nec nõ vuas pastas saporis optimi, lætã copiã præstat. Inter vineta autem videre est amygdala, & frequentes ficus, quæ propter præstantiam, abundantia maxima singulis annis, ad omnes prouincias ratibus transportant. In duas autem partes diuersasque appellationes hic mons diuisus est, quarum vna la Sierra, altera la Cerquia nominatur, vnde etiam vtriusque loci vuæ passæ, eandem appellationem sortiuntur. Porrò, etiamsi in hoc oppido nullæ sint vineæ, nec vina calcentur, nec vuæ passæ præparentur, sed magis in circumvicinis montibus Malagæ, & Velis Malagæ; tamen quia iste mõs huius fœlicitatis principium existit, idcircò ad curiosum oblectandum lectorem, modum conficiendi & condendi vuas passas, quarum gratus nobis Germanis est vsus, hic breuiter describemus. Eas potissimùm Mauri conficiunt, qui hos montes plerumque incolunt. Duo sunt vuarum passarum genera, quorum vnum, vuam passam Solis, quæ est cærulea; alterum, vuam passam lixam, quæ est corbea, nuncupant. In primo conficiendo ita procedunt. Quando botrus ad id opus destinatus, maturescit, pedunculum vuæ abscindunt ad medium, ita vt humor radicalis illum amplius penetrare nequeat, attamen in pampino & vite pensilis maneat. Tum calore solis vua exsiccatur, post sufficienter exsiccatam, colligunt, & in vasa recondunt. Alterum verò genus, hac ratione conficiunt. Dum vineæ putantur, abscissos brachiorum ramos, in fasciculos colligant, eosque ad vindemiæ tempus reseruant, quos tunc exurentes, ex cineribus, in magnis vasis lixiuium parant, colligunt vuas, & vnamquamque sigillatim huic lixiuio immergunt, easque deinde in aream obduratam, benè purgatam, & ad id in vinea adornatam, ad meridiem collocant, vt ibi in eas lixiuio conspersas, solis radij operentur. Exsiccatas & à sole sufficienter concoctas, corbibus inferciunt. Et hinc vuæ passæ corbeæ nuncupantur. Eodem etiam modo fiunt ficus corbeæ, ramorum aridorum ex ficubus amputatorum & combustorum lixiuio.

Oriens

HARDALES

Occidens

Cannos d'agua

Camino para Malaga

Depingebat Georgius Houfnaglius Anno 1564.

Oriens

CARTAMA

Las sierras de Malaga

Camino para Malaga


BORNES.

ORNES Hispaniæ Bæticæ oppidum, quæ ab euentu Andalusia dicta est, Cuius appellationis causam ante, quam huius loci conditionem explicabo. Hispania longo tempore sub dominatu Græcorum recta fuit fere vsque ad tempora Romanorum, præter illa tempora quibus Asdrubal & Hannibal Pœnorum duces in aliqua Hispaniæ parte dominati sunt. Demum constat, quosdam Romanos consules amicitiæ, ne dixerim subiectionis, nomine quasdam Hispaniæ prouincias obtinuisse: idque egisse legimus Iulium Cæsarem, qui plurimis acceptis cladibus prius totum pæne orbem perdomuit, quã Hispania sibi plene cessisset. Sed & plures alios constat Hispanias tentasse subiicere, quorum aliqui prius vitam finiere, quàm victam Hispaniam occuparent. Post quos Vandali, Aliani, Hunni, & Sueui Hispanias sunt aggressi. Quæ quidem barbaricæ gentes causam Hispanias ingrediendi habuerunt, pro eo, quia Theodosius Imperator eos insequens à Gallis fugauit. Quare pulsi sunt Pyrenæos montes transire. Hispanias ergo inuasêre, easque diuiserunt. Alani enim Lusitaniam, & Carthaginem sortiti sunt, Vandali Galleciam, Sueui maritima, & occidua Oceani obtinuerunt, & partem Celtiberiæ, dum Romani Saguntum, & Numantiam, & nonnullas alias vrbes tenebant.

Hi Vandali, plerique Bohemi, Russi, Dalmatæ sunt; sed eorum ditio non tam late patuit, potius magnam Saxoniæ partem occuparunt olim Holsatiam, Daniæ partem, & vbi nunc Hanseaticum fœdus, vrbes modo opulentas atque præclaras habet, quæ in istius societatis legibus atque statutis VVandalicæ nuncupantur. Ex hac igitur gentium officina, cum Alanis & Hunnis VVandali in Galliam, tum in Hispaniam se late effundentes, Bæticæ prouinciæ partem occuparunt, quæ inde VVandalia dicitur. Et famosis est decorata vrbibus, quarum complures hactenus exhibuimus. Nunc ea occasione, qua Malagam profecti sumus, etiam hoc oppidum vulgo Bornes nuncupatum, ob situm valde elegantem in itinere expressimus, quod locum occupat planum, compascuum, olei & frugum feracem, vnde nobilibus & patritiis viris hortos cultura præstãtes, & venationis recreationem præbet. Vlterius porro, asperrima, & inhabitata sterilium montium iuga se offerunt: Quorum saxosa, horrida & inculta conditio, Bornensium agros felicitatemque magis commendat. Cum contraria, iuxta se posita, magis elucescant.

ZAHARA.

MIrabilis Zaharæ situs Hofnaglium induxit, cũr vtrumque istius in Bætica Hispaniæ Prouincia, oppidi & castri latus spectandum exhibuerit, Inter Asindam & Arundam in alta & prærupta petra, tanquam specula, & vigiliarum statio, priscis temporibus ædificatum, Granatensi vero bello celebre, cuius causam & occasionem, Deo permittente, præbuit. Dum enim Hispaniæ Christianissimi Principes bello Lusitanico districti, studerent bella intestina dissensionesque ciuiles componere, atque piratarum grassatorumque latrocinia coercere, ac præterea leges ferre, quibus futuræ tranquillitatis pacisque fundamenta iacerentur, & ob id temporarias cum Mauris inducias pacti essent, Hali Abenhazan Maurorum Rex, contra fas, iuraque fecialia ac induciarum pacta conuenta, certior factus præsidio vacuam ZAHARAM (dum Christiani aliis in rebus occuparentur, nihilq; sibi à Mauris, propter inducias cũ iis transactas, metuerẽt) noctu expugnat, Arcis præsidem præsidiariosq; crudelissime obtruncat, matres, virgines, viros, puerosque vinctos, cum armentis & gregibus pecudum in speciem triumphi ducens, arce castelloque validiori præsidio munitis, victor tanquam re bene gesta, ad suos redit. Quæ es, vt opinor, à Deo permissa, belli Granatensis opportuna causa fuit, & Maurorum, obviolati fœderis & iurisrentium nefas, perditionis & interitus. Enimuero ZAHARA postmodum in Christianorum potestatem sic redegiit. Marchio Gaditanus, cum ab exploratoribus accepisset Zaharam castellum, incolis exhaustum esse, & negligentius obseruari, Ludouicum Portucarrerium Palmæ ad Singilim Dominum, adsciscit, & ex Asindo atque finitimis, vndecunque potuit, equitatum sibi adiungit, perque mediæ noctis silentium Zaharam proficiscitur, Iuxta muros secreto quodam loco armatos decem ponit, & post illos proxime alios septuaginta, ipse autem cum reliqua manu non longe in insidiis latet. Sub primam lucem dimittit aliquot ex peditibus, qui per campos grassarentur. Ex Castello erumpunt equites ad septuaginta, (neque enim plures erant) quos sequuntur vigiles & circitores, & qui præcedenti nocte in stationibus fuerant, murorumque custodiam deserunt, non enim putabant interdiu Castellum expugnari posse. Interea ex militibus Christianorum vnus scalas munitionibus admouet, murum scandit, quem decem supradicti sequuntur, partemque muri occupant, pugnamque cum Castellanis conserunt. Accurrũt reliqui septuaginta atque vnam ex portis capiunt. Qui castello eruperant, cum audissent hostes intra munitiones admissos, ad mœnia se recipiunt, quos insequuntur, qui latebant in insidiis, & cum fugientibus simul castelli portas intrant. Castellani in Arcem coeuntes, obsidentur, &, quia plures erant, deficientibus alimentis, diu in obsidione durare non poterant, ex pacto Arcem Marchioni tradunt, ipsis autem abeundi, quo vellent, permissa libertas, Atq; ita Zahara, Marchionis Gaditani industria, Mauris erepta, & à Christianis recepta fuit.



Depingebat Georgius Houfnaglius. Anno 1564.





GRANATA.



RANATAM, primo vrbium Theatro, ex parte Meridionali spectādam, ante annos aliquot exhibuimus, qua ista vrbis Regio videtur, quæ propriè, & vulgo Granata dicitur, Et in valle sita, pro maiore parte à mercatoribus, ciuibus, & opificibus Hispanis incolitur, à Clero pariter, & Nobilitate. Nam ibi Episcopatus & Curia quam Audientiam Regalem nominant. Per quam & Daurus fluuius præterlabitur, cuius ripas, singulari vrbis commodo, tinctores & fullones, magna frequentia occupant. Vbi etiam illa vrbis Regio venustè se exhibet, quæ Abulisim dicta, à Mauris potissimum incolitur. Nunc, quinto hoc vrbium Tomo, nobilissimam & Regiam Granatensem Vrbem, ad occidentale latus contuendam spectatoribus exhibemus, vbi etiam aliæ tam famosæ vrbis partes commodè videri poterunt, Alhambra nimirum, & Antiquenda; de quibus hic quædam, & Granatensi bello explicabimus. ALHAMBRA in colle sita, oppidi magnitudinem, munitionem & tutelam repræsentare videtur, eam Mauri, siue à conditore, Rubro, siue à terra & lapidibus rubei coloris, Rubram nuncupant. Domus est ibi antiqua Maurorū Regia, magnitudine, & vastitate spectabilis, quæ defensores quadraginta millia commodè admittit, aquis, hortis, rebusque varijs, necessitati, deliciis, & iucunditati inseruientibus abundans. Ibi etiam Arx noua à Philippo Rege excitata est, plane stupenda, & Regia magnificentia, forma quadrata ex cæruleo lapide, singulari architecturæ artificio, ad normam secto, aream habens rotundam, valdè elegantem & amplam, & ambitum, triplicibus menianis lætaque ambulatione distinctum. Hæc meniana columnæ marmoreæ venusto ordine dispositæ, sustentant: prout etiam multa, ac varia conclauia, in quorum interiore ornatu, ars & sumptus decertare videntur, vniuersam istius Arcis structuram, pro tanti Regis Magnificentia condecorant. Hanc Granatæ partem Mauri & Hispani mixtim inhabitant. Antiquerula præstans etiam, & populosa Granatæ Regio est, Cuius incolas, qui Mauri sunt, Antiquerulanos vocant, quos ab Antiquera huc commigrasse ferunt. Hi byssum, holosericū, carmesinam, Damascenam, variasque præstantioris pretii telas, magno numero & quæstu conficiunt. ALVESINA, ob mirandam populi frequentiam, peculiarem etiam Granatæ Regionem constituit, Cuius porta in topographia vrbis expressa videtur, per quam Maurorum Rex & Rey chico, hoc est paruulus nuncupatus egressus, cùm Christianorum potentiam declinaret, & in colle constitutus, magnificam, quam deserebat vrbem, tristis aspiciens, illachrymari cœpit. Quod, vbi Regis mater videret, quæ & ipsa in fuga salutem quærebat, filium affata: Meritò, inquit, nunc pueriles extra vrbem emittis lachrymas, in qua, tanquam vir, cordatè pro Aris ac focis decertare piguit. Grauissimum quidem Granatense bellum grauissima Mauri, ex hoc Granatensi Regno Hispanis intulerunt incommoda, ita, vt eorum expugnatio, quo difficilior, ita tardior extiterit. Et tunc quidem, quando Mauros iam deuictos, & profligatos Hispani existimarent, bellum multò crudelius exarserit. Nam ex locis planis, ad asperrimos montes, quos vulgus Alpuxatras nominat, Maurorum Duces, cum omnibus suis copiis à Christianis ad saltus Pirenæos, acerrimo conflictu profligati, magnaque suorum militum multitudine cæsa, per sexcenta ferè passuum millia fugientes, peruenerunt. Hic ex montium iugis altisque rupibus, velut ex propugnaculis & turribus ingentia saxa deuoluentes, ascensuque Christianos prohibentes sese defendebant. A quibus Christiani duces, & omnes milites diuturnitate belli & multis præliis antè gestis, longaque persecutione iam defessi, crebrisque saxis & telis grauiter offensi, quum diutius ferre laborem non potuissent, cum suis omnibus copiis discesserunt, & vnusquisque domum suam se recepit, Quorum discessū Mauri valdè lætantes, quum aliquamdiu Christianorum timentes insidias, in montibus se continuissent, deinde iam Christianis absentibus, longeque remotis in campos planaque loca descenderunt, & cum multis aliis qui traiecerant ex Africa, coniuncti, Granatam vrbem compluraque oppida rursus occuparunt. Quorum, qui potentiores erant, plus viribus valebant, regium nomen vsurpantes, vrbem Granatam, omnium totius Hispaniæ ciuitatum maximam, domicilium habuêre.

Hi autem Mauri, tantæ vrbis, totiusque Granatensis Regni in quo multæ vrbes, oppida, & munitiora loca, freti potentia, longis excursionibus, cædibus, captiuitatibus & direptionibus, vicinis Hispanis valdè molesti fuerunt; Adeò quidem, vt, dū Hispaniæ Principes, Portugalliæ bello occupati tenerentur, pacem cum Mauris ad certū tempus, interpositis induciis, constituerint. Quas inducias pactas solenniter cum Barbari, qui agresti, malo, prauoque ingenio, fœdifragi semper, fallacesque fuerunt, ante statutum diem violassent, Zaharam, in Christianorum oppidū noctu, magno silentio venerunt, & per scalas mutis admotis ingressi, Christianos, qui propter celebratas inducias sine vllis excubiis securi nudique dormiebant, impetu magno, & repentino, foribus impulsis, fractis, & euulsis, crudelissimè obtrucidarunt, neque mulieribus parcentes neque pueris. Est enim Mauritaniæ in Christianos immanitas incredibilis. Hac vsi sæuitia, in oppido capto, præsidium relinquunt, & similia truculentia, ad alia Christianorum oppida profecti, eodem modo in innocentes sæuierunt.

De hac Maurorum perfidia Rex Ferdinandus & Isabella prudentissimi Principes facti certiores, per internuncios & litteras, Hispaniæ potissimum verò Beticæ, & Carthaginensis Prouinciæ Proceres ad iustum, & defensiuum bellum, magno studio excitant. Itaque rebus necessariis, ad tantam expeditionem subitò comparatis, tum statim Granatenses Mauros tentarunt, ad quod vires ipsorum statim non sufficiebant, sed Alhamum oppidum cum Arce nocturno tempore occuparunt, distat ab vrbe Granata non amplius octo & viginti millib. passuum. Deindè, post aliquanti temporis interuallum, Cordubæ nouo conflato exercitu, Loxam, Maurorum ciuitatem magnam, natura loci, præsidioque hominum mitissimam, non sine difficultate, iisdem, Rege Ferdinando & Isabella Ducibus Christiani expugnant. Quam ciuitatem, cùm esset magna, & Granatæ propinqua, copioso præsidio muniunt. Atque his quidem fœlicibus diuersarum victoriarum successibus Christiani animati, reliqua istius Regni oppida, & firmiora loca Granatæ vicina, tentant, atque tam multa paulatim expugnant, vt ciuitates quatuordecim, centumq; oppida, & arces complures potestatis suæ fecerint. Adeò quidem, vt Granata, etsi longè maxima & populosa ciuitas, expugnatis tot locis, sola quasi corpus sine membris, arbor sine ramis, & mater orbata liberis remanserit. Et tum quidem Rex Ferdinandus cum magnis Hispanorum copiis, Granata proficiscitur, cuius primùm agros ingressus, eos igne, ferroque vastauit. Quod diuerso tempore, iteratis excursionibus fecit: sed & in loco Granatæ propinquo, quem Goscon Mauri vocabant, distante à Granata passuum millia circiter octo, castra locauit, quin & nouam ibi vrbem, quadrangulari forma, nomine sanctæ Fidei, ingenti labore ac sumptu, valide munitam ædificauit. Tunc certe maximam gloriam, Regiamque beneuolentiam meruêre strenui istius belli duces & equites fortissimi, qui Mauros Granatenses, ad tantum impediendum opus acerrime irruentes, non sine fuso sanguine propulsabant, & equestres hostium copias, quotidianis præliis minuebant, adeò, vt Mauris ex equorum quinque millibus, vix trecenti superessent. Quæ res nimirum Granatensis belli finem inuenit. Granatæ namque Rex, Boabdelis suis equitibus, vicinisque omnibus ciuitatibus amissis, & depopulatis agris, cùm intra Granatæ muros ingentem multitudinem, & hominum millia fere ducenta, sine commeatibus alere non posset, & omni spe subsidii destitutus, de facienda deditione cogitauit. Et tandem, extrema necessitate cogente, per internuncios vltro citoque missos, æquas deditionis conditiones ab Alfonso Rege impetrauit. Et sic Regia dignitate, tituloque priuatus Kalendis Ianuarii, anno Christianæ salutis 1492. Granatæ portis reclusis, magnum Christianorum militum numerum in Granatam vrbem, & in Alhambram recepit, regiæque domus turres, vrbis portas, & omnia munitiora loca Christianorum præsidiis assignauit. Posteroque die manè, captiuos Christianos complures compedibus vinculisque solutos, cum quingentis obsidibus, quos se daturum pactus fuerat, ad Catholicos principes misit in castra. Reges autem Catholici cùm per tentoria distributos obsides obseruari diligenter, & honorificè tractari iussissent, ad captiuos Christianos, qui, Benedictus Dominus Deus Israel, decantabant, conuersi, cùm flentes & toto corporis habitu & vultus effigie deformatos aspexissent, eorum sortem miserantes, omnes indutos rebusque necessariis adiuuantes, ad suas domos ire iusserunt.

Et hac ratione Granatense bellum Anno 1482, fæliciter cœptum, decem annorum tempore, diuina fauente clementia, fælicius finitum est: Et Mauri, immanissimi Christianæ Religionis hostes, qui vltra septingentos annos, hoc Regnum tenuerunt, subacti sunt. De quo quidem bello eruditissimi viri volumina, & elegantes libros scripserunt, Petrus Sancteramus Siculus ciuis Messanus, Ferdinandus Pulgaruus, Hispanicè, cuius historiam in Latinum sermonem Antonius Nebrissensis: Petrus Martyr Protonotarius. Gonsalus Aiora Cordubensis Regius historicus, Alphonsus Palentinus, Tristanus Syluius, & Lucius Marinæus Siculus.


GRANATA
A. GRANADA.
B. ALVEISIN.
C. ALHAMBRE.
D. ANTIQVERVELA.
1. St. Hieronymo.
2. Hospital St. Juan.
3. Yglesia maior.
4. St. Christoual.
5. Castillo Atobin.
6. Castillo Maior.
7. St. Francesco
8. Palatio Real nueuo.
9. Sancta Maria.
10. Sanct Genes.
11. Puerta serrada.
12. Sancta Helena.
13. Masmoros.
14. Los martires.
15. Gannos antigos.
16. Sierra neuada.
17. Sierra del Sol.
Occidens
Effigiabat Georgius Hoefnaglius
ANNO MD LXV

AMOENISS. CASTRI GRANATENSIS, VVLGO ALHAMBRE DICTI, AB ORIENTE PROSPECTVS.



ECTOR ET SPECTATOR BENEVOLE, Dum in amœnissimæ, & magnæ Granatæ Vrbis descriptione versamur, tam variæ famosæ vrbis partes spectandæ, & historico contextu enarrandæ veniunt, vt paucis picturis ac foliis, eius loci magnificentiam comprehendere nequeamus. Itaque nunc amœnissimum Castri Granatensis ALHAMBRE dicti, ab Oriente prospectum, & quorundam locorum, quos singularis commendat historia, conditionem, ac situm separatim exhibemus.

ALHAMBRA Regia Arx, & vetus Maurorum Palatium indicat, quanta magnificentia ac fastu barbara hæc gens, istud Granatense Regnum possederit. Si enim externam structuram, & interiorem deinde istius Arcis magnificentiam consideres, certè, eos, Regibus & Principibus nostris nedum pares: sed & longè magnificentiores fuisse, facilè diiudicabis. Nam, interior huius arcis structura valdè sumptuosa est, atque superba, quæ ex porphyrite, Iaspide, & marmoreo lapide constat. Muros, trabes & tabulata auro obducta, emblemata, hieroglyphicæ notæ, Arabicæ literæ, & varia signa musiuo opere incrustata exornant. Quæ, cum sint exquisita, & raræ notæ ornamenta, magnas Mauritanæ gentis opes, & singularem magnificentiam contestantia, sic magna Christianorum cura ac diligentia, à situ, & interitu conseruantur, & collapsa restaurantur. Locus in eadem Arce elegans, & spatiosus conspicitur, forma quadrata, vulgò, EL QVADRO, aut LOS LEONES, in cuius medio duodecim leones labrum admodum capax ex candido marmore in dorso sustinent, in cuius medio fons limpidissimæ aquæ in altum, adinstar erectæ hastæ rapidissimo motu prosilit, & in idem labrum deinde recidit, vnde canales deinde, & delectabiles aquationes promanant, in quibus Maurorum Reges, cum Reginis, æstiuos calores, ludendo mitigare solebant. Locum hunc meniana, quæ marmoreis innituntur columnis, cingunt. Ex hac arce, in quantum oculorum acies se extendere potest, vniuersa propemodum Granata videtur, læta etiam arua LA VEGA DE GRANADA nuncupata, Montes perpetuis niuibus candentes, ferarum viuarium, & in eo, omnis generis cerui, damæ, capreoli. Vltra hanc arcem paululùm ascendendo, elegans & venusta domus GENERALIPHA seoffert, natura, arte, & situ, ad venustatem & recreationem composita. Aëre enim sereno semper gaudet, & fontibus multis abundat, Quorum vnus, mirabile, & iucundissimum visu, aquas in miram altitudinem copiosissima eructatione brachii crassitudine emouit, quod extra istius domus muros longissimè prospici potest, maximè splendente sole, qui huic monti, primum exoritur, vnde LA SERRA DEL SOL lingua vernacula nomen habet. Porrò, vlterius ascendendo in vertice montis, multa ætate ferè collapsum Maurorum Fanum est, nunc Christianum oratorium, S. HELENÆ nuncupatum. Ad quod ferè omnes, qui Granatam visere cupiunt, ascendunt, vt eius templi muro, suum, & patriæ nomen inscribant. Quod quidem ea consuetudine, & opinione vulgi receptum, vt is Granatam non existimetur vidisse, qui id non præstiterit. In eodem hoc monte Maurorum Regibus olim horti, vario herbarum ac florum genere, ad voluptatem & recreationem decenter vestiti fuerunt, quorum nunc etiam satis manifesta supersunt indicia. Iuxtà cisterna est publica, ALGIBE dicta, imbribus colligendis, à Romanis quondam parata; In qua præterquam quòd nullum omninò putredinis incommodum aqua sentiat, medicam etiam eandem esse, Hispani longè sunt experientia docti, nam pota, ventris fluxum sedat. In latera eiusdem montis, ædicula sacra est, multa antiquitate, & veneranda martyrum memoria, nobilis, LOS MARTYRES, vulgò, vbi putei & antra, in rupibus excisa, & scalpellis cauata videntur, quorum, vt supernè ingressus angustior, ita infernè latioris sunt spatii, in quæ Mauri Christianos, quos frequenti numero captiuos tenebant, & crudeliter tractabant, noctu protrudere, & funibus solebant demittere, quos mancipiorum instar, diurnis conficiebant laboribus. Sempiternæ horum martyrum, quos Maurorum diuturna cruciauit tyrannis, memoriæ, sacellum hic ædificatum est; potissimum verò, raræ pietatis Episcopo, qui multo tempore in squalido, tetroque carcere detentus, cùm libertatis spe priuatis, & his quidem longè maximis, sumptibus, muro, ex lapide viuo constructo, Granatensem vrbem cinxisset, Maurum Granatæ Regem, quàm multorum Christianorum, ex misera seruitute, & captiuitate libertatem ac dimissionem, tantum opus mereretur, rogauit; Rex, trecentos libertate se donaturum, respondit, modò Episcopus in sua potestate maneret captiuus. Pius, ac religiosus Episcopus, communitati magis quàm priuato commodo studens, dum perpetuis cruciari carceribus, quàm solus (aliis permultis Christianis in summa seruitute degentibus) libertate frui maluit, diuturnum ac voluntarium martyrium, incolumitati multorum præposuit; & squalore tandem carceris enectus, ad felicem æternamque Beatorum patriam emigrauit. Is locus Hispanis MASMOROS dicitur.


Denique Arcis Granatensis porta ad viuum, eadem hac lamina exprimitur, per quam captus Maurorum Regulus IL RO CHICO, se, Granatam & Arcem, Ferdinando Hispaniarum Regi tradens, exiuit. Et expugnati Granatensis Regni hanc sempiternam memoriam remanere postulauit, vt nemini post se hæc porta vnquam pateret. Quod à Ferdinando Rege, cuius celebrior, hæc erat memoria, facilè impetrauit. Itaque hæc porta, ab eo tempore semper clausa mansit, Et ne vnquam aperiretur, firmo propugnaculo, ante eam, talem in finem excitato prohibet.

Amoenissimus castri Granatensis, vulgo
ALHAMBRE dicti, ab Oriente prospectus

A. *Sancta Helena.*	I. *Las sierras de Alhama.*
B. *Generalipha.*	K. *Gauia pueblo.*
C. *Sancta Maria.*	L. *Parte del muro de Granada.*
D. *Palatio Real nouo.*	M. *Camino de Guadays.*
E. *Palatio Real antiguo.*	N. *Casa del moro rico.*
F. *Castillo maior.*	O. *Morisco de Granada.*
G. *Granada.*	P. *Daipha morisca, rica.*
H. *La Vega de Granada.*	Q. *Morisca commun.*

A B C D E F I K L M M O P P Q

Effigiabat Georgius Huefnaglius. Anno dni. 1564.



TOLETVM.



OLETVM, primariam Hispaniæ vrbem, quæ quasi centrum præstantissimi istius Regni constituit, Primo ciuitatũ Theatro exhibuimus, Nunc, præter magis luculentam tantæ Regiæ iconem, Ecclesiã ipsam Metropolitanã, & Regiam castrum accuratiùs expressimus. Prima sanè Hispaniæ ciuitas hæc semper fuit, quæ Christi Euangelium suscepit ab Eugenio Martyre, ipsius D. Dionisij Areopagitæ Gallorum primi Apostoli socio: Hispania tunc Romanis parente; sed non ita Diu post, sub annum videlicet Christi 400. inter VVandalos, Alanos, Sueuos, & Gothos diuisa; Gothis regiam snam sedem in hac ciuitate Toletana pouentibus, Christoque paulatim nomen suum dantibus, & Catholicam fidem strenuè defendentibus, donec tandem post trecentos plus minus annos, Saraceni totam Hispaniam exceptis solis Cantabris, & Asturibus gentibus omni tempore fort ssimis, occuparunt; cum religionis nostræ interitu nunquam satis deplorando, quorum tyrannis, iam inde ab anno Christi circiter 700 ad patrum vsque nostrorum memoriam penè in aliquot Hispaniæ locis perdurauit: Toletana tamen ciuitare nobilissima iam post annum Christi 1000. per Alphonsum Sextum Regem è manibus istorum fort iter erepta, Bætica certè, quæ & Granata nunc vocatur, Ferdinandi sexti, Philippi Regis Hispaniarum potentissimi, Proaui, armis ante annos non ita multos à Saracenis demũ recepta fuit. Et est ciuitas hæc diuisa in regiones tres & viginti, quas nobilitat & illustrat amplissimum & pulcherrimum templum, quod omnium iudicio sacras omnes ædes & forma conspicua, & magnificis ædificijs, sacerdotumque ministerijs & ditissimis ornamentis antecedit. In quo templo fenestræ speculares complures & imagines pulcherrimæ varijs coloribus admirabiles & antiquas historias referentes conspiciuntur: vbi perlucida specula septingenta numerantur. Est præterea templum non solum magnum, pulchrum splendidum, sed etiam opulentum. In cuius sacellis, quæ capellæ vocantur, & sunt numero plures, altaria sunt ornatissima. Est operæ preciũ & res admirabilis videre singulis diebus, & præcipuè festis huius Ecclesiæ, sacerdotes supplicantes, nunc aureis, nunc argenteis, modò sericis aliquando purpureis, & nonnunquam gemmatis ornamentis & preciosissimis indutos, rem diuinam celebrantes, & horas canonicas concinẽtes. Huius Ecclesiæ Antistites in Hispania secũdus est à Rege, non dignitate solũ & authoritate, verùm etiã populis, vectigalibus & potentia; sub cuius Imperio, præter alios minores populos, opida nobilissima ac memorabilia septendecim gubernãtur, ex quibus magnus Ecclesiæ Toletanæ reditus exigitur. Cuius summã referunt, annuè ad ducentorum millium ducatorum Sunt in hoc sanctissimo templo portæ numero sex, tres ad Occidentem, duæ ad Meridiẽ, & vna ad Septẽtrionem, quæ sunt omnes grandes & pulchræ laminis æreis adornatæ, multisque Sanctorum simulachris & imaginibus & antiquis historiis conspicuæ. Sunt & pulpita duo pulcherrima atq; ditissima Est & altare, in quo D. Illephonsus celebrauit, acceptis ornamentis ad sacrificandum necessarijs à virgine Dei genitrice. Sed quid præterea dicam de sacrario & de magnis diuitijs & Sanctorum reliquijs, quæ in eo sunt admirabiles? quid de sacellis & altaribus huius templi, quæ Capellæ vocãtur, adornatissimis? de ea præsertim quam Cabildum Vocant, aureo tecto, & omnium Pontificum, qui hactenus huius Ecclesiæ fuerunt, imaginibus ornatissima? Distribuuntur in hac Ecclesia multæ pauperibus Eleemosinæ singulis diebus, & octo minæ cocti panis hominibus probis & inopia laborantibus, qui mendicare erubescunt. Antistes præterea triginta pauperibus quotidie largitur alimenta, qui magnas etiã cõfert eleemosynas viduatis pauperibus, & orphanis virginibus maritandis, cæterisq; multis hominibus necessitate coactis. Toletanæ Ecclesiæ antiquitat m, (inquit Vasæus in chronicis Hispanicis Tomo I. c. 20.) maiestatem, opulentiam, elegantiam, si dicere velim, nescio Hercle; an satis pro dignitate possim. Illud in præsentia satis sit dixisse, Archiepiscopum Toletanum in Hispania, post Regum, ac Regiam prolem nulli esse, neque dignitate, neque fortunæ amplitudine secundum Hæc quidẽ Vasæus Cæterùm quia pleriq; Toletanæ Ecclesiæ primatum in dubium vocãt; Braccarensem hoc casu defendentes quod idem V. sæus de hac controuersia alibi scribit, paucis subiungã. de primatu, inquit, Hispaniæ penes quem fuerit, certo deprehendi vix potest. Nam in concilijs primùm Archiepiscopi, deinde Episcopi, secundum ordinationis suæ tempus sedebant. quod patet tum ex ipsis conciliorum subscriptionibus, tũ ex primi concilij Braccarensis capite 24. Sed quan um ex Hispanorũ annalibus colligi potest, primatus Hispaniæ primũ, in Hispalensi fuit Ecclesia, deinde Toletana vsq; ad excidium illud Hispaniæ funestũ. Postea verò, quum Toletum adhuc esset in Barbarorum potestate. Braccarensis Archiepiscopus ea dignitate functus est, vt ex ijs constare potest, quæ ex Ecclesiæ Braccarensis archiuis diximus dum de Braccarensi præsule loqueremur. Denique restituto Christianis Toleto, dum Braccarensis acquisitam semel dignitatem sibi vendicat, Toletanus amissam postliminij iure repetit, contentio inter eos orta est, vt ex libro Decretalium apparet, & adhuc sub Iudice lis est.

Habuit interim sedes hæc Toletana, viros multos excellentissimos, scriptis, & vitæ sanctitate claros; inter quos Hildephõsus, qui Eugenio successisse perhibetur; Iuliani præstantissimi viri duo, quorum alter inter multa heroica opera, tres libros Prognosticon, siue de futuro sæculo edidit, à Boetio Epone Bordahusano, Professore Regio in Academia Duacena, ex vetustissimis membranis in Marchianensi bibliotheca repertis, in lucem prolati, Qui quidem Iulianus Præceptorem suum laudat tertiò horum Prognosticon libro quendam Eugenium, quem nunc sacrũ nunc egregium nominat, & eiusdem Toletanæ segis Antistitem appellat. Alter verò Iulianus Pomerius contra Iudæos libros elegantes ad posteritatem transmisit. In fine libri tertij Anno Christi 686 se vixisse notat, hoc est, Aera, vt ipse ex Hispanorum consuetudine loquitur, 724 His Damianus à Hoes in sua Hispania, S. Illephonsum adiungit, cuius priùs meminimus. Et quia tam præstantes viri Toletanę Ecclesię s. mper pręfuerunt Antistites, hinc, qualibuscunque causis & cõtrouersijs in tota Hispania exortis, deliberationes & consultationes, vt plur mũ, ad Antistitem Toletanum delatæ. Præter etiam hos, de quibus hîc mentio fit, viros, fama & eruditionis gloria celeberri os, accedit Aloisia Sygæa virgo Toletana, quæ (vt refert Io. Vosæus in Hispaniæ Chronico) quinq; linguarum adeò perita fuit, vt non immeritò Paulus III Pont. Max. literas illius ad se scriptas Latinè, Gręcè, Hebraicè, Syriacè atq; Arabicè, laudibus pariter ac faustis comprecationibus sit prosequutus, admiratus tam multiplicem ingenij fructum, & donum multiplicis linguarum scientiæ in viris quoque rarum, nedum in fœminis. Porrò Toleti Concilia celebrata fuerunt xvij. quod nimirum alibi nusquam. Quorum quatuor annotata, publicata non sunt, sed à Vasæo in Chronicis Hispanicis diligenter ex Archiuis annotata. Porrò, inter multa alia vrbis Toletanæ mirabilia, quæ non omnia vnica hac pagina commemorari potuerunt, etiam est celeberrimum Palatium à Carolo V. restauratum, & nouis structuris regio apparatu exornatum, in quo machina est hydraulica, miro Italorum ingenio fabricata, quæ ex Tago flumine, opera magnæ, versatilis, & excauatæ rotæ, aquas in fistulas & tubos, per structiles canales in summitatem arcis & montis, artificioso impetu cogit & impellit, vbi vnum in locum, & amplum receptaculum collectæ, in varios Arcis & totius vrbis vsus delapsæ distribuuntur, quæ riuulos deinde & fontes hortis magnatum ædibus, balneis, fullonibus, & ciuium vsibus abundè suppeditant.

Veuio nunc (scribit L. Marineus Siculus) ad alia, quæ sunt extra vrbem, & memoratu digna; Facit Toletum fœlix & opulentum Tagus amnis diues & amœnus, qui vbi proximus vrbi, ponte, quem vnus arcus, miro opere sustinet, transitur, hic Toletanis pisces optimos præbet, hortos irrigat, materiam multam è nemoribus longè distantem euehit, cuius aqua per aureas arenas defertur, est valdè salubris, & Toletanos hortos irrigans causa est, vt fructibus & herbis hortensibus tota ciuitas abundet. Vtraq; siquidem ripa fluminis Orientem versus hortis & arboribus ad passuum millia ferè quinque fertilissima est. & ad Occidentem tantundem: ad meridiem verò & Septentrionem, præter vineas multas, sunt etiam amygdalorum & aliarum arborum quasi nemora iucundissima. Seruiunt Toletanæ ciuitati tanquã Dominæ multis & varijs rebus opida multa, pagorumque maximus numerus, qui quidem ciuitatem diuitem faciunt & rebus omnibus abundantem. Alia præterea multa de rebus Toletanæ ciuitatis memoratu digna mihi veniebant in mentem, quæ causa breuitatis omitto. Cæterùm, de conditore Toleti affirmare certi nihil possum, tametsi non desunt qui ab Hercule conditam fuisse fabulantur. Quorum sententia, quoniam sine teste loquũtur, mihi certò non satisfacit, cum pręsertim librum legerim antiquissimũ, sed sine principio, & sine nomine eius qui scripserat, in quo mihi multa vera esse videbantur, vbi Teletum à Ptolomæo & Bruto conditum fuisse scriptum erat Sed à quo Ptolomæo & à quo Bruto declarauit. Est autem Toletum ædificium antiquum, de quo Plinius & alij scriptores meminerunt. Vbi fuit olim magnum Theatrum extra muros; ad partem Septentrionalem, quod etiam nunc etsi dirutum & quasi complanatum est, eius tamen vestigia formaque cernuntur. Quod opus Romani magis quàm aliæ gentes vllæ facere consueuerunt.

Scribit Fortalitium fidei contra Iudæos lib. 4. Quod Toletum gloria quondam & honor Gothorum Anoo 1095. mense Maio Christianis restitutum sit, per Castellæ Regem Alfonsum VI. Qui Regiam deinde ibi constituit, & fecit ex Mesquita maiore Ecclesiam Cathedralem dictã; S. Mariæ. Et ordinauit, vt eligeretur, Archiepiscopus, qui primus esset totius Hispaniæ, illamque Ecclesiam dotauit plurimis villis, castris, & possessionibus, Et in die consecrationis cum Regina rerum pretiosarum, & reliquiarum sacrarum thesaurum in eandem obtulit, & illius festiuitatis anniuersariam memoriam instituit.


TOLETVM
Depingebat Georgius
Septentrio
Oriens
Hoefnagelius 1566
El Ingenio
Tagus fluui9
Templum Archiepiscopat9 Toletani
Palatium Regium Toletanum

MONS ET CRYPTA S. ADRIANI IN BISCAIA.



N Hispania, quæ fere rota montosa est, Iberiæ montes, qui Pyrenęvocantur, & latitudine & longitudine omnes alios antecellunr, Nam à mari, quod est ad Meridiem, iacenr, vsque ad Oceanum ferme ad Arctos situm, Galleciamque ab Iberia diuidunt, per Celtiberiam quoque protenduntur, stadiis tribus millibus. In quibus cum sint frequentes syluæ, ferunr, priscis temporibus igne à pastoribus iniecto, vel per arborum & ramorum collusiones, montanas omnes regiones fuisse combustas, qua ex re montes, aiunt, cognominatos Pyrenæos, ardente continuis diebus igne, pluresque ex montium incendiis argenti puri riuuli effluxerunt, quod incolis ignotum. Phœnicis mercatores vili rerum permutatione emptum, in Græciam, Asiamque, ac nationes cæteras deferenres, magnas ex eo commercio opes contraxerunt. Adeo autem mercatores quæstus incitauit cupiditas, vt cum onustis nauibus superaret argentum, amoto ab anchoris plumbo, argentum subducerent eius loco. Idem confirmat Aristoteles lib. de mirabilibus auscultationibus qui inter cætera scribit, hac occasione, mercatores etiam anchoras totas & omnia nautica instrumenta ex argento conflasse. Atque hac quidem occasione Hispani metallis inuestigandis, sedulam nauarunr operam, Et postea, quum Romani Iberiam subegissent, captam & emptam seruorum copiam ad effodienda metalla deputarũt, qui variis locis montium venas scrutati, & alte lateque terra effossa, multorum stadiorum cuniculos, per Pyrenæorum montium meatus egerunt, ur nunc, multis in locis, altæ & amplæ speluncæ, cuniculi deserti, & prope ruinis interclusi inueniantur. Et quia hoc casu, Hispania permultos homines rei metallicæ gnaros semper habuir, sic facile illis fuir rupes & montes, aliorum opinione nunquam peruios, scrutari, peruestigare, & arte peruios facere. Cuius quidem industriæ mirabile specimen videre est, in ea Pyrenæi parte, qua Hispaniam & Franciam separar. Qua parte, Hispania maxime angusta est; adeo, vt ego, dum per Cantabriam iter facerem, inquit Vaseus, in monte D. Adriani, vtrumque mare me vidisse meminerim, Oceanum videlicet, cui eramus proximi, atq; eminus, quantum oculorum prospectus ferre poterat, Mediterranei maris albicantes fluctus. In hoc autem D. Adriani monte antrum apparet, via, qua in Galliam tenditur, per quod viatores vltro citroque commeant, haud aliter, vti per Pausi lipum in Italia, prope Neapolim. Hic enim in Biscaia via liapidea, per antrum huius S. Adriani monris recta ducir, incipiẽdo à pago Galerotta, qui quinqueM. passuum ab oppido Victoria distat, vbi ob asperrimam itineris difficultatẽ, incommodus equorum vsus, qui proinde manu ducendi sunr, & quia summa montium iuga abrupta, & imperuia, glacies, niuesq; perennes nulla profectione superari possunt. De quibus id quod Germanus quidam poeta de Prennero monte cecinit, vere dici possit, Cui niue tincta coma est, glacie riget aspera barba. Nam glacie; & perpetuis niuibus candent, imo horrent, semper, infra saltus ac scopuli valde difficiles, vt necessitas ipsa &, quam hæc excitare, solet, industria, artem, modumque inuenerit, quo montem peruium facerer, & in eo antrũ aut cryptam perfoderet, mediocriter quidem latam longam vero, in quantum sagittæ iactus extẽdere se queat. In ingressu, ab Hispanico latere, subobscura est, aliquantulum deorsum ducit, & in medio ad latus sinistrum vergit, vbi deinde, ad exitum, veluti stella, gratum lucis beneficium affulgere incipir, & qua parte Galliam respicit, muro & porta clauditur. Huius autem Cryptæ tanta est commoditas & maximum compendium, vt non immerito alterum παυσίλυπον, quasi molestiarum atq; laboris ademptorem, hunc montem appellandum existimem. Quo cognomine, & Iouem ipsum celebrarunt Græci veteres, vt apud Sophoclem legimus. Exuperata hac crypta, lætum se offert hospitium, in quo peregrinis & maxime iis, quorum loculi bene instructi, iucundæ refectiones præbentur. Nec equis, etiamsi nummis careãt, sua fercula desunt. Et, si quẽ deuotionis zelus ad res sacras commoueat iuxta est facellũ D. Adriano sacrum, vnde monti, & cryptæ denominatio est. Inde, mons in cliuum paulatim se subducere incipit, vnius miliaris itinere, & via, quemadmodum Appiana, lapidibus strata. Romanorum opus existimatur. Hac transeuntes, vt plurimum nomina sra scopulis, & cautibus, quæ hîc, veluti Marpesiæ, & immẽsæ, nõ desunt, ferro insculpere solent, vnde infinita nomina, insignia, & diuersi annorum numeri ibi conspiciuntur. Et homines remotissimarum patriarum, per salebrosas & horridas istas Pyrenæi cautes, iter fecisse constat.

Videbit etiã studiosus spectator in tabula, diuersum Biscainorum & Vasconũ habitũ. Virgines innuptæ, aperto & raso capite prodeunt, gestantq; in capide nudo amphoras, vrnas, vasa, & res qualescunq; non leues: Statim vbi nupserinr, caput velant, & vitta tegunt in modum galeæ composita ex linteo coloris aurei, quam eum in modum inuoluunt, vt in fronte, veluti cornu aliquantulum extet. Gens affabilis, elegans, hilaris. Viri, nusquam, & ne ad Ecclesiam quidem, sine armis, maxime sagittis & arcu, prodeunt.



Nobilis Matrona Biscaina





Nobilis Virgo Biscaina

La Sierra de Sant Adrian en Biscaia de Georgio Houfnaglio depinta. Anno Domini M. D. LXVIJ



Villano y Villanas Biſcainas yendo al marcado en Vittoria
Rusticus et Rusticæ Biſcainæ euntes ad mercatum Victoriam.

Donsellas Biscainas y Gasconas.
Virgines siue puellæ Biſcainæ et Aquitanæ

Femme de Sant Iean de lous.
Mulier in Sanct Jean de lous Aquitana.

Femmes mariees en Bayona.
Mulieres nuptæ Biſcainæ et Aquitanæ in Baiona

Allantes a l'eglise.
Prodeuntes in publicum in Baiona.

XAINTES.



SANTONES ex antiquissimis Galliæ populis esse, argumento est, quod Ptolomæus li. 2. cap. 7. tab. 3. Europæ, & Strabo li. 5. Geographiæ, eorum mentionem faciunt: quorum vnus tempore Augusti, alter annis 50. pòst vixit, qui illos apud mare sedes habere, inter Pictones & fluuium Garumnam, memoriæ commendarunt, triaque illorum loca, Mediolanium nempe, Portum, & Promontorium Santonum nominant. Huius Prouinciæ Territorium nulli in Europa cedit, veteresque Absynthium & alumen Santonicum aliis prætulerunt. Et est Metropolis Santonum vicina fertili fluuio Charentio, qui originem suam in loco Charemac dicto, inter Lemogunum & Angolismiam vrbem, sumit, cursumque suum per Siuraium, Angolismensem prouinciam & Coignacum dirigens, Santonum alluitur, & ad Soubisum, vbi rursum mari se insinuat, spacio 25. circiter milliarium, à fonte primaq; sua origine. Vix etiam negari potest, hanc vrbem à Ptolomæo Mediolanium vocari, quæcumque enim Mediolanio conueniunt & adaptari possunt, Santonibus optimè quadrant. Latitudo siquidem & longitudo Mediolanii à Santone vix discrepat, vnam eandemq; metropolim huius Prouinciæ diuerso nomine repræsentant, quæ ciuilem & Ecclesiasticam Iurisdictionem semper exercuit. In temporis quoq; antiquitate nulla est disparitas, iam inde à tempore Apostolorum Mediolanii sedes Episcopalis huius Prouinciæ fuit. Deinde veteres murorum structuræ & aliæ antiquitates, quæ passim conspiciuntur, sat luculenter demonstrant, Mediolanium fuisse Santonum quondam Metropolim, nomen que hoc postea à Romanis mutatum, & à populi nomine, qui ei imperabat, appellatam, quod idem accidit Perigurianis, Lemouicibus & Parisiis, quarum nomine mutato, aliud vicissim ab incolis sortitæ sunt. Inter alia antiquitatis monumenta, videntur ibi adhuc fundamenta, ruderaque ruinarum. Amphitheatri ei simile, quod Perigordii est extra vrbem, & circa iter, quod San-tano-Angelium oppidum versus tendit; visuntur aliqua frusta Aquæductus, aquarumque & fontium canales, qui in Ciuitatem ducebantur: sed maiore admiratione dignus est Arcus arti...uus in ponte fluuii Charentæ ante vrbem, in quo arcu ab vno latere hæc verba leguntur. CÆSARI NEP. DIVI IVLII PONTIFICI AVGVRI. Ab alio latere huiusmodi characteres, vt plurimũ detriti conspiciũtur. C. IVLIVS. C. ICTVNEV... RVFVS... IS NEPOS E... POV. SACERDOS ROMANÆ... LVENTEM. PRAEFECTV... P. RO.

Cæsare in Gallia bellum gerente, & etiam paulò pòst sub Augusto Iulii Cæsaris Nepote Santones cum aliqua Aquitaniæ parte à Romano exercitu subacti sunt. Et possumus hic meminisse Ouid. lib. 1. eleg. 7. qui de mari Santonico sic loquitur.

Non sine me est tibi partus honos: tu bella Pyrene
Testis, & Oceani littora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusq; celer, magnusq; Garumna,
Carnoti, & flaui cærula lympha Liger.

Ammianus Marcellin. li. 5. Santones inter præcipuos & primarios Galliæ populos refert, his verbis: Prima Gallorum Prouincia (Aquitanica scilicet) est valdè populosa, pulchras & splendidas ciuitates complectitur, &c. Alia, quæ de hac insigni vrbe & circumiacentibus regionibus afferri & notari possent, missa facio, Illud tantùm dixisse sufficiat, Santones, cæteros Aquitaniæ populos antiquitate vincere, vbi præter iam dicta tot amœni prospectus, tot hortorum decora, tot agrorum lumina, vbi denique, cùm ciuitas sit temperatiore sub climate constituta, aeris salubritas maxima. Absynthium porrò Santonum Martial lib. 9 Epigram. 96. sic commendat.


Santonica medicata dedit mihi pocula virga
Os hominis, mulsum, me rogat Hippocrates.

Vestitum veterum Santonum idem Martialis hoc carmine exprimit.

Gallia Santonico vestit te Bardocucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Linquo varias Saxonum, qui tum vocabantur Barbari, excursiones, quibus olim Santones exagitati sunt, quarum seriem ex Sidonii Appollinaris li. 8. epist. 6 qui scire cupit, poscat. Ad Orientem Santonum vrbs Angolismensibus affinis est, ad Occidentem mari Oceano terminatur, vbi duæ Insulæ sitæ sunt, Oleron lepusculis & cuniculis abundãs, & Maremnes. Ad Septentrionem contingit Rupellam, ad Meridiem Burdegalenses. Præcipua eius oppida sunt, vulgò, *Blaye*, quod nuncupatum fuit Blaia militaris, quia illic statiua haberent Romani, quibus limitum cura demandata erat. Incolæ gloriantur, magnum illum Rolandum Palatinum, in eorum oppido natum esse, eiusque Comitem fuisse. *Sant Ian d' Angeli Barbesieux Marans*, quod valida arx tuetur, titulumque Portus Marini habet. *Marennes*, mari vicinum esse, nomen indicat, totaque hæc Regio maritima est, locusque commodus, vbi sal feruore solis excoquatur. *Bourg*. Multus insuper aliorum Burgorum, Arcium & pagorum huius Prouinciæ est numerus, ex quo de Territorii præstantia fieri potest iudicium. Insulæ vulgo de Rez dictæ, aliæque Territorii Marennæ ditionis sunt Santonum. Quibus Christi doctrinam primus inculcauit S. Eutropius, tempore Domitiani Imperatoris à S. Clemente in Galliam missus, quam & sanguine confirmauit, vt refert Gregorius Turonensis lib. 1. de mirac. cap. 56. quod tamen à quibusdam immeritò controuertitur. Quem Eutropium secutus est S. Palladius, qui attestante eodem loco Gregorio Turonensi, templum S. Eutropii fundauit, quo loci corpus ipsius inuentum fuit, cuius sepulchrum etiamnum hodie patet, in quo vulnera & cicatrices dilucidè conspici possunt, adeò vt his e indiciis & Palladiis aliorumq; votis sat comprobatum sit, primum Santonensium Antistitem propter Christianam fidem Martyrium subiisse. Palladio successit S. Ambrosius numero 4. post hunc Viuianus. 8. fuit S. Troianus. 11. S. Leuis 12. S. Vlricus. 13. S. Dinacius. 14 S. Seuerinus. 15. S. Magnardus. Qui omnes in exercendis pastoralibus sarcinis saluti ipsorum gregis sic semper addicti fuere, vt animarum salutem potiùs quærerent, quàm ouium lanam, vt ipsi degluberent, vel ab aliis deglabrari paterentur. 16. numeratur Alonus, qui illegitimè Episcopatum adeptus est, quinimo nefariis criminibus coopertus, magnam sibi ex omni scelerum, vitiorumque audacia turpitudinem atque infamiam contraxit, multaque in deos hominesque impiè commisit, vnde facilè colligi potest: Principes olim erga Christianos & Ecclesiam malè affectos, probioribus & honestis exclusis, pessimos & inhabiles interdum ad huiu modi dignitates promouisse. Post hunc tamen complures recensentur Episcopi, qui magnam & immortalem sibi laudis famam, æquitate, industria, temperantia, miserorum defensione, odio improborum, studiorum magnitudine, officiorum opportunitate, incredibili in omnes humanitate, beneuolentia, fide pararunt, vnde etiam amplissima clarissimaque magnarum virtutum illis constituta monumenta passim extant.

SAINTES



CHARANTE FLVVIVS

PICTAVIUM Potiers.



PICTAVIVM partim in agris Armoricis olim dictis qui sunt in Celtis, partim in Aquitania situm est, diuiditurque in superiorem & inferiorem: superiorem vocant, quæ Orientem respicit ad Turones vsque & Biturges; Inferiorem, quæ versus occasum in Oceanum Aquitanicum vergit. A meridie contingit Santones, Angolesmenses & Lemouices; Britanni & Andegauenses sunt illi à Septentrione proximi. Incolas Ptolomæus & Plinius Pectones appellant, Cæsar & Strabo Pictones, per i in prima syllaba, Ammianus Marcellinus Pictauos nominat. Quidam à Pictis ipsorum etymologiam deriuant, sed fabulosum putatur; Pictonum enim quam Pictorum nomen vetustius esse ex Classicis scriptoribus liquet. Locum vbi Pictauium vrbs erecta, si perscrutatus fueris, vix vllum in Aquitania reperies vel amœniorem vel commodiorem, vbi tot magnificis ædificiorum structuris veneranda, prudentissimorum incorrupto Senatorum ordine conspicienda, florentissimo simul ac honestissimo rerum publicarum ac priuatarum statu nobilitata resplendet, vti etiam Ecclesia metropolitana, D. Petri, Castellum, Palatium cum vetustioribus aliquot monumentis, Vnde facilè colligi poterit, nouum Pictauium tempore Romanorum restauratum fuisse, non autem post, cum Dagoberto, vt fama est, demolitum esset ob odium aliquod in Gubernatorem Aquitaniæ (suum in Adolescentia Præceptorem) conceptum, Veteris Pictauij mentionem facit Adon Aquitaniæ Archiepiscopus in Chronicis suis, pag. 6. his verbis, Hugenothi templa Pictauij deuastarunt. Riuulus etiam quidam & murmure blandiore delectat & aspectu pulchriore totum locum exornat, Principalis porrò Curiæ sedes illic est, regiturque manu Præsidis & duorum Vicariorum quorum vnus in Ciuilibus, alter in Criminalibus caussis cognoscit, Proprium habet Inquisitorem, duodecim Consiliarios & Custodem priuilegiorum antiquissimæ suæ vniuersitatis, cuius nomen ac flore per totam Europam celebris fertur. Ad quam Curiam omnes alijs Iuridicatus ac tribunalia pertinent, Priuilegiorum quoque eiusdem loci tutelam suscipit. Academia autem hæc toto orbe celebris anno Christi 1431, fundata est, regnante in Francia Carolo 7. confirmata etiam & priuilegiata varijs Pontificum Bullis, Neque olim vniuersitas vspiam proferri potuisset, vbi tanto labore ac solertia genus omne studiorum traderetur, vbi purissima maiore cum fructu Theologia doceretur, vbi facultas Medica, vbi Iurisprudentia feruentiore cultu tractarentur, & sic omnia, vt nihil in linguarum nobilissimarum cognitione, artibusque & optimis disciplinis desiderari potuerit. Missam facio frequentissimi quo nullum liberalius erectum gymnasij disciplinam. Prætermitto tot saluberrima veræ pietatis studia, quæ cum alibi aut omninò squalida iaceant, aut penitus nulla sint, ibi non solum feruenter excoluntur, sed etiam adamata in pretio habentur maximo, præsertim cum sanis doctrinis colluceant omnia, nec vlla penitus nequitiarum illectamenta subrepant; sed vbique probissima societas & consortia sancta, quæ ipsa indissolubile Catholicæ religionis vinculum solidis adeo atque adamantinis constrinxit nexibus, nullo vt modo conuelli violarique queant.

Medio circiter miliari Pictauio in itinere quod Auaricum Biturigum ducit, in via regia, admodum ingens saxum, forma quadratum, quinque lapidibus fulcitum spectatur, in quatuordecim circiter pedum latitudinem assurgens. Plerique viatores solent illi memoriæ caussa nomen insculpere. De hoc lapide multi multa suspicantur, quæ quoniam solis coniecturis nituntur esse certa dici non potest, in primis, quomodo, quaue ex causa & à quibus illuc aliundè translatum fuerit. Multi tamen verum esse putant aquarum eluuionibus terra detectum emersisse, & raritatis caussa ab incolis sursum erectum; de quo hi versus extant, Hiperbolici.

Hic lapis ingentem superat grauitate Colossum
Ponderis, & grandi sidera mole petit.

PICTAVIA vulgo POICTIERS


Occidens

Le pre du Roy

Le pre de Leuesque

Le grande chemin de Berry

Depinxit Georgius Houfnaglius Anno M.D.LXI





LVGDVNVM.



VGDVNVM Galliæ Celticæ, quondam Regni Burgundiæ pars Secufianorum Metropolis, inter cæteras Galliæ vrbes, vt opibus,ædiumque elegantia ac ftructura,fic fitu nobilis. Ab vna enim parte duobus fructiferis collibus cingitur;alteram duo præftantes fluuij alluunt;Rhodanus,qui certis mœnijs ad orientem rapidifsimo curfu ex Alpibus per Allobroges allabitur;& Araris,qui mediam interfecat, nunc vulgò Saone vel Sagone, ex cæde octodecim millium Martyrum ibidem facta, dictus. Ararim namque fluuium horum fanguine ex Gorguillone,hoc eft,gurgite,fic à re ipfa nuncupato vico, ex quo cæforum fanguis, vti torrens defluebat, vfque prope Matifconem vrbem in Heduis rubuiffe aiunt;& hinc eidem Arari nomen,Sagonæ nimirum à fanguine fuit inditum.

Antiquitatem huius vrbis,cùm ex plurimis veterum monumentis, tum ex Polibio, Liuio,& Plutarcho de Hannibale colligere licet:Nonnullis affirmantibus,fundatam à Lugdo Celtarum Rege,qui circa mundi annum 2535. ante Moyfis tempora vixit,& abs fuo nomine Lugdunum appellatam: Pòft cœli inclementia folo æquatam,L.Numatium Plancum patritium Romanum & Prætorium deducendæ illuc coloniæ, iterum erexiffe, multoque priori, frequentia hominum & ftructuris celebriorem effeciffe. Id quod confirmatur monumento fingulari marmoreo Caietæ Neapolitanenfium reperto, cui hæc infculpta.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. PRO. N. P. V. COS. CENS.
Imp. iter. VI. Vir. Epul. Triumph. ex Rhœtis. AEdem Saturni. F. de Manubijs agros diuifit. in Italia beneuenti, in Gallias colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.

Præter alia etiam vetuftatis veftigia forum Veneris confpicitur, vulgò Forniere nuncupatum, in quo Veneri dicatum templum, ibidemque fpeculum artis adeo admirabilis collocatum fuiffe referunt, vt ex longinquis Sabaudiæ montibus clarè confpiceretur. Quod in foro habitaffe feruntur coloniæ diuerfarum fexaginta prouinciarum Lugdunenfi fubiectæ. cui etiam ab Impp.Romanis aureæ,argenteæque monetæ cudendæ facultas conceffa. Ad hæc ibidem Templum ab vniuerfis Gallis,communi defignatum impenfa, & Augufto Cæfari dicatum eft, ex cuius fragmentis poftmodum Metropolitanæ Ecclefiæ fundamenta iacta quidam affeuerant. Porrò fatali igne,intra vnam noctem fuit abfumpta anno ab Vrbe condita centefimo,poft à L.N.Planco reftaurata, iterum con bufta ab Seuero Imperatore, Albinum profequente; qua ex occafione quidam comminifcuntur Lugduni nomen à Lugendo deriuari,quòd retroacti æui calamitates meritò lugere debeat. Sita autem hæc vrbs eft in media propè Europa,vnde etiam Franciæ cor putatur,vbi rerum omnium vberrimus prouentus, vt non folum innumera ciuium ac reliquorum hominum multitudo victum facillimè acquirere pofsit, fed etiam fertilitas natiua exterorum locorum fterilitati fuppetias ferendo,non paruas alienarum ciuitatum fitarchias expleat. Huc accedit quòd quater annuè vndique gentium mercatores eò commeant, publicarum nundinarum, quæ varijs ad mercimonia(Reip.fuccum) fouenda priuilegijs infigniuntur,gratia,quæ res ab exteris incredibile lucrum atque decus non huic vrbi folum, fed etiam toti eius prouinciæ conciliat, & eam infuper hominibus omnis generis artificiorum peritis replet;neque facilè vrbs reperiretur,trapezitis librarijfque refertior. Opibus autem fic floret,vt nulli alij,faltem in Gallia cedere videatur,quarum opum caufam fluuijs illis præcipuam tribuunt,quia cùm multas vrbes illi obeant, feque in Liguflicum maris finum exonerent, hæc vrbs in media, vt dictum eft, Europa propè fita fit, facultatem quæcumque qualibet exportandi,tum etiam importandi,præbet etiam ex præcipuis Europæ nationibus haud procul difsitis.


Chriftianam Religionem,concionante Euangelium Photino Polycarpi difcipulo,affumpfit.Strages,de qua fupra mentio facta eft, octodecim millium fcilicet Martyrum, edita fuit loco vrbis, qui Athanacus appellatur, Antonino Vero Imperatore, vbi S. Martini templum, Benedictinumque cœnobium exftructum eft,de ftrage adeatur Hiftoria Ecclefiaftica.

Ab exordio autem Religionis, primum S. Stephano templum dicatum fuit, quod etiam primi ibidem Epifcopi frequentarunt,poft in Bafilicam Nicetię migrantes,quæ tum Cathedralis fulgebat,hodie S.Ioannis Baptiftę nomen,ab eiufdem fundatore Iohanne Burgundiæ,vt fertur,Rege mutuatum,vbi perplurimi illuftres & vitæ fanctimonia,literifque celebres exiftere Epifcopi,clarifsimique in literis viri,quibus omnibus, robuftifsimis veluti columnis fuffulta vrbs Lugdunum, omniumque rerum vbertate præponderans, quod origini fuæ & fortunatum primitijs ac incrementis fplendidius adijci pofsit, vix reperitur, florentifsimo fimul ac honeftifsimo rerum priuatarum ac publicarum ftatu nobilitata præfulgens.Cuius accuratior defcriptio,& icon omnes vrbis plateas repræfentans, 1. vrbium Tomo à nobis exhibita fuerint.

VIENNA.



IENNA Delphinatus Metropolis eft, antiquifsimarum Galliæ vrbium vna, vt quæ quondam maximæ fupremæque Galliæ fedis titulo nobilitata fuit, ad Rhodanum & Lugdunenfis ditionis limites fita; qua ex occafione magnas olim cum Lugdunenfibus controuerfias fuftinuit,id quod Corn.Tacitus Annalium li.17.teftatur.Parum enim abfuiffe,quin illa(nifi fuorum Deorum fimulachra ornamentaq;,vrbe,ad milites,eorũ iram fedaturi,eduxiffent)deuaftata fuiffet, Valenfq; exercitus imperator cohortibus feftertia aliquot nummûm diftribuiffet. Opinio eft,conditã à Venerio quodam Africano,patria extorre,quæ etiã dicta fuit Senatoria,& iam ante condita fuerat,quàm Senones in Italiam migrarent, in qua vrbe illi duo fana(poftquam Romani Allobroges domuiffent)vnum Marti,alterũ Victori fundarunt, eius antiquitatem confirmat pons in Rhodano,à Tiberio Graccho per Galliam tranfeunte conftructus, cuius principio ac fini arces duas præfidij munimentiq; caufa adiunxit,qui Tiberius vixit circiter annum mundi 3790.ab vrbe verò condita 576.ante Chriftum natum 180. qua ex re verifimile conftat,trecentis ante annis fundatam, & vltra annos bis mille conditam,hactenufq; percelebrem exiftere,& infigni maieftatis nota claruiffe. Præter etiam fupradictum Tiberij Gracchi Pontem,ea in vrbe Iulij Cæfaris copiarum Præfecti nonnulla ædificia,dum ille in Gallia effet,conftruxerunt eò maximè,quòd Cęfari pareret, & Romanorum mores potius quàm Gallorum referret, præcipuè verò horrea & officinas militares, quibus omnia ad malitiam & annonam,tanquam tuto loco conferuarent. Nonnulli aiunt illam publico Romanorum carceri deftinatam,Herodemq; ad eam fuiffe relegatum,Turris verò,quæ Pilati dicitur,in qua illum obijffe ferunt,ab Imp.Tiberio excitata fuit.Quãobrem neceffe eft vrbem illam ex admodum vetuftis Galliæ vrbibus credi, nec fundatione minus antiqua Roma. Chrifti fidem fufcepit,(vti Adam Archiepifcopus Viennenfis, qui Caroli magni fucceflorum tempore vixit,in fuo chronico,quod à condito orbe vfque ad annum falutis 980.confcripfit,luculenter refert,cùm D.Paulus Hifpaniam cogitans,S.Trophimum Arelatum,& D.Crefcentium Viennam,religioni in ea prædicandæ,& Euangelio concionando, mifit. Eius Epifcopi ad Adonem vfque quadraginta quatuor numerantur,quorum plurimi rerum geftarum gloria, vitæque fanctimonia claruerunt. Hodie autem vrbis Epifcopi Comitum dignitate & nomine infigniuntur. Hæc vrbs olim,atteftante V.Beda, Primatis Galliæ & Allobrogum omnium apicis titulo appellari meruit. Paffa eft,turbato ciuilibus bellis propter religionem,Regno, violentas militum manus,quas neque à Diuorum martyrum ofsibus ibi fumma qua par erat reuerentia afferuatis, cohibuerunt. Prætermitto municipia huic vrbi fubdita, & antiquorum Viennenfium Delphinorum profapiam, Bella etiam propter Iurifdictionem fartam tectam conferuandam fufcepta.


Septentrio
LVGDVNVM
vulgo Lion
Rhosne fluuius
Sosne fluuius
1. Pierre ancise.
2. Boluart Sanct Jean.
3. La gulliettiere.
4. Veeze.
5. Foruiere.
6. Sanct Jean.
7. Cordeliers.
8. Nostre dame de confort.
9. La platiere.
10. Celestins.
11. Sanct Paul.
12. Pais du Delphinat.
Meridies
Ex archetypo aliorum delineauit Georgius Houfnaglius.
Occidens
Vienna
vulgo Vienne de France
Pipet
Rhosne fluuius
Le grand chemin de Rochillon en Daulphino
Oriens

TVRONVM.

Vulgo Tours.



Vrones inter cæteros Galliæ populos ſunt antiquiſſimi & præcipui, inter Celtas haud postremi, quorum Metropolis ad ſuburbii partem Ligeri alluitur, qui fluuius ex transuerſo riuum canali prope S. Annam ad ſuburbia Richij tranſmittit, earumque partem orientalem occupat, à meridie & occidente fluuius Idra curſum ſuum dirigit. Latitudo huius regionis non adeò magna eſt, propter vicinas & finitimas prouincias, quibus anguſtè circumdatur. Ad occaſum habet Andegauum, à qua territorio ſuo & limitibus Belnæ ſeparatur, & partem aliquam Pictauienſem Creuſa flumine diuiſam, ibi enim Chinam ciuitas ſita eſt, quæ Turonenſe forum ſortitur. Ad meridiem ſita eſt in finibus Pictauij, iuxta Creüſam flumen, quà Piles portus Garumnam à Turonenſibus ſeparat. Ex eodem latere Prouincia dicta Berruyer cohæret, finibusque Caſtellonii ad Indram notatur In Oriente ad Ligerim territorium Bloiſinenſe & partem aliquam Biturigum tangit: ibique Charum flumen limites conſtituit. Hinc igitur patet, quomodo Turonenſes aliis Prouinciis incluſi & coarctati ſunt, qui etiã verſus ſeptentrionem Menenſes & Vendonicenſes attingunt, à quibus flumine Ligeri ſeiunguntur. Vrbem Turonum antiquiſſimam ædificarunt Galli, vnde etiam propter antiquitatem, præ aliis Galliæ ciuitatibus excellit, adeò vt caput multarum nationum dici meruerit; etiam à Cæſare aliisque qui Galliam deſcripſere, pro præcipuis primiſque Gallis ſemper Turones habiti ſint. Ptolomæus li. 2. cap. 8. tab. 3 Europæ, eos Turegios nominat, ripam Ligeris incolentes; Cæſar plurimis in locis illorum facit mentionem, præſertim in fine ſecundi libri Commentariorũ, cuius hæc verba ſunt: His rebus geſtis, omni Gallia pacata, tanta huius belli ad Barbaros opinio perlata eſt, vt ab nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Cæſarem, quæ, ſe obſides daturas, imperata facturas, pollicerentur, quas legationes Cæſar, quòd in Italiam Illyricumque properabat, inita proxima æſtate, ad ſe reuerti iuſſit. Ipſe, in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant, vbi bellum geſſerat, legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus eſt. Vnde colligi poteſt, Turonenſes non fuiſſe hoſtes Romanorum, ſed Cæſaris partes tenuiſſe, optimumque hoc antiquæ illorum magnificentiæ indicium eſſe. Ex hiſtoria etiam Gregorij Turonenſis liquet, ciues Turonenſes plurimis in locis Senatores Romanos nuncupari, eò quòd iure ciuium Romanorum vſi ſint, cuius iuris olim amici & confœderati Romanorum fuere participes. Sed poſteaquam Imperium Romanorum à Gothis, Vandalis, Alanis, Burgundis, Hunis & Francis deuaſtaretur, Turonum ciuitas, vt & aliæ, libertate fruſtrata eſt, duraq; obſidione à Gallis preſſa fuit: qui tamen commoti monumento D. Martini, cuius oſſa ibi condita ſunt, ab incepto deſtitère, quin immò tanti poſtmodum hanc vrbem habuere, vt in ſanctis reliquiis huius ſacratiſſimi Epiſcopi, omnium negociorum ſuorum, ac conatuum fortunam poſuerint. Et hac ratione Vrbs Turonum coronæ Franciæ inſerta fuit, donec poſt factam Danorum & Normandorum irruptionem in Galliam à Ludovvico tertio Ingelgerum, comitem Andegauenſem, transferretur, quo hoſtiles barbarorum impetus copiis ſuis repelleret, & oram Ligeris propugnaret. Illud quoque memoria dignum eſt; quòd olim in territorio, & ferè in ipſis portis & ſub mœnibus Turonum, inuictiſſimus ille Gallorum Princeps Carolus Mattellus, circa annum Chriſti 729. prælio ſuperarit necique dediderit Regem, vna cum quadringentis millibus militum, qui cum innumero exercitu, ſubiugata priùs Hiſpania, Galliam inuaſerat. Turonenſes etiam hac in parte æternum nomen meruerunt, qui non ſolùm Sarracenis illis acriter reſtitère, ſed & Chriſtianis, cùm prælium anceps eſſet, aditum in vrbem præcluſerunt, quo ſalutem non in fuga, ſed fortiter dimicando quærerent. Municipia, quæ ducatui & Iuriſdictioni Turonenſium ſubiecta ſunt, hæc numerantur; CHINONVM, cuius territorium fertile & amœnum Franciæ Regibus olim in deliciis fuit. LODVNVM, quod Pictauienſi ditioni quidam aſſcribunt, ſedes Tribunalis Regii nunc eſt. AMSOISE, in ripa Ligeris fluuij, tam amœno loco ſitum, vt vix in Francia ſimile oppidum reperiatur, qua de cauſa etiam Reges ibi ſæpe degunt, LOCHES oppidum firmè munitum. MONTRICHARD, in planitie ſitum, quod rupes & ſiluæ cingũt, extra oppidum domus ſubterraneæ ſunt, & ſuper eas horti vinetaque. PAVLMIVM ARX, Vicecomitatus titulo præſtat, ſita eſt edito loco, aëreque inprimis ſalubri, retro ipſum eſt pulchrum ſpatioſumq; viuarium, quod muro cingitur, duoque ferè milliaria continet. Denique vt concludam, Turonum eſt ex opulentiſſimis Franciæ ciuitatibus, quas diuitias ex fertili territorio conſequitur, eiusque diligenti cura, & quod incolæ probè rem familiarem curent, addicti mercaturæ ſunt, nauantque operam parandæ byſſo, quam ibi tam probè, ſubtiliterque parari, quàm in Italia dicitur. Aër ibi ſuaue ſpirat, ſerenusque eſt, vnde ob voluptatem, amœnitatemque qua præſtat, Hortulus Franciæ, Regumque deliciæ, communi prouerbio appellatur. Arborum fructus ex animi ſententia proueniunt, iiq; nullis aliis Europæ cedunt; Lutetiam Pariſiorum vſque comportantur, ibique præ cæteris ſunt in pretio. Vini frumentiq; feraciſſima eſt, nec nemora ei deſunt venationi commoda, neque ad ædificia conſtruenda quæcumque, neque ad ignes inſtruendos ligna, aquæ adprimè ſanæ ſunt, Populus ſincerus eſt, non difficilis vel moroſus, & ſuo Regi obſequens & fidelis.

Angiers. Andegauum.



Ndegaui Galliæ populi, olim rerum omnium affluentibus copiis ditati, vt plurimum claruère, quorum Prouincia vulgò Aniou nuncupatur, Galliæ Celticæ limitropha, ac quanquam latè non protendatur, attamen breues ſuos limites fertili, eorum; quæ ad victum pertinent, copia, compenſat; Alba itidem vina, quæ pro nobiliſſimis totius Galliæ celebrantur, profert. Propter collium & tumulorum frequentiam montoſa & inæqualis eſt, Planitiem ſyluæ, proceris arboribus conſita, paſcuæ & prata admodum fruticantia, illuſtrãt. Amnes ac torrentes adeò crebri in ea ſunt, vt hoc nomine plurimi putarint Gallico Aquitanorum idiomate Aiguam fuiſſe dictam, eòquòd ibidem quadraginta recenſentur flumina, non connumeratis fontibus, piſcinis, ſtagnis, & aliis riuulis, quorum non exiguus eſt numerus, Vrbs Andegauenſis, vulgo Angiers dicta, ſita eſt ad Meduanam fluuium: vna

pars



Delineauit G. Houfnaglius Anno Dñi 1561.

Occidens.

ANDEGAVVM
vulgo Angiers.

S. Mauritius

pars hoc flumine diuisa meridiem & orientem spectat, altera occidētem prospicit, Britanniam versus. Initio quidem,
priusquam Ioannes sans terre cognominatus, ex familia Andegauensi (qui Rex Angliæ postmodum fuit.) Regnum
adeptus, solùm versus Orientem vrbs apparebat, postea Ioanne Galliarum Rege designato, altera pars ad Occiden-
tem, quæ priùs planè vacua variis ædificiis ornata, plurimumque dilatata fuit. Mercatores, antiquo Ciuium Roma-
norum iure fruuntur, etiam cudendæ monetæ. Vrbis præsidiarii singularib. priuilegiis gaudent, & ab omni onere
subsidiorum immunes sunt. Antiquitatis euidens testimonium præbet locus ille Grohan dictus, in quo Theatrum à
Romanis constructum fuit, cuius collapsi parietinæ adhuc extant, vbi etiam veterum Imperatorum numismata non
raro effodiuntur, vnde liquet, hanc molem in id à Præsidibus Prouinciarum quondam erectam, vt ibi populo ludos
& spectacula præberent, simulque gratam Cæsarum memoriam illis redderent. Nec minùs celebrem facit vrbem in-
signis ordo Ecclesiasticus, & quàm plurima Templa, Episcopo Ciuilem & Ecclesiasticam iurisdictionem coniunctim
exercente, idque ex plenaria & generali illa potestate, quam veteres olim Reges ac Imperatores, Episcopalis dignita-
tis condecorandæ gratia, quoad feuda & Iurisdictiones illis indulsere. Andegauenses porrò Religioni & pietati ma-
ximè dediti sunt, fidi Christianæ Catholicæ fidei propugnatores, in doctrinis & sanctionibus Ecclesiæ Catholicæ cō-
stantes. Ad agnitionem verbi diuini vocati sunt, eo ipso tempore, quo D. Iulianus Cenomam Euangelium prædica-
ret. Qui posteaquàm longo tempore concionatorem ibidem egisset, Maineam tendens comitem suum nomine De-
fensorem, pietate ac religione præstantem virum, sibi substituit. Referunt Defensorem hunc fuisse D. Cenomani, qui
arcem suam Beato Iuliano hac conditione tradiderit, vt ex profano in sacrum commutaret, ac diuinis officiis exequē-
dis manciparet. Qui etiam primus eiusdem vrbis Episcopus fuit, cui Apothemius successit, dein Prosper, pòst Maxil-
lus, quibus amplissima, clarissimaque magnarum virtutum constituta sunt monumenta. Quintus numero Episco-
pus fuit S. Renanus, S. Breton decimus, S. Andouinus decimus tertius, S. Lecinus decimus quartus, Comes Andega-
uensis circa annum 581. S. Magnebodus XVI. S. Lupus XVII. S. Ioannes Michael LIX. & recensentur vsque ad tem-
pora Caroli IX. Episcopi sexaginta quinque, rerum gestarum & virtutum ornamentis splendidissimi. Ecclesia Ande-
gauensis plurima ac opima beneficia, opulentas Abbatias, Prioratus, Præposituras ac Collegia habet, cùm in vrbe, tum
etiam extra, de quibus omnibus adeantur Annales Andegauensium, in priori parte, cap. 6.

Bertrada cognomento Pulchra (quam Rex Philippus, repudiata vxore, sibi associarat) qua de causa etiam à Ponti-
fice excommunicationis vinculo innodatus fuit, Castellum, vt vocant, Andegauēse restaurari curauit, Comites enim
superioribus temporibus non ibi, sed Touraimæ commorati sunt.

Sed nec illud prætereundum silentio reor, quòd Ludouicus huius nominis secundus, pro incremento vrbis huius,
Academiam anoo 1398. fundarit, priuilegiisque ac immunitatibus variis decorarit. Vnum enim hoc efficere studebat,
vt Andegauum aliis ciuitatibus magnificentia, splendore ac fama polleret. Omnium quos in hac Academia olim Iu-
ra aliasq; facultates publicè professos ob eximias scientiæ & doctrinæ laudes suspicimus ac veneramur, præ cæteris
claruerunt, D. Guilhelmus du Poiet, Franciæ Cancellarius, D. Lazarus Baifius, vir omnium existimatione ornatissi-
mus, & eius filius patrissans, Ioachimus Bellaius, Franc. Balduinus summus Iurisconsultus. Eg. Baro, cuius opera virum
demonstrant. Renanus Benedictus Theologiæ Doctor & Parœchus S. Eustachij Parisijs lumen eruditionis. Petrus
Airaultus Vicarius generalis criminalium, cuius doctrina ex scriptis relucet. Bodinus Aduocatus Parlamenti
Parisiensis, & alij multi Doctores, grauitate, doctrina ac vitæ sanctimonia illustres hinc velut ex
equo Troiano emersere, quorum laus in publicis priuatisque rebus
semper emicuit.

CAMERACVM.




AMERACVM, Galliæ Belgicæ inter Sequanam & Rhenum, vrbs arce & mœniorum ambitu adeò munita, vt vna ex primarijs istius Prouinciæ vrbibus habeatur. Ad quam magnificentiam prius, quàm nostris temporibus excresceret, maximas difficultates, & varios fortunæ casus experta fuit: Et id quidem ea occasione, quod nobilissimæ Belgarum Prouinciæ, multis retro sæculis, semper in summo pretio sint habitæ, eaque de causa tam multi principes, Reges ac populi, de earũ principatu, & dominio obtinendo, summis conatibus contenderunt. Situs etiam oportunitas Gallum illexit, vt Cameraco potissimũ insidiaretur. Vetus Samarobrina putatur, vbi Cæsar totius Romani exercitus neruum, obsides ciuitatum literasque publicas, frumenta, & res sibi caras in firmum, tutumq; locum collocare solebat. Geropius Becanus, in artificiosis coniecturis, quas in suis originum libris explicat, communi multorum sententiæ, vt solet, reluctatur, existimantium Cameracum Cæsaris & veterum esse Samarobrinam. Cùm à Bellouaco plus, quàm triplo amplius absit, quàm, viginti millibus passuum. Hactenus sanè Bellouacum, viginti quinq;, id est, totidem millibus passuum, quod Cæsar annotauit, ab Ambiano est remotum, ita, vt nihil dubitem Ambianum Samarobrinam Ambianorum esse. Qui contrariam opinionem defendunt, non ineptum sententiæ suæ defensorem Hubertum Leodium allegant. Qui non malè probat, erubescere se, sine ratione loqui. Quoniam, inquit, audiam quamplurimos de Samarobrina subdubitare, & vereri, ne non sit imperialis illa, & verè amœna ciuitas, quam Cameracum hodie dicunt, errare vehementer, & nullum aliud opidum esse, confirmandum est. Primum, non me mouet Ptolemæus, qui Samarobrinam ciuitatem Ambianorum facit: nam & si ciuitas Ambianorum Samarobrina fuerit, non propterea sequitur, Samarobrinam esse Ambianos, opidum gallicè Amiens. Potuerunt enim Ambiani alia quoq; habuisse opida quorum Prolomæus non meminerit, nihilominus tamen Ambiani, id est, Amiens, non vsque adeo tum magnum oppidum, vti nunc est, vt veteres muri docent. Sic etiam idem Ptolomęus ciuitatem Rhenotum Durocotorum & Cæsaromagum Bellouacorum appellat. Cùm ea tempestate & Rheni, & Bellouaci, sicut hodie, opida erant, & gentis caput. Item, Suessones, & gentis, & opidi nomen est. habuerunt autem sub se Suessones duodecim opida, vt libro secundo scribit Cæsar, quorum Bibrax vnum, hodie Braine, quatuor milliaribus Gallicis à Suessonibus comitatus titulo decoratum, & item Nouiodunũ, Noyon: Bellouacorum verò Bratus pantium erat opidum. Quare nihil agunt, qui Samarobrinam Ambianos esse opinantur. Cùm autem Cæsar esset Samarobrinæ, id est, Cameraci, vt nunc vocant, & certior esset factus de oppugnatione castrorum Ciceronis in Neruijs, misit Nunciũ statim in Bellouacos ad M. Crassum, cuius hyberna aberant ab eo millia passuum viginti quinque. Vbi notandum, Bellouacorum vrbem paulò amplius distare à Samarobrina, sed hyberna Crassi, non in ipsa vrbe Bellouacorum, sed in eorum finibus aliqua parte fuisse, ita, vt dimensio non obstet. Alterum nuntium etiam in Æsuos ad C. Fabium misit, vt in Atrebatium fines legionem adduceret, qua sibi iter faciendum sciebat. Erant Æssui, qui circa opidum Æt habitant, quod superiores Germani Æs dicunt. Fabius autem vt imperatum erat, non ita multum moratus in itinere, cum legione occurrit, quod omnino faciendum ex Æssuis in Atrebates ire volenti. Ad Labienum item vt veniret in fines Neruiorum scripserat, si Reipubl. causa & commodo facere posset. M. Crassum Samarobrinæ præfecit. Post liberatum Ciceronem legiones circa Samarobrinam retinuit. Et profectò commodiorem locum habere non poterat, neque enim putet quisquam vrbẽ Cameracẽsem nouam esse, aut intra paucos annos in tantam amplitudinem excreuisse, est certè nobilis illa Samarobrina, de qua ad Trebatium scribit Cicero: Vna collocutio nostra pluris erit, quàm omnes Samarobrinę. Et in alia epistola: O præclara castra, quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem. Et quodnã amplius dubium esse poterit, quum nomen ipsum indicat, quod quærimus. Cambray Galli, Itali verò Samberey dicunt, vide quàm facilè Samarobrinam inde fecerint. Si ex Amiens faciunt Ambianos, ex Beauuais Bellouacos, quid vetat ex Samberey Samarobrinam fieri.

Porrò Archiepiscopatus, & Principatus Rom. Imp. dignitate Cameracum præfulget, Non quidem ex ordinatione recenti, qua Paulus quartus Anno M.D.LIX. nouos Belgij Episcopatus ordinauit, sed antiqua fundatione, qua Atrebatensis Episcopatus Cameracensi multo tempore vnitus fuit, quemadmodum testantur historiæ, & præsertim Christianus Massæus Cameracensis lib. xiij Chronicorum & Annalium Hannoniæ, qui triginta tres recenset Antistites, vtrique Ecclesiæ coniunctæ communes. Quorum aliqui ob præclara vitæ merita, in Sanctorum ordinem sunt relati, vt S. DIOGENES, martyrij laurea in persecutione VVandalica illustris. VEDASTVS à S. Remigio Remorum consecratus, miraculis clarus, quę Hayminus collegit, & vitam eiusdem Alcuinus conscripsit: S. VEDVLPHVS, qui ex Atrebato sedem Episcopalem Cameracum transtulit. S. GAVGERICVS Clotarium Regem ad fidem Christi conuertit, sepultus Cameraci in Basilica, quæ ab ipso in mõtis vertice in honore S. Medardi erat constructa, quo in loco, temporum conditione ita exigente, Carolus V. arcem construxit. Quare Canonici S. Gaugerici receperunt se in parochialem Ecclesiam S. Vedasti, vbi in magnifico choro à se constructo corpus sancti Gaugerici reposuerunt, atque ita Ecclesia sancti Vedasti dicitur etiam Ecclesia sancti Gaugerici. S. AVTBERTVS Ecclesiam Attrebatensem construxit, & Hannoniam ad fidem Christi conuertit. Iam hoc tempore Cameracensis Episcopatus ad Metropoliticam dignitatem euectus est, cui Episcopales sedes subsunt Attrebatum, Tornacum, Audomarum, & Namurcum.

Plura de hac Vrbe particularia, quarto Vrbium tomo explicauimus.


La vil le de
CAMBRAY.
Septentrio
Oriens
La Citadelle
Occidens
Meridies
a Nostre dame.
b S. Ieri.
c S. Mertin.
d M. Magdala.
e S. Nicolas.
f S. Aubert.
g S. Sepulchre.
h S. Francois.
i S. Claire.
k S. Iulian.
l S. Ioan.
m S. Beerge.
n S. Croix.
o S. Iacque al hospital
p S. Iacque au noirs sers.
q S. Lazere.
r. La porte neuue.
s. la porte S. Sepulchre
t La porte Cantipre.
v La porte de selle.
x La porte de malle
y La maison de la ville.
z La Boucherie.
* Le grand marche.
1596

CALESIVM.



ALESIVM, quod & Caletum modo à nonnullis appellatur, est opidum Flandriæ, natura & arte munitissimum, propugnaculum Galliæ, clauis, frenum & ianua semper habitum quo loci; veteribus Portus Itius situs fuisse putatur, nempè ad Oceanum, qua, Septentriones versus idem Oceanus Germanici; versus meridiem, Britanici maris cognomentum, sumit. Itaque itineri ex Flādria in Angliam adiacet, è regione Doueræ portus; Grauelinga ad tria milliaria, septem Ardresio, Bononia verò, quam Galli Boloniam vocant, terra ac mari, circiter octo distat. Populi huius tractus, olim Calesij vel, ex Cæsare, Caleti vocabantur, & ad Belgas, quemadmodum Morini, & Neruij finitimi, pertinebant. Quidam Ptolomæo Gessoriacum Nauale Morinorum esse putant: cum Iacobus Meierus ac B. Rhenanus, id nomen propinquæ Bononiæ, ex qua Cæsar Claudius in Angliam traiecerit, Bilibaldus verò Pyrchimerus Gandauo, tribuerint, vacillantibus coniecturis. Sed hunc Itium, siue locium portum, Raymundus Marlianus in hæc verba describit: Itius portus, inter Belgas, inquit, Morinis, Oceanoque mari finitimus est, Ambianis, & Atrebatibus proximus; à continenti Britanniæ, quam Angliam dicimus, triginta millia passuum distans, & traiectui commodissimus, cui ad dexteram Zelandia insula, Hollandia & Flandria: ad sinistram autem Comitatus, qui dicitur Pontus, Picardiæ pars, & Normanniæ Ducatus, Ex opposito verò Anglia consistit. Opidum est illic populorum, quibus caletes nomen est. Id, adiecto Itii portus nomine vt quibusdam placet, Calitium nuncupatur, Morinensis diœcesi in Regno Francorum, & potestate Anglorum Regis situm. Hæc quidem Marlianus. Sed Iccii portus situm Flandriæ opido S. Audomari melius conuenire, D. Abrahamus Ortelius in suo Theatro, Artesiam describens, explicat. Nos etiam quarto Vrbium Tomo hac de re aliquid, in historia oppidi S. Audomari.

Veruntamen hoc opidum Calesium idem ille Meierus, olim etiam Petressam, & Scalas appellatum tradit. Miliari ab hoc opido procul, pons est, quem Nonambrigæ vulgo nominant, adiunctam habens arcem munitissimam, vnde per occultos canales, turgente mari deriuatos, aqua, circum hoc opidum, & vndiquaque, copiosè restagnat. In faucibus huius opidi, Arx est cum turri valida, cui Risbanæ nomen, quæ ingressum à mari in opidum prohibet. Porrò autem Odoardo Quinto Anglorum Rege captum ab Anglis fame fuit, vndecimo mense pridie nonas Augusti post horribilem illam contra Philippum Sextum Regem Galliæ commissam ad Crecium pugnam, Anno Christi M.CCC XLVII. quantum quidam referunt. Quam pugnam Paulus Æmilius libro IX. diffusè narrat. Hoc oppidum igitur Angli possederunt. CCXI. annis magnaque diligentia & impensa id præsidio semper firmarunt: Tantique referre putarunt Angliæ reges eo potiri, vt hoc saluo, se Galliæ claues in loculis habere dicerent. Ita enim in conuentu Ambianensi Angli Gallis, Calesium demolitum reposcentibus responderunt, negantes se hoc opidum Gallis vnquam restituturos, Quia, quamdiu possiderent Calesium, certos se affirmabant, quod haberent clauem Galliæ in sua zona. Et proinde, vt Meierus refert, maluissent Angli omnia perdere, quæ triginta iam annis per Galliam cœperant, quàm vnico spoliari Calesio, quia vnicus illis portus & descensus in continentem esse soleret. Nec hoc quidem falso, quoniam ex hoc in continentem, pro animi sententia milites suos frequenter exposuerunt, atque hinc, maximos in Gallia progressus perpetuo fecerunt, & in Flandrorum fines subinde excurrerunt, multa loca populantes, & ditiores, captiuos secum abducentes. Quin etiam, inter opimas ac varias prædas quinque milia puerorum ex Occidentali Flandria, semel vno tempore Calesium pertraxerunt. Sed tandem à Gallis oppugnatum, expugnatumque fuit anno M.D.LVIII. mense Februario. Quæ res sic habet. Galli calendis huius mensis, magno silentio exercitum ad Nonambrigæ pontem, Arcem munitissimam, Guisio duce, quàm celerrimè perduxerunt nullaq; omnino interiecta mora, ipsam, & Risbanam arcem alteram, vno eodemq; tempore simul obsidere, tormentisque concutere cœperunt. Cum igitur Angli se vndique cinctos ab hoste viderent, & ei naues subsidio ex Normania, Bononiaque indies aduentare; de sua salute desperantes, quod hæc sanè ex insperato contingerent & imparatis, animos proiecerunt. Quo accedebat, quod, qui Neonambrico Ponti præsidio collocati fuerant, tantùm à tormentorum fragore metum conceperunt, vt relicta turpiter arce, sese Calesium recepissent. Risbanæ vero arcis miles, intra horam vix obsessus, vltro se, in liberam hostis potestatem tradiderat. Quamobrem, Galli, claues illas Calesii, vna, cum perquam multis bellis tormentis, atque eorum, & annonæ apparatu haud exiguo, receperunt. Hanc enim victoriam persequentes, subitò Calesium appulere. Cui opido tum præfectus erat Milordus Ventfurtius, vir imbecillis animi, minimaque rerum experientia præditus. Opido inerat vetus sexcentorum militum præsidium, qui ibi perpetuo stipendio addicti, nullis domesticis, externisve bellis exercitati, non magnum vsum habebant rei militaris. Itaque Galli hoc opidum variis locis principio tormentis tentarūt. Eiuestigio demum arcem, qua mare spectat triginta tribus maioribus tormentis adorti sunt, Cui, cum muri partem decussissent, eo sub horam noctis tertiam, trium Regum die, impetum fecēre. Tunc enim maris æstus retrocesserat, & Mars Gallo fauens, noctem, nitidissima illic Luna, in clarissimum prope diem conuertetat. Angli paullum restitēre, mox, timore circumfusi, hac relicta arce, Caletum sese proripuerunt. Ex quo opido ipsi duobus lembus adsultibus in Gallos, qui in castris auroram expectabant, in opidum penetraturi, impressionem mouere; Sed accepto damno, regressi sunt, ac pulsi. Quare certis conditionibus sese postridiè dediderunt. Icto demum publico pacis fœdere, inter Philippum Hispaniæ ac tum Angliæ Regem, & Henricum II. Galliæ, nempe, die xx. Aprilis, Anno Christi M.D.LIX. Galli, se Anglis hoc opidum intra annos vij reddituros, datis in id obsidibus, pacti sunt. Id tamen adhuc retinuerunt. Hanc Gallorum victoriam excellentius illius temporis Poetæ, vt Abr. Turneb. Auratus, Mich. Hospitalis, & alii, variis carminum generibus decantarunt. Ptolomæus longitudinē poli portus Iccij constituit grad. 22. min. 15. latitudinem verò grad. 53. min. 30. Poli autem oppidi Calesii longitudinem facit grad. 22. min. 45. latitudinem graduum 53. minutorum 30.

Anno salutis M.D.XCVI. sub initium Mensis Aprilis Serenissimus & Reuerend. Dominus, D. Albertus Austriacus Cardinalis & Archiepisc. Toletanus, Belgicarum Prouinciarum Gubernator, (Hollandico & Confœderatorum bello contra Philippum Regem durante) primam expeditionem ex Brabantica Bruxellensi residentia, in Calesium subitò instituit, & breuissimo tempore, cum admiratione multorum, ex voto perfecit. Neonambriæ Pontem & Risbaniæ Arcem, armorum & machinarum strepitu, citra suorum detrimentum die 9. April. vi expugnauit, mox, armata etiā manu die 15. Apr. suburbii dominus factus est. Callesiani Galli, cùm se potentissimo hoste arctissimè cinctos, bellumque vrgenter administrari viderent & statim, de salute, & auxiliaribus copiis spem omnem deponerent, facta deditione die 17. Apr. Cardinalis potestati se tradiderunt. Interim aliquam adhuc liberationis expectationem in opidi Arcem & veteranum in ea præsidiū, quod aliquot Gallorum accessione auctum erat, collocabant, vt, qui scirent, eam Arcem probè munitam, & rebus omnibus ad diuturnam obsidionem perferendam, instructissimam. Quare dedita vrbe, complures ciues in Arcem, vt in tutum refugium, se receperunt, quibus sex permissi sunt dies, vt cum præsidio, de summa rerum deliberarent, quibus finitis, cum deditionem negarent, Serenis. Cardinalis Arcem ipsam muralibus machinis validè concuti & verberari, & magnis deinde viribus oppugnari iubet, qua, post non multas horas, secundo assultu, die 26. Apr. potitur, & sic Calesium, Arcemque ipsam, quæ Gallorum, & multorum opinione, insuperabilis videbatur, hoc est, Galliæ claues, in Regis sui loculos reposuit.


Angliæ pars
Doueren
CALETVM
OCEANVS
BRITANNICVS
Turris Risbam
Portus
Castellum
Caletum sive Calesium, vulgo Cales, janua,
frenum, et clavis Galliæ, Anno M D XCVII
Mense Aprili, in Philippi Hispaniarum Regis potes-
tatem devenit.

LVXEMBVRGVM.



VXEMBVRGVM ciuitas, Metropolis Ducatus Luxemburgensis, quam Ptolomæus Augustam Romanduorum nuncupat, etymologiam sortitur, secundum latinos à Lucisburgo, quia illius prouinciæ incolæ præ cæteris idolomaniæ, præstigiis lemurum effictæ, penitus mancipati, hancque vrbem hoc nomine reliquis, instar LVCIS præfulsisse, vnde Lucisburgum, tanquam Lucis arcem appellari meruisse à Sole quem luminum patrem, & omnium planetarum caput cognominant. Sita est commodo forti & amplo loco, variis ædificiorum structuris quondam conspicua, sed propter infaustam belli cladem destructa, haud commode post à ciuibus bello exesis restaurari potuerunt. Quanquam primis huius vrbis incunabulis, temporibus Othonis magni Aug. Castellum solum extitisse fertur quod Sigifridus quidam, siue vt alii malunt Gilbertus Ricuini Arduennensis filius, cum ab Abbate Cœnobii Sancti Maximini Treuirensis obtinuisset, eo ampliato, consensu Brunonis Ducis Lotharingiæ, qui Othonis Imper. frater erat, Comitatum Luxemburgicum instituit; Venceslaus tandem frater Ioannis Luxemburgici, ex authoritate Caroli IV. Aug. cuius erat patruus Ducatus titulum assumpsit. Porro ex hac planitie, qua in vrbem primum ascenditur, vnico omnino cliuo pons est lapideus, supra Alizuntem fluuium vulgo Alsitz, & in rupe demum alta & prærupta, ab vtraque parte ruinæ fornicum arcis veteris, quæ Luxemburgum olim, vel vt quidam volunt Lutzelburgum, vnde & nomen mutuatam vrbem ferunt. Est in hac vrbe Franciscanorum insigne cœnobium, cuius fundamenta iacta astruunt ætate D. Francisci. In quo post summum altare in capulo ligneo eoque aperto, corpus integrum fere Ioannis regis Bohemiæ seruari solitum est, qui fuit filius Imp. Henrici septimi, ac pater Imp. Caroli IV. Aug. qui anno sal. M. CCCXLIIX. dum Francorum Regi militat aduersus Britannos, in prælio occubuit. Est & hic celeberrimum cœnobium, quod vulgo Munster nominant, cuius etiamnũ Antistes ob præclaras & eximias animi dotes, ac singularem in liberalium, aliarumque venustarum artium cultores amorem & merita ab omnibus laudandus & merito colendus est. Ex hoc cœnobio paulatim in vrbem ipsam quam recentiorem nuncupant ascenditur. Vetus enim quæ dicitur, ad huius rupis radices à sinistra, in profundissima valle, pro suburbio nunc habetur. Ea enim cum ob vndique impendentes montes præaltos, ægre defendi posset, pro ea qua nunc vtuntur, oppugnationis ratione; placuit in eorum altiore, vnde plurimum noceri potuit, & vrbi & castro, oppidum id condere, quod recens vocant, mœnibus & propugnaculis egregie munitum, vt ea nunc passim solent erigere ad excipiendos machinarum tormentariarum impetus. In arce nati sunt, Henricus septimus Rom. Imperator, & eius filii Ioannes Illus. Rex Bohemiæ, ex quo Carolus eius nominis 4. Imp. & ex hoc Wenceslaus & Sigismundus Imp. procreati sunt. Quin etiam quamplurimi Duces, sic & Comitissæ vt vocant, & Ducissæ, hic natæ fuere. Cum etiam salienti careat aqua cisternas habet hæc vrbs, ducenta vel trecenta plaustra continentes, in quibus aquam pluuialem colligunt. Sunt tamen ibi duo putei, quorum vno in monasterio S. Francisci, altero apud S. Claram ob profunditatem, rarius vtuntur, Ciues tamen aquam fontanam, quam in inferioribus opidi rupibus habent, per ancillas apportari curant, vnde natum est, quod Luxemburgenses ancillas asinas vocitant, propterea quod singulis diebus bis vel ter, aquam haustum descendere cogantur. Huius Ducatus Gubernator est illustrissimus comes Petrus Ernestus Mansfeldius qui in sua hac Gubernatione fidelem & vtilem Regi Philippo operam sedulo præstitit. Ampla porro est planities ad quam ex vrbe, quam ad septentrionem vergere conspicuum est, descenditur, altis vndique incincta montibus, quorum qui recta vrbem spectat, domum ipsam, quantacumque ea est, sinu quodammodo videtur excipere, sic bona eius parte ad id excisa, & prorsus adæquato, si quid erat accliue, in quo amœnitati à præfato illustrissimo comite Mansfeldio belle consultum, & effectum est, vt lapides ad tantum opus non sint aliunde quærendi. Hoc sane modo tam magna moles, multis tandem operis paulatim assurgit. Sed præter cætera, quæ vt pro tam magnificæ domus captu, constructa iam aut assurgere adhuc videntur, porticus inprimis amplæ conspiciuntur, quæ ad id ab eodem illustrissimo comite Mansfeldio destinatæ, vt in eis reponeret, quæcumque nancisci posset, antiquitatis monumenta, quorum magnam iam habet copiam ex diuersis locis, & Arlunio inprimis petitam quod Arelunum ab ara Deæ Lunæ (vt Luxemburgum à Solis lumine) nomen sumpsisse, vulgi opinio est, prout etiam reliquos planetas peculiares suas sedes habuisse in hoc Ducatu ex historia Egdberti Archiepiscopi Treuirensis constat. Itaque velut antiquitatis coloniam huc deduxisse videtur, nec vllo alio in loco Arlunium illam antiquam quærendam esse. Sunt autem maxima ex parte simulachra deorum gentilium & epitaphia, quæ in crepidine fontis illius pulcherrimi, ac claritudinis eximiæ, quo dilectæ quondam coniugis Mariæ de Montmorenci memoriam sancte conseruat, crebro ad Mariæ fontem (sic enim nuncupauit:) aduentando, sic sunt pari interuallo disposita, vt liber sit ab omni parte ad singulos lapides accessus, & inscriptiones, quibus temporum iniuria minus nocuerat, commode legi possint. Sed ipsam inscriptionem qua illustriss. princeps fontem hunc suum decorauit, audiamus.

QVISQVIS HVC ACCEDIS SI TE ÆSTVS SITISVE VRGET. HIC ÆSTVM QVIETVS VITATO, SITIM PRONVS EXTINGVITO. AQVAM MANV HAVRITO. OS LAVATO. AT PEDE NE TVRBATO. NVDO CORPORE NE POLLVITO, QVIESCENTIBVS ENIM CARISSIMÆ VXORIS MANIBVS TRANQVILLAM VNDAM SACRAVIT. MARIÆ DE NOMINE MARIÆ FONTEM NVNCVPAVIT ÆTERNI SVI AMORIS TESTES LATENTES VASTA SVB RVPE LYMPHAS ERVI. VIVO LAPIDE CINGI. ÆTERNASQVE FLVERE IVSSIT.


P. E. C. M.

MONVMENTVM ROMANVM IN VILLA
MOSELLANA IGELL.




D Mosellam flu. in villa EGLE miliari à Treuiri Lucelburgum versus distante monumentum perantiquum conspicitur, maiore ex parte integrum, qualia non multa antiquitatum mater Italiæ exhibet, vt proinde huic monumento siue Epitaphio inuidere fortasse queat. Eius Apianus Antiquarum Inscriptionum volumine talem mentionem facit.


Structura antiqua, alta est, & variis imaginibus ornata, Nam in fronte imago est, quam aliæ duæ imagines iunctis tenent manibus. A tergo est Zodiacus, & in medio Solis currus, à lateribus vero triumphi & sacrificia quam plurima in columnis, pueruli nudi, in pede vero. i. basi, imagines, vna legens, & aliæ circumstantes, in alto vero aquila expansis





Illustrissimi et Generosissimi Domini D. Petri Ernesti Mansfeldiæ Comitis ad Lucenburgum Palatium Horti et domus magnifica admiranda praestantissimarum picturarum et monomentorum antiquorum Colonia.





panſis alis ſuper globum ſtans, ſed imagines, vt plurimum tempore, & tempeſtate exeſæ ſunt, principium vero literarum deletum eſt.

Luculentius vero Abrahamus Ortelius vir excellens, & noſtro hoc tempore Geographicæ profeſſionis princeps, in Belgico ſuo itinerario. Eſt, inquit, aliud paulo inferius Luxemburgicum oppidulum ad læuam Graffen Machern dictum, & pagus Wafferbillich vbi Sura fluuius (ſic enim ab Auſonio appellatur, vulgo Saur.) Moſellæ confunditur, & ſua habet ad ipſum oſtium vineta, hinc non procul in eademque ripa Pagus eſt Igel vulgo nominatus, vbi in loco eminenti ſpectatur nobiliſſimum illud venerandæ antiquitatis monumentum, quo nec eis Alpes inſignius aliud exſtare exiſtimamus, quodque ipſis adeo Italis poſſimus oſtentare. Moles eſt lapidea, ex quadrata baſe pedum 12. ſenſim aſſurgens ad pedum circiter 74. altitudinem, tota ab omni parte variis imaginibus ſemiplanis inſculpta, in faſtigio aquilæ reſtat fragmentum, globo inſidentis, cui expanſæ alæ, & ante pectus velum fuiſſe apparet. Prima fronte tres oſtentat imagines itidem ſemiplanas, procerioris ſtaturæ, & quidem quæ ad dexteram viri, ſiniſtra mulieris eſſe videtur; dexteras iungunt; media, ob vetuſtatem, ægre poteſt dignoſci. Has nonnulli Fidii ſimulacrum, quale & Romæ etiamnum extet, conſtituere exiſtimarunt; nos & fidem coniugalem, & eos ipſos, in quorum memoriam ſit poſitum hoc monumentum, quorumque in inſcriptione fiat mentio, repræſentare ſuſpicabamur. Sunt ſupra earum capita tres itidem facies, ex plano circulari prominentes, quæ & fortaſſe vultus referebant. Ad pedes inſcriptio, cuius quam accurate fieri potuit, reliquias hic molis ipſius picturæ ſubiecimus. Ex quibus ſane verbis patet nihil aliud hoc quam epitaphium eſſe, qualia etiamnum multa exiſtant, & hic vnum è multis, quod Romæ hodieque viſitur, inſcriptione & ſcalptura multum congruens, viſum eſt adiungere. Sub inſcriptione ad baſim imago eſt legentis ex pulpito, auſcultantium turba. In ſuperiore limbo munitiores imagines cernas, & in medio quidem quatuor epulantium, more antiquorum, duæ enim accumbunt; qui mos virorum erat: & menſæ aſſident, aliæ duæ, vt mulieres ſolebant ad dextram miniſtri, quorum alter de abaco pocula ſumere, alter infundere videtur, ad ſiniſtram alius edulia parare. Et hæc fere quæ in frontiſpice dignoſci poſſunt, qua moles viam publicam ſpectat, à tergo circulus eſt, cum figuris quibuſdam, & in quatuor angulis ventorum capita, in eius medio bigæ, & viri imago barbati, quiddam geſtantis parazonio haud abſimile, ad dextrum latus, inferius quidem, trigarum veſtigia apparent, currum trahentium, & complicatas ſarcinas mercatorum more. pars ſuperior bigas habet, & carpentum, in quo duo ſedentes. reliquas imagines ſic attriuit tempus, vt earum fere nihil emineat. Eſt hæc moles loco, vt diximus, bene conſpicuo, in agroque quadrato, quem & huic monumento attributum, vt veterum erat circa ſepulturas conſuetudo, iudicabamus, quo iure etiam hoc tempore manet, nec ad vſus alios occupatur.

Lubet etiam hic referre, quod de eadem hac antiquitate, libello de Germaniæ primæ antiquitatibus Ioannes Heroldt refert. Affundit, inquit, ſe Sarra fluuius, Moſellæ aquis ad V.M.P. Auguſtæ Treuirorum in loco ſuperiore: vbi ædificium cernitur, mira quadam ſtructura in altum deductum, exornaturque imaginum variarum ſpecie, à fronte eſt imago pueri, quem genii duo allati manibus extollunt: à tergo, duodecim ſignorum cœleſtium circulus, cuius in medio ſol curru ſuo circumfertur in lateribus & triumphantium pompa & ſacrificantium grex viſitur, ludunt in columnis circum circa genii. In baſi ex libro recitantes, & gentium multarum leges audientium imagines apparent. Aquila quoque expanſis alis orbi inuolat. Hæc omnia adulationis plena, & veſtigia certiſſima oſtendunt enaſcentis Caligulæ, quem fatorum fauore, in lucem editum, orbis partibus à ſole illuſtratis, item, & Romanis olim imperaturum, triumphis, moribus, & anguſtis legibus & deorum & hominum reuerentiam ſibi comparaturum Germanico ſtudentium vota, his indicare volebant Egle. Id eſt, Caligulæ natales, vt cui nomen eſt. Hæc quidem ille. Sunt alii qui monumentum hoc Moſellanum ab aquila nomen habere, ex non incertis coniecturis iudicant, quia Aigle, Gallis, & antiquis, aquilam ſonet. Quæ autem paulo ſupra baſim monumento inſcripta leguntur, imperfecta ſunt & mutila, quæ picturæ inſculpi curauimus. Non procul ab eodem loco, ad oppidum Sarpruph ſacrum inuentum eſt, cum tali inſcriptione.

CÆS. ROM. EXER. IMP. P. P.
S. C. A. V. TREVE. INGR.
ESSVM. H. CASTR. SARRÆ
FLV. PRO. MIL. CVSTODIA
BIENN. POTITVS EST.

Cæſar Romani Exercitus Imperator Pater Patriæ Senatuſconſulto ante vrbis Treueris ingreſſum hoc caſtro Sarræ fluuii pro militum cuſtodia biennio potitus eſt.

D. Iacobi Campii Protonotarii Moguntini, de Moſellana iſta antiquitate ſententia hæc eſt. Quod nomen habeat ab Aquila; quam Aigle Galli vocant. Nam Aquilæ fragmentum in faſtigio reſtat globo inſidentis, cui expanſæ alæ, & ante pectus velum apparet. Ægyptii animam ſignificare volentes, Aquilam pingebant, vt tradunt, qui de Hieroglyphicis ſcripſerunt. Et priſci Ethnici eos, qui immortalitatem adepti eſſent, Aquila vehi tradebant. Extant numiſmata, pro apotheoſi Impp. quorundam cauſa, quibus in antica parte ſcriptum eſt CONSECRATIO: In poſtica habet Aquilam montis faſtigio inſidentem expanſis alis cœlum, erecto capite intuentem, & quaſi volatu in altum contendere nitentem. Quibus conſentit hiſtoria Herodiani, qui libro quarto morem Cæſarum conſecrandorum deſcribit. Hæc aquilæ ſignificatio non male conuenit monumento in memoriam defunctorum edito, ſiue illi Romani, ſiue Galli fuerint. Nam & Gallos ante natum Chriſtum opinionem de animarum immortalitate habuiſſe, ac ita à Druydibus Sacerdotibus ſuis edoctos fuiſſe, ſcribit Iulius Cæſar lib. 6. de bello Gallico. Licet ille ad Μετεμψύχωσιν Pythagoricam id detorqueat. Sic illi ab æterna mente illuminati, iam tum ante ad procliuius recipiendam Euangelii lucem, diuinitus fuerunt præparati. Sed ad Aquilinum lapidem, ſeu Aigelſtein noſtrum reuertamur. Eiuſdem nominis monumentum exſtat Moguntiæ prope muros, Quod indubitatum mihi eſt in honorem Druſi Germanici exſtructum. Quamuis Lipſius in commentariis, libro ſecundo ad Tacitum id negare videatur. Etenim plura Druſa κενοτάφια diuerſis in locis poſita fuere. Suadet id Suetonius in Claudio: Exercitum inquit, Druſo honorarium tumulum excitaſſe, circa quem deinceps ſtatuto die quotannis miles decurreret. Oportuit igitur tumulum non momentaneum, neque leuis operis, ſed firmioris & permanentis fuiſſe. Cum igitur in Druſi conſecrationem is tumulus poſitus fuerit, Romani ritus conſuetudo poſtulabat, vt Aquila in apice poneretur. Et hinc poſteri, qui Gallica Germanicaque promiſcue vtebantur lingua, nomen indiderunt Aigelſtein. Veriſimile eſt, & olim Coloniæ ſimile monumentum fuiſſe, vnde etiamnum porta vicuſque vrbis, Aigelſtein remanſit.

COCHMENSIS ET MONASTERII, VRBIUM TREVIRENSIUM TOPOGRAPHIA.

De Monasterio Meinfeldiæ.



Ex lib. I. Antiquitat. Treuericarum, Cap. 14.

PORRO quod cognoscere non iniucundum sit, Francorum æuo & Ottonibus rerum potientibus, vt inspectis ipsorum diplomatis sæpenumero patuit: Prouincia in pagos fuit tota distribura, pagos autem quia Comites administrabant iure temporario, ipsi etiam pagi comitatus nomen obtinebant, &c. Præcipuam in his celebritatem pagus habuit Ripuariorum Meigenensis, quem Magnacensem dixère maiores &c.

In Anno Christi. 14.

Cum inuestigatur Ambitarini vicus Treuirorum, quem C. Caligulæ natalibus insigniunt.

Enimuerò Pipini, magnique Caroli donationum tabulis B. Martini Ecclesia in pago Ambitino nominatur: &c. More illius æui vsus Rom. Ambitarinus purgata lectione Suetonii in Cæs. C. Calig. Hanc porro ecclesiam esse eam, quæ veteri post & opulento Clericorum Monasterio condecorata, in Meginensi campo feracissimo sita, nomen idipsum ad hanc vsq; nostram ætatem tuetur, patrioque vocabulo degeneri Meinfeldiæ Monasterium SS. Martino & Seuero (*de B. Gregor. I. dialog. cap. 12.*) presbyterio Terrorinæ vallis sacrum dicitur, mihi neutiquam ambiguum est.

Hunc autem Ripanorum pagum fuisse, quo Monasterium id & opidum quoque
MEGINENSE quod METEN appellant: postea colligens.

Iam vero (inquit) quo minus relictum esset loci erroribus, pagi situm Regino (in ann. 877. secundum lectionem M. S. K. emendatiorem) quem idoneum sui temporis omnes probant autorem, prope abfuisse ab Andrenaco Castello (veteribus id Anronacum & Antonnacense castellum) testatur diserte. Additque Marianus Scotus in Chronico suo, eidem pago Ripuariæ hæsisse nomen: quo Ripanos nimirum veteres illos Rheni Mosellæque accolas &c. non oportuniore magis loco potuisse describi crederes, &c.

Porro fundatæ Monasteriensis Ecclesię institutæq; primordia clerus istius loci haud satis ab antiquitate instructus etsi ad Pipinum Carolumque referre malit, eius tamen originem longe vetustiorem arguunt literæ à Dagoberto Rege Modoaldo Archiepiscopo sub Christi annum 644. datæ, quibus is maiorum suorum beneficia possessionesque B. Petro traditas confirmans, diserte meminit Ecclesiæ B. Martini in pago Maiginensi.

Ad annum DCCCCL. XXXIV. in Egberti Archiepiscopi actis.

B. Seueri corpus Egbertus, id quod nonnulli attribuunt Ruotberto, in peruetustam pagi Meigenensis sacram S. Martino basilicam, quam Pipinum maiorem cleri cœnobio cohonestasse legimus, nō sine miraculorum gloria transtulit; atque ex eius tam insignis patroni corporis accessione Canonicorum Meinfeldiæ Collegium S. Seueri monasterium appellari cœpit, quod Monasterium subinde tectorum frequentia in opiduli formam coalescens, sanitatis causa, fiddissimique patrocinii Confluentium eum in locum tanta frequentia coluit insequens ætas, ut ex vltima Aquitania magno numero isthuc accurrerint ægri, compotesque votorum; experimento minime dubio facti sunt.

COCHIMA.



ARCIS otigo adscribenda mediæ ætati, siquidem nullis admodum remotæ vetustatis argumentis ipsa claret COCHME nomen antiquitus obtinuit, iutis Imperatorii cum immunitate quadam iam oppidi mœnibus inclusa qua Kemple appellamus. Arci quoque Clottemum pagus vicinus, olim contributum.

De hac arce Treuir. annales in Adalberone Archiepiscopo, ad annum Christi M.C.L.

Erectior igitur ad id quod instabat gerendum (puta Conradus Rex) in Treuirorum ditionem flexit, copiis se subsequi iussis, quibus rebellium animos subditorum isthic edomaret, &c. Cochima arx est distans in Seprentrionem ab vrbe Treueri millia passuum vndequadtaginta, ex montis excelsi atque vallibus ab omni parte intercisi fastigio præterfluentem Mosellam læua respiciens. Hæc arx loci natura, vallis propugnaculis, atque aliis oportunis naturæ præsidiis eo rempore fitmissima, imperio parebat Romano, ac surgente paulatim ad montis radicem accolatum conuentu municipio, arx ipsa tandem cum opido locisque contributis in ius potestatemque Treuirensis Archiepiscopi concessit. Hanc igitur, vt dicere cœpi, imperata facere recusantem, vi Conradus expugnat, & nouo imposito præsidio in fide atque officio manere cogit.

Inde ad annum Domini MCCXCII. sub Boemundo Archiepiscopo.


Ars hæc iure quo optimo Adolphi Nassouij Regis Rom. authoritate tradita Boemundo, oppositaque pignori, ac à posteris Regibus Ecclesiæ Treuirensi in possessionem stabilem relicta ac confirmata.

Hoc æuo vna præcipue stat firma ac eminenti fastigio quadrata turris visenda. Ab occidente & meridie altissima propinquorum montium habet obiecta cacumina opidum ad Corum adspicit. Cæterumque in Boream & occidentem vergit, turris firmo muro & propugnaculis est munita: à meridie vero Principis domicilio Joannis à Metzenhausen conditoris insignibus, aliisque amœnitatibus illustri cingitur.

Olim sub Imperatoribus Burgi custodes Burggrauios appellabant, fuere Schonenburgij Nobiles, à quibus Cuno Cunonis F. anno M. CC. LXXXII. à Rudolpho rege obsessus est. Huius vero Cunonis duæ Sorores in clarissimas familias deductæ Daunę & Virneburgi natalibus miscuere genus; altera vero Paulo Domino ab Eich sociata, claræ celebriq; familiæ Aduocatorum à Waltorff initium dedit.

Arce vero iam Treuirico iuri adiuncta, voluntate Præsulum pro Burggrauiis se gerere cœperunt, milites siue nobiles viri à Clottenæ nam Boemundo eius nominis II. sedente nominatur Henricus à Clottemo Burggrauius. Anno M. CCC. LVI. Rursum M. CCC. LXIX. turris opidique quædam ad fastigium perducta memoratur Joanne à Clottem milite Burggrauio in Cochme, Archiepiscopo curante impensas. Denique arx à frequenti & insigni nobilitate fidelis obsequii & tutelæ causa quondam insessa ac habitata.

Parochia opidi sacra B. Martino Turonensi, cuius sacratum verticem statuæ pectorali argenteæ inclusum asseruar, estque Ecclesia Anno M.CCCXXIII. quo circiter tempore attolli visa, literis Auenione datis à multis Archiepiscopis & à Balduino Treuirorum variis indulgentiarum muneribus instructa, additaque sacra sodalitate siue Phratriæ ad incolarum animos fortius adstringendos retinendumque cultum auitæ pietatis.



Exactissima Ciuitatis Monasteriensis in Campo Meyfeldensi site Chorographica des:

A. Ober Pfortz.
B. Pulicher Pforts.
C. Brunnen Pforts.
D. Laufenborch.
E. Girsenacher Pforts.
F. Leemer thurn.
G. S. Martini und Seueri Kirch.
H. Pfarkirch S. Petri.
I. S Michaelis kirch.
K. Zum H: Geist spidael.
L. Probstei.
M. Dekenei.
N. Kelnerei.
O. Rhathauß.
P. Marckt.
Q. Dantshauß.

Passus Geometrici
10 20 30 40 50

BERNCASTELLVM.

BERNCASTELLVM, ad Mosellæ flumen Archiepiscopatus Treuirensis opidum, ante annos retro sexcentos incognitum, Anno Christi circa millesimum clarescere cœpit, à Poppone Treuirensi Archiepiscopo, pulsis inde prædonibus, dirutum atque euersum est. Postea, Friderico Ahenobarbo imperante, à Comite de Castris occupatum, atque extructa arce, munitum. Mox iterum à Ioanne Episcopo recuperatum, ac resarcita, quam obsidionis tempore acceperat, ædificiorum iactura, floruit ad annum vsque 1277. quo cum rursus collabescere cœpisset, primum ab Henrico Secundo, atque inde à Boemundo Treuirensibus Episcopis, arce, muris, turribus, propugnaculis, aliisque id genus operibus fuit exornatum. Quin & à Boemundo Episcopo, magnis priuilegiis, ceu opida solent imperialia, donatum est. Quæ deinde à Rudolpho, Adolpho, & Alberto Romanorum Regibus publicis comprehensa tabulis, sancita sunt & confirmata.




Memorandum quoque Xenodochium Cusanum in aduersa Berncastelli ripa à doctissimo viro Nicolao de Cusa, Episcopo Brixiensi Presbytero Cardinali, à fundamentis inchoatum, & egregiis atque opimis possessionibus instructum, illustre pago Cusano decus addit. Conditoris anno 1464. Tuderti vita functi cor, sub marmore in medio Cusæ templo quiescit. Corpus autem Roma sibi seruauit.

Quia verò iste Cardinalis Cusanus, peculiare Mosellanæ Germaniæ decus extitit, libet hic breuiter commemorare, qui Guilielmus Eisengrein Spirensis, in Catalogo testium veritatis de tanto viro scribit. Nicolaus, inquit, de Cusa, Germanus Treuirensis Diocœsis, ex Canonico Regulari Archidiaconus Leodiensis, & Protonotarius Apostolicus, sacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ Brixinensis Episcopus, doctrina, & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studiis doctus, & in primis eruditus, Græcæ, Latinæ, & Hebrææ linguæ peritissimus, Philosophus, Rhetor, Astronomus, Poëta, Musicus, & Mathematicus absolutissimus, historicus celeberrimus, qui tantum disciplinarum doctrina excellebat, vt de visione Dei volumen. Aliud de pace fidei conscriberet. In Bohemos scriptis inueheretur. De Genesi Commentariolum ederet. Sermones non minus doctè quam eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesia Dei profutura potestatis memoriæ consecraret. Obiit Tuderti in vmbria, pridie Idus Augusti anno M.CCCCLXIV. ætatis LXIII. Cadauer Romam relatum in titulo suo sepelitur.

MANDERSCHET.

MANDERSHET, ad differentiam eiusdem nominis, dicta superior, in Eifflia sita, rupi insidet, lignis, pro situ & conditione istius loci, abundat. nec loci viniferis caret. de qua in Treuirensi historia hoc tantum inuenio, Iacobus heroicus & insignis Treuirens. Episcopus anno M.CCCCLII. æmulos & inimicos graues habuit, maximè, Ioannem Comitem de Marca & Arenburg, Nobilesque quosdam consortes, castrorum Caldenfels, Reiffenberg, VVaetzberg, Zipenfelt, Montfort, &c. à quibus sæpenumero armis lacessitus fortiter tamen restitit. Vno conflictu ex ea nobilium manu, qui castrum Reiffenberg insidiebant. 80. penè equites cepit & duriter habuit, Ioannem Hurde de Schoneck finibus Eifflie præpotentem & pertinacem æmulum auxilio Ruperti Comitis à Virnenburg ex improuiso aggressus, castra illi & oppida Hildesheim, Manderscheidt, & Schoneck Eifflie, triduò ademit, anno Christi 1452.

MANDERSCHET Inferior, ad Lesarem amnem in Eifflia bonis optimi situs commoditatibus gaudens, ad Illustrissimam Generosorum Comitum de Manderschet familiam pertinet.


CEL IM HAM
MOSEL
FLV.

BERNCASTEL
MOSELLA
FLV.

OBER MANDERSCHEIDT.
LESER

NIDER MANDERSCHEIDT
FLV.

SARBVRGVM.



ARBVRGVM Archiepiſcopatus Treuirenſis, ad ripam Sarræ fluminis opidum, de cuius origine, vel conditore hiſtoriarum monumenta pauca commemorant, Anno M. CC. XXXII. Diſsidio Treuiri in Sacris Comitiis ob electionem Epiſcopi ſuborto, Arnoldus legitimè ſedem tenuit. Competitor eius Rodolphus Sarburgum cū aſtu cepiſſet, dum vixit retinuit. Inde Boemundo Epiſcopo flagitante, libertate Imperiali à Rodulpho rege donatum eſt longo temporis poſtea interuallo Ioannes ſecundus Marchionis Badenſis filius, anno M.CCCC.LVIII. à Metenſe & VVormatienſe Epiſcopis & Suffraganeo Treuirenſi Pontifex ibi ſacratus eſt, atq; huius etiam ſtudio egregiis ædificiis locus fuit excultus. Quem tamen ſplendorem hoc noſtro ſeculo Brandeburgenſis omnem flammis abſterſit.

Sarra flumen, Antonio Sarauus & pons lapideus ſupra eundem fluuium à Moſella nō procul, qui à pago vicino Kuntz die Kuntzerbrüg dicitur, arcubus amplitudinis admirandæ ſpectabilis: quorum qui in medio ad fluminis alueum, omnium eſt altiſsimus tum latiſsimus, reliqui ad latera ſenſim humiliores: quo & ipſa pontis ſuperficies ad vtramque ripam paullatim procumbit, & operis firmitudini egregiè prouiſum; vt in eo veterum artificum magiſtras manus agnoſcas. ad vtramque eius partem ſunt ſpeculæ, Treuirorum excubiæ. huius meminit & Auſonius in delicatiſsimo illo carmine, quo huncipſum Moſellam celebrat his verbis

Tuq; per obliqui fauces vexate SARAVI,
Qua bis terna fremunt ſcopuloſis oſtia pilis,
Cum defluxiſti fama maioris in amnem,
Liberior laxos exerces Barbo natatus.

Fluminis huius & denuò meminit in hoc eodem carmine, ne quis de eius ambigat nomine.

Nauiger vndiſona dudum me mole SARAVVS
Torta veſte voca, longum qui diſtulit amnem
Foſſa ſub Auguſtis vt volueret oſtia muris.

Cæterùm hic locus ob piſcationem ſummoperè commendatur: hic ſturiones, vt nunc vocantur; qui ab Auſonio Siluri dici videntur, vaſto corpore magna admodum copia captantur. Salomones, alauſæ, & præter reliqua piſcium genera, quæ luculenter ille, vt omnia, decantat: piſcem quem vulgo Plateis/ Auſonius idem in carmine quodam ad Theonem PLATESSAM videtur nominare, qui omnino marinus piſcis eſt, hic ibidem aliquando captum referebant nautæ, tantamq; eſſe in hoc amne piſcium omnigenum fœturam, vt cum nullo alio conferendus videatur. De hoc Sarræ fluminis & Moſellæ confluente intelligenda volunt nonnulli Suetonij verba in C. Cæſare Caligula, vbi de ipſius agit Imperatoris natalibus: Plinius inquit, Secundus in Treueris vico Ambiatico ſupra confluentes genitum ſcribit. Pagum ſanè Ambitiuum reperimus in diplomate quodam Pipini regis; in alio item Imp. Caroli Magni Aug. eius filij, eiuſdem ferè tenoris, in quibus inter reliquas donationes factas Cœnobio D. Maximini Treuirenſis, enumerat Eccleſiam S. Martini in pago Ambitiuo conſtructā.

PALATIOLVM vulgo Pfaltz.

EX Treuirorum Auguſta ſecundum Moſellæ flumine nauigantibus, ad medium ferè M. opidulum eſt & arx vulgò Pfaltz / quaſi PALATIVM dicas, in ſiniſtra ripa. Cuius initia non altius verò ordiri placet, quàm à Dagoberti Francorum regis æuo, nam alioqui, ſi vulgi ſententia ſtandum erit IVLII CÆSARIS CASTRVM per me vocari poteſt. Antiquis itaque Monaſterij Horrenſis M. S. libris & Annalium certa fide compertum eſt. PALATIOLVM in Treuirorum fuiſſe numeratū ſuburbanis Anno ſalutis circiter D. CXXXXij. quo tempore nobili Sanctimonialium Collegio iſthic à Modoaldo Sanctiſsimo Treuirorum Antiſtite, impenſis regiis excitato decoratum, cui Adhela Dagoberti filia Abbatiſſa præfuit. Qua quidem ætate PALATII ANTIQVI nomine inſignitum fuit. Lapſa deinde virginum diſciplina earum in locum Canonici, Poppone eximio item Treuirorum Epiſcopo authore ſub Anno M. XXVI. ſunt affecti, qui in hoc vſque tempus ſacra ibi remque Eccleſiaſticam procurat. Inde cum vetuſtate locus penè interiiſſet, ab Adelberone, qui Anno M. CXXXij. Epiſcopus eſſe cœpit, reſtitutus, atque ad aliquem ædificiorum ſplendorem adductus eſt. vt tum demùm muris cinctum haud difficilis ſit interpretatio, quam adiuuat, quòd paulò pòſt à Namurcenſi Comite captum opidum teſtentur Annales. Procedente tempore rurſus ab Arnoldo Primo, Henrico ſecundo Epiſcopis inſtauratum. Abhinc frequens Treuirenſium fuit Antiſtitum ſedes, Egregiis etiam ab Illuſtriſsimo Principe Ioanne a Metzenhauſen domiciliis ornata, donec ab Alberto Brandenburgenſi illato incendio Anno M. D. LII. cùm opidum vniuerſum tùm Epiſcoporum imprimis habitatio deflagrauit.


SARBVRG
Lucker berg
Das Churfursten hauß
Kutzagel
Eyler berg
S. Laurentij parochialis Ecclesia
Conhoff
Schock
Der Bellenhauser behausung
Ampthauß
Cauten thurlin
Fulen Pfortz
Hospitals Nicolai
SAR FL.
Chorographica descriptio Ciuitatis Sarburgensis. exactissimeq; delineatio.


PALTZ
Opp: Palatinum ad Mosellam Flu: vulgo Pfaltz auff der Musell.
MOSEL FLV.

ANTVVERPIA.



NTWERPIA Brabantiæ vrbs valdè magnifica, Emporium longè celeberrimum, de cuius situ, splendore ædificiorum, populi industria ac diuitijs, quorundam extant scripti libelli, & nos aliqualem eius historiam, primo vrbium Tomo dedimus. Verum, quia tantæ vrbis magnificentia breui oratione explicari non potest, eandem iam denuò, sed accuratius, in Theatrum spectandam producimus.

ANTWERPIA dextram Scaldis ripam, longo tractu, mœnibus & turribus coronans, ab Oceano secundum flumen quindecim circiter milliaribus Brabanticis distat, quorum singula in terram tantum spacij complectuntur, quantum si expeditus pedes stato & ordinario gradu, intra horam vnam absoluat, & laboris satis sit habiturus, & non nimium difficultatis. Verum quoniam hæc rudis est & pinguis delineatio: accuratius celeberrimi in toto orbe Mercatus positio ad eorum regulam describatur, qui ex cœlestium circulorum inclinatione & syderum ortu, terrarum interualla metiuntur, Gemma Phrysius Antuuerpiæ vltra vnum & quingenta latitudinis gradus scrupulos octo & viginti adscripsit, longitudinem autem sex & viginti temporum partibus, sex & triginta minutijs primis terminauit. Becanus tamen diligentissimè linea meridiana in plano prius descripta ac crebrius examinata ex frequenti solaris supra finitorem circulum altitudinis obseruatione deprehēdit, vltra vnum & quinquaginta gradus, vix viginti scrupulos primos latitudini esse tribuendos. Longitudinem autem non aliam comperit, quam eam quæ ex Phrysio est annotata.

De primo vrbis Antverpiæ fundatore è nominis origine, non vna est omnium sententia: Sunt qui scribant olim, Gigantem hanc Scaldis ripam tenuisse, qui manus iter hac facientium, loco vectigalis amputaret; ac venisse tandem Brabonem, qui inito certamine, beluam illam superauerit, & talionem sceleribus reddens: dextram eius rescissam in Scaldim quanta vi potuit, coniecerit: atque ad eius facti memoriam castrum esse constructum, nomine Hant vverpum id est manus proiectionem, hinc manuum amputatarum insignia: hinc Gigantis & filiorum eius amburbalia pegmata restare, & quo magis credas, domum hactenus extare, quæ Reesenhauß / id est Gigantis domus vocatur: & in ipsa Curia, non tam ossa eius ingentia magno miraculo spectari: sed in marmoreo etiam colosso, qui terribili vultu ex alto forum despicit, memoriam restare sempiternam.

Hæc quia sunt commento, quàm vero propiora, excusare quodammodo, tantum non persuadere Ioannes Buchius conatur, eidem Reipubl. à secretis, in opere, quod edidit de spectaculis ibi exhibitis, in Serenissimi Principis Ernesti Austriæ Archiducis, Belgio profecti in eam vrbem aduentu his verbis: Etiamsi verò me non præterit hanc narrationem quorumdam argumentis vel potius coniecturis, quarum fidem à seipsis, vt argumenta petunt, refelli & explodi, nos tamen in Colosso Antvverpiensi describendo, ab eius historia deflectere non potuimus, quam, si minus alijs nationibus probabitur, quod scripta nobis desit auctoritas, solis Antvverpiensibus constare sufficiat ad antiquitatem patriæ suæ commendandam, quæ publica fama à maioribus tradita vetustatis quibusdam retentis vestigijs ad nostra vsq; tempora peruenit: Quoniam autem auctore Thucydide, coniecturis, & teste Liuio fama rerum in historijs standum est, cum nihil certi habeamus propter æui longitudinem, vel cū fidem vetustas derogat, & quia sine vlla examinatione aliorum relata in rebus etiam domesticis admittimus nō magis ęquum est difficilem rei gestæ inuestigationem ab Antvverpiensibus morosè exigere, quam incertas aliarum gentium origines admirari: Neque enim minus credibile est, quod de Rabone suo Brabanti & Antvverpienses dictitant, quam de Romulo suo Romani, de Theseo iactant Athenienses. Hæc ille, Sed his reiectis alia videamus.

Sunt qui ab abiectu Adiectam Germanicè Antwerp / ANTWERPIAM dictam perhibeant eò quod triplici augmento prioribus mœnibus alia sint adiecta. Cùm enim longè lateque Scaldis, qui nullis coercebatur aggeribus, nullo certo continebatur alueo, per loca paludosa, vliginosa, atque arundineta liberè expatiaretur, effectum esse, & crebro æstu & quotidiana accessu atque recessu maris, crebrisque alluuionibus paullatim ea editiora fierent, vt hinc nomen sortitam esse, sit verisimile. Videmus enim quotidie, dum ædificij alicuius fundamenta Antvverpiæ iaciuntur, quàm varius sit distinctus fundus, mox arenosus, mox argillosus, mox cœnosus, mox concharum marinarum varijs generibus consitus. Qua ex re certissimis ac firmissimis argumentis perspicuè constat, Antvverpiæ situm vndique fuisse humilem, paludosum, vliginosum, eamque ex quotidianis alluuionibus incrementum, ab incremento autem nomen accepisse, & inde Antvverpiam nuncupatam.

Ioannes Geropius Becanus, in suis Becceselanorum Atuaticis, origines Antvverpianas inuestigans, multis argumentis ex Iulio Cæsare confirmat, primum initium Atuaticorum inter Ambiuaritos Neruios, & burones fuisse ad ipsum Scaldim, eo ipso loco, quo nunc Antvverpia cernitur, quæ tunc Atuatici nomine, à Cimbrorum reliquijs sit condita, atque idcircò vetus nomen Atuaticum, recens esse Antvverpiam. Hunc autem Cæsaris locum allegat. Ipsi, inquit, de Atuaticis loquens, erant ex Cimbris Theutonisque procreati; qui cùm iter in prouinciam nostram & Italiam facerent, his impedimentis, quæ secum agere & portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiæ ex suis ac præsidio sex millia hominum vna reliquerunt. Hi post eorum abitum multis annis à finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent, consensu eorum omnium pace facta hunc sibi domicilij locum delegerunt. Necesse igitur est, locum inuenire, citra Rhenum, qui satis defendi aduersus omnes Belgas potuerit sex millium præsidio, alij eum quidem inter Effectiones & Neruios, quo loco à Cæsare collocantur. Et vt Cæsar citra Rhenum locum designar, ita Ptolomeus vltra Thabudam siue Scaldim, Atuaticum in Thungrorum finibus inuenit, Si igitur accuratè totius huius regionis situm, quæ Liburonū, Neruiorum, & Ambiuaritorum erat media, consideremus, nullum locum inueniemus, hoc, in quo Antvverpia condita est impedimentis custodiendis, aptiorem. Ab Occidente enim latissimo, profundissimo, & æstuoso flumine claudebantur, &, vt temporis res erant, vndiq; à flumine paludes inuiæ, altū illud, in Antvverpia stat fœda vligine cingebāt. His accedebat syluarum horror, quarum reliquiæ hactenus ad ipsa propè mœnia contingūt. Adde vt tum loca erant aggeribus fortasse parū munita longa per Ambiuaritorum fines æstuaria. Sed præcipua ad defensionem vis in paludibus fuit, quæ vrbem hactenus ambiūt; quamuis industria & labore hominū altiores factæ, nūc læta pascua iumentis præbeant. Nec alius ab Oceano Scaldim aduersum subeuntibus prius locus occurrit in fluminis ripa habitudini commodus, qui citra aggerū munimenta, vndas excludat: quam ad hūc tumulum venias, qui ab arce Antvverpiana siue Burgam, ad Keilam vsque suburbanum pagum, modicè leniterq; è flumine consurgit. Hæc Becanus hactenus, qui ex situ loci, ex significatione nominis, ex ratione insignium, reiecto falso commento, de VERPO delubro Antvverpiani nominis etymon à proiectis, sublicijsq; ripis deducit Verpen/ inquit, idem est quod Latinis proijcere, & quemadmodum in ædibus profecta quædam latinis quæ vltra parietis perpendiculum longius extant Iurisconsulti mœniana vel si gerunda. l. 242. ff. de verb. sign. nomi.

nominant, ita nobis Werp dicitur in fluminibus & mari id, quod vltra natiuum ripæ litteri ſve ductum, in aquas ab hominibus eſt proiectum: vel ne naues vadi breuitate appellere prohibeantur, vel quo pontibus, geranijs, molis, mœnibus, aut id genus ſtructuris alijs locus detur: vel quod in frequentiſſimis eſt, quo vis fluminum coerceatur. Extant in Pomeriani duo oppidula è regione alterum alterius, ad lacum Frishaft nominatum, quorum vtrumque molibus in aquas iactis, factum eſt, relicto in medio ſinu in ſemicirculum quaſi reducto. Horum vni nomen eſt Oldenvverp. i. vetus proiectum, alteri Neuvverp. i. nouum proiectum. Ex his igitur liquet, quæ tum Antverpiæ, tum nominis ſit origo. Fuit autem olim Atuatici ſitus is, vt vndique aquis includeretur: hinc Scaldis, hinc paludum & Scaldulæ quo nomine paruus quidam riuus vrbem antequam cingens vocatur. Omnia igitur longè lateque quæ circum erant loca ſtagnabant aut cœno & paludibus fœda erant: ita vt nec pedibus ob aquas & altam vliginem, nec nauibus ob vadorum breuitatem, acceſſus hoſtibus daretur: inſigne illud quidem ad muniendam arcem citra grandes impenſas adiumentum, ſed commertijs hominum, rebuſq; neceſſarijs importandis, non exiguum impedimentum. Quamobrem vtrique acceſſui, & nauali & terreſtri, tum, cùm iam altis mœnibus firmiſque nec non foſſis latis tuti eſſent: conſulendum eſſe rati, ingentes primùm ſublicas, magno fiſtucarum pondere ſtagnantibus paludoſiſque ripis impegerunt: quarum multas vidimus, dum fundamentis curiæ iaciendis, altè humus effoderetur. Hæc igitur ripa Arci adiecta Werp & poſterius conſuetudine mollius indicante Werff ex re ipſa vocabatur. Paulatim autem creſcente hominum multitudine neceſſe fuit ad hanc ripam ita comparatam, pluſculum loci adijcere, quo hominibus ad habitandum extra arcem locus daretur. Eſt agnis igitur & paludibus aquas in canales nauium cappaces corriuarunt, quo humus deſiccata, tum hominibus habitandi locum ampliorem, tum pecori paſcua prębe ret ſicciora. Hinc factum, vt quod Arci erat adiectum, ad ripam Atuaticorum vocaretur, id eſt Ant ataſwerp. Ac deinde breuius Antwerp. Poſt cùm acceſſio hæc magnitudine & numero hominum longè arcem ſuperaret; Arcem quidem Borgt/ totam vero vrbem Antwerp nominârunt. Manet tamen hactenus arci ius primogenium, adeò vt nemo extra hanc ciuitate donetur, nemo extra hãc, morti abiudicetur. Atque hæc quidem ſufficere videntur, ad antiquum vrbis ſitum & duplex nomen Antvverpiam & Atuaticũ & Ambiuaritorum munici pium rudi quaſi minerua depingendum. Reliquum nunc eſt, vrbem vt ipſam aggrediamur, quod dum facimus, à rebus ſacris enarrationem noſtram ordiemur.

Primaria Antvverpienſis Eccleſia B. Mariæ Virgini inſcripta, collegiata, nunc Cathedralis eſt, amplitudine, magnificentiaque excellens, multis ornamentorum generibus decorata. Cuius eminentior turris campanis deſtinata, mirabili ſtructura ex candido marmore affabrè facta, admirandæ altitudinis viſitur, alta pedes quadringẽtos viginti, vnde nòn tantum ſumptuoſiſſima ciuitatis ædificia, ſed & amæniſſimi quaque verſus agri, horti, & prata, etiam vltra Scaldim in Flandria proſpiciuntur. Sunt in ea triginta tres campanæ promiſcuæ magnitudinis, quæ tam conſonantem edunt ſonum, & diuerſas Eccleſiaſticas melodias ita exprimunt, vt ab harmonia muſica vix eum diſtinxeris. Harum campanarum prima tanta eſt, vt nulla in Belgio ſit magnitudine vaſtior, octo enim pedes capit eius altitudo, ſeptem cum ſemipede hiatus in diametro. Canonici viginti quatuor. Preſbyterorum magnus numerus, reditus pacis tempore ampliſſimi, priuilegia ſingularia, & immunitates haud contemnendæ, præſertim quoad annonam & vectigalia. Confraternitates, vt vocant, ſex, quas vera pietatis & charitatis exemplaria meritò dixeris. In quadam huius auguſtiſſimi fani Capella reuerenter aſſeruatum fuit præputium noſtri Saluatoris, eò tranſmiſſum anno M.C.I. per illuſtr. Principem Godefridum de Buillon Lotharingiæ Ducem, & ſacri imperij Marchionem, electum Regem Hieroſolymitanum. Cuius gratia ſolennis proceſſio quotannis, magna religione celebratur, in honore Dominicæ circuncisionis, quo nomine etiã ſodalitas quædam inſtituta eſt quæ ex xxiiij optimatibus ſelectiſſimiſque ciuibus conſtat, tametſi re tam ſacroſancta, precioſoque reliquiarum theſauro, impia ac nefaria iconoclaſtarum audacia & perfidia anno ſexageſimo ſexto poſt ſeſqui milleſimum eam vrbem ſpoliauit. Collegium Canonicorum fundatum anno M. C XXIV. quo tempore eſt conſecrata Eccleſia per Burchardum Epiſcopum Cameracenſem. ad D. Michaelis Præpoſitum Is duodecim Canonicos inſtituit, qui poſtmodum ad viginti quatuor aucti ſunt. Nunc loci Decanus Carolus Maſius, doctrina & virtutum ſplendoribus Collegio decori & ornamento eſt. Ad Cathredalem dignitatem hæc Eccleſia euecta eſt anno M.D.LIX. à Paulo eius nominis Pontifice IV. qui pio Philippi Regis deſiderio ſatisfaciens, Diœceſes Galliæ Belgicæ, quæ Maieſtati ſuæ parent, commodius diuidens, tres Archiepiſcopatus, ſiue metropoles inſtituit, Mechliniam, Cameracum Vltraiectum, & tredecim ſedes Cathedrales, quas Metropolitanarum Suffraganeas ordinauit. Ita Antvverpienſis, Gandenſis, Brugenſis, Iprenſis, Buſcoducenſis, Ruremondenſis Epiſcopatus Machlinienſem Metropolitanam agnoſcunt. Ex hac ordinatione primus Epiſcopus Antvverpienſis fuit Franciſcus Sonnius.

Alter anno M.D.XCV. menſe aprili mortuus Leuinus Torrentius, vir mitiore literatura, cultiſſimus, quod publica ſua ſcripta teſtantur, & politicæ rei prudentia clariſſimus. Præeminet quoque Abbatia Archangeli S. Michaeli, vbi Princeps Antvverpiam appellens diuerti aſſolet, olim Marti dedicata, ac prima paſtoribus populi ſedes. In Eccleſia iuxta altare maius ſepulta eſt Iſabella de Bourbon deſponſata Carolo de Charlois, qui poſtremus Burgundiæ Dux fuit, mortua inibi anno M.CCCC.LXV. vt regale ipſius Epitaphium commonſtrat. Eccleſiam fundauit celeberrimi nominis prælatus Norbertus Comitis Palatini in Picardia & Diœceſi Laonenſi filius. Anno M.CXXIV. cuius ſeriem hiſtoria Norberti carmine Abbatiæ eiuſdem muro affixa explicat. Eodem igitur tempore Monaſterium hoc, quo Eccleſia. B. Virginis, auguſtiſſima, erectum eſt. Cum enim Norbertus ille, qui & primus ordinem Præmonſtratenſem cùm alibi, tum Antvverpi conſtituit, Canonicis, qui ante ad. D. Michaelis diuinis officijs præerant, vel cooptatis, vel ſi nollent, cum iuſta æquabilique poſſeſſionum, reddituumque portione dimiſſis, quo vellent, habitatum. Qui ergo emigrarunt Collegium Canonicorum conſtituerunt & non procul ab ipſa arce Templi huius auguſti, quod nunc videmus iecère fundamenta circa ædiculam D. Virgini ſacram, à qua toti Templo nomen ſunt impertiti.

Antvverpia igitur, vt rebus omnibus & neceſſitati voluptatique ſeruientibus abundat, ſic etiam animæ fomenta, & Chriſtianæ religionis exercitia vbertim ſuppeditat. Sunt enim in ea Parochiales ædes quinque Virorũ monaſteria nouem; Fœminarum totidem, Sacella, vt vocant, octo. Hoſpitalia tria. Dei domus, ſiue vt vulgò dicunt Godshuyſer. viginti quatuor. Franciſcanorum inprimis celebre monaſterium, & inſigni quondam decoratum bibliotheca, quæ billicis tumultibus dilaniata, & direpta fuit, Carmelitarum præterea & Dominicanorum etiam celebria Monaſteria, quorum poſterius fundatum eſt anno M.CC. XLII. Nec ſilentio prætereundum eſt inſigne Patrum Societatis IESV Collegium; Religioſorum Patrum Capuzzinorum Sodalitiũ. Porrò inter ampliſſimas, quæ illic viſuntur ædes duo ſunt vtriuſque ſexus Orphanotrophia perpetuis, à magnificis viris, admodum liberaliter dotatæ redditibus, in quarum vna pueri (qui otioſi alioquin victum in plateis quæritãtes, ad omnem nequitiam enutriũtur) ijs exercentur artibus, quæ ad neceſſarios hominũ vſus conducũt. In altera puellarum inſtitutio

tanta

tanta diligentia obseruatur, vt spectatissima indole & optimis moribus animum inbuant, manus sic labori adaptent vt matura iam ætate, quæ domi & foris, in stabilienda re familiari opus sunt, affabrè calleant, vnde perpetuũ Antvverpianæ gloriæ monumentum hoc, ex quo tot domesticarũ virtutũ seminaria pullulant, dignis nequit celebrari encomijs. Quod etiam alijs nõnullis Ciuitatibus sic placuit, vt huius laudatissimo exemplo allecti, hanc flagitiosorum hominum colluuiem, quam otium & scurrilis educatio generat explodenda, methodum ac normam pro Reip. ipsorum incremento imitari conentur.

Adhæc perfectæ laudis & pietatis amplissimum reddit testimonium, quod à magistratu quatuor Iudices decernantur, Pupillorum & Orphanorum exactissimam curam habentes, singulis præterea annis duo Eleemosynarij, duobus eo munere substituuntur alijs duobus (quatuor enim sunt numero) in officio manentibus, ciues ad hoc eliguntur, vti opum copia & facultatibus pollentes, sic & egregia vitæ sinceritate, probitateque clari, qui singulis diebus festis præsertim eleemosynam publicè sub diuinis, & concione exorant, eamque inter pauperes, adhibita qua par est discretione, patiuntur, quæ quotannis summam triginta millium ducatorum frequenter excedit.

In ipso fere ciuitatis vmbilico, arca ampla quadrata, Borsam vulgò nuncupant, panditur, amplissimo Septa peristylio & pulcherrimis columnis, quibus ambulacrum, tecto conclusum sustinetur, tam accuratè fornicatum vt non testudo, sed tabulatum videatur, in quo pulcherrima quæque videndi sensum oblectantia venum exponuntur, subter, negotiatores tractandarum rerum & commerciorum causa, certis horis quotidiè conueniunt, lex etiam quædam strictè obseruatur vt cum campanula ex arte horologica sonare desierit, qui in Borsa post deprehenditur, mulctam pauperibus erogandam pensitat.

Splendidissimæ etiam prætoriæ ædes conspiciuntur, quæ ex marmorio, viuo, sectoque lapide, ex regionibus longè dissitis comportato, tantis sumptibus, tantoque artificio quatuor annorum tempore constructæ sunt, vt materia operis formam, & forma materiam ipsam superet. Taceo venustissimum frontispicium in sublime fastigium, per quinque ordines architectonicos ascendens, ac pro operis symmetria paulatim gracilescens. Nec minus exteriori decenter respondet interior structura, tribunalibus, subsellijs, atrijs, conclauibus, ambulacris & aulistam congruo, vtilique ordine digestis, vt dictu mirum videatur, quotquot enim Antvverpiæ in functionibus publicis, politicis, ærarijs, contractibus, causis, litibusque priuatis operam suam præstant, quorum amplus est numerus, præter Senatores & Iudices subalternos, singulis diebus bis eò confluunt ad suam quisque quam ibi occupat, stationem, ita vt ciuibus alijsque ipsorum opera indigentibus, commodò accidat, statuta hora Clientibus ad patronos aditum patere nec (vt in plerisque Ciuitatibus agi solet) Procuratores quærendo defatigari, & sic rebus domesticis securè & tutius prospicere. Portæ ciuitatis decem & tres, quarum prima Cæsarea, cui Carolus V. Cæsar Augustus nomen imposuit, vt ex inscriptione liquet, quæ talis est.

CAROLVS A. CÆS.

HANC PORTAM PRIMVS MORTALIVM INTROGRESSVS CÆSAREAM NVNCVPAVIT DIE XXV. NOVEMBRIS ANNO M. CCCCC. XLV.

EST autem hæc porta structuræ solidæ & elegantis, Hetrusci infrà operis, cum suis fascijs, quas Rusticas vocant supra Dorici, ex viuo saxo & quadrato, pedibus quinquaginta quatuor, sublimis, in pedum octoginta latitudinem protensa, hiatus, seu aperturæ altitudo viginti, & vno pedibus definitur, latitudo quatuordecim, profunditas transitus pertingit ad septuaginta quinque pedes In eiusdem portæ summa coronice recenter est posita, tredecim pedum, præter basim quinque pedum, ingens statua, habitu antiquo & militari sago cum paludamento fortissimum heroem Brabonem referens, qui cæso Antigogo giganteæ staturæ tyranno, ab scissaque illi manu talionis supplicio, quo ille in viatores graue vectigal soluere detrectantes, sæuire solitus esse dicitur, patriam tyrannide liberasse, & nomen Hantvverpiæ dedisse fertur. Quam tamen multorum opinionẽ Becanus in sua Gigantomachia falsam esse multis argumentis confirmare nititur. Ipsius autem Brabonis basi ad, sempiternam memoriam, hæ literarum notæ sunt insculptæ.

BRABONI INVICTO OBVINDICATAM TALIONE TYRANNIDEM S. P. Q. A.

Ad D. Michaelis, porta Coronæ burgica fuit, præcelsa turri conspicua, quæ Imperialem coronam deauratam in summo gestabat, certum Marchionatus imperij indicium. Verum tanto ornamento Albanus Dux, Belgij Gubernator, Anno M. D. LXVII. Antvverpienses spoliauit, qui illam turrim deiecit, quando arcem ibidem munitissimam construxit.

Pontes in indita hac vrbe publici quadraginta, quorum multi stratis lapidibus contecti & vtrimque magnis ciuium & negotiatorum habitationibus septi, vt pontes esse transeuntium oculos fugiat. Omnes verò reliquos pons marinus superat, qui latè patentis fori magnificentiam, insigni venustate ostentat.

Status Politicus, congrua & ordinata harmonia in certos Magistratus est diuisus, Scultetum habet, qui Rhiensis quoque Marchio appellatur, habet & Amptmannum, Consules Scabinos siue Senatores, Collegia siue tribus & eorum Decanos. Scultetus criminalibus causis præsidet. Ammannus ciuilibus. Consules bini Senatui præsunt. Qui duum viri tertio post Pascha dominico die cum reliquis Senatoribus Magistratum annuum ineunt. Ad vnius consulis officium præcipue spectat Reipubl. administratio, ad alterum iurisdictio. Collegia sex quæ Decanos habent, qui tanquam Præfecti res Collegiorum administrant. Hæc autem Collegia ex selectissimis ciuibus constant, antiquissima totius Ciuitatis præsidia, seu nerui quidam Reipubl. ac robora. Qui in custodia & defensione vrbis, quam curam illi præcipuè sustinent, alijsque obsequijs Brabantiæ Ducibus olim præstitis, quam fortiter sese, gesserint, plurima ab eisdem concessa priuilegia fidem faciunt. Horum Collegiorum alumni in publicis certaminibus honestè exerceri solent. Quorum bina quæ D. Georgium tutelarem habent, chalybeis arcubus siue balistis spicula eijciunt, vnde arcubalistarij vocantur. Bina verò D. Sebastiani tutelã insignia, sagittas acernis arcubus emittunt. Quintum sub D. Christophori patrocinio, nouo tormenti manuarij genere vtitur, quos Sclopos nominamus. Sextum denique quod in D. Michaelis clientelam se dedit, gladiatorum more, quouis armorum genere cominus pugnat, hinc Demicatores nominantur. Tres insuper Confraternitates stabilitæ sunt, à Rhetorica nomen sortitæ vulgò Violiere, Goubloem, & Olif. ac, horum munus est, ciuibus publicè & priuatim Comœdias & Attellanas aliaque animi oblectamenta, more Græcorum Romanorumque exhibere, quorum non exiguus pietatis, morum in spectatores dimanat fructus. Præcipuus horum trium ordo Violiere dictus, vt plurimum ex pictoribus conflatus est, qui studio suæ artis & exercitationibus se mutuò certatim agitantes, summum ingeniorum acumen ostendunt. Itaque hæc ciuitas plures generauit, aluit pictores, variarum in sua specie Magistros, ingenijque ornamentis splendidissimos quàm vix vlla Prouincia.

De quibus licet apud Guicciardinum sufficiens inueniatur suppellex, excellentissimorum tamen pictorum catologo hic etiam annumerabimus Bartolomæum Spranger, quem Imper. Rodolphus, ob artis præstantiam sibi carum habet. Et Georgium Hofnagel miniatorem excellentissimum, qui omnes nostros vrbium Tomos, diuersarum nationum & vrbium typis, grata venustate condecorauit.

Antvverpia etiam peculiari Marchionatus titulo Sacri Ro. Imperij decoratur, cuius est perantiqua nobilitas, Semper enim ab ipsa vsque Thungrorum memoria hoc loco Germaniæ & Galliæ limes fuit, sed non eadem semper ratione. Neque verò ob gentium discrimen, quod Scaldis nomine indicatur, limitis tantum habuit appellationem, sed illa etiam causa, quod hac maximè parte Germaniæ Occidentale latus à piratis esset custodiendum, quoniam nullum flumen tam longè intra regionem maximas naues sursum quam Scaldis portaret, qua de causa limes Germaniæ Occidentalis hoc loco præcipuè fuit diligenter, ne quid damni inferretũr, obseruandus. Is certè Marchio, cuius inter Francos antiquissima extat memoria non aliam ob causam huius limitis præfectura est donatus, quam quod vim ex Oceano per Scaldim illatam fortiter repulisset. Nam cùm Cochlearius Danorum Rex classe inuectus conterminam regionem vndique popularetur, Theodoricus Ludouici illius magni, quem Clodoueum vocant, filius natu maximus Theobertum filium suum cum valida manu contramisit, adiuncto Vtilone fratre Theodonis Magni, vt volunt, Boiorum Ducis. viro strenuo, & militaris disciplinæ peritissimo in consilio & prudentia sic rem gessit, vt Danorum Regum multis vastaræ Regionis manubijs onustum, iam iamque claues conscensurum, quò in patriam triumphans rediret, vna cum toto exercitu ad internecionem vsque omnium deleuerit. Nunc successum felicissimum in hoc ad Scaldim limite sortitus, magnam insignis victoriæ partem, Vtilionis consilio & virtuti retulit acceptam, quem de hoc nomine sic apud Patrem commendauit, vt limitis præfe-

cturam

ćturam pro honorario acceperit, Marchio Antvverpianus appellatus, & quo vinculum firmius esset inter ipsos sororem ei Theobertus dederit vxorem, è quorum copula diuina stirps Caroli Magni pullulauit. Vel igitur hoc solo nomine magni nobis facienda est Marchionatus Antvverpiani nobilitas quòd eam dederit ducum, Regumque progeniem, qua nulla vnquam in orbe extitit clarior, à qua Rex Hispaniæ, Dux Brabantiæ, & Marchio Antvverpianus, suo titulo sacri Imperij, recta linea descendit, annis am plius mille per illustrissimos homines generis serie continuata. Hic igitur tot Ducum, tot Regum, tot imperatorum sunt incunabula, hîc gentis clarissima primordia, Hic Marchionatus primum optimos Francico Regno Comestabiles & Palatij Præfectos siue Maros, deinde Reges dedit ac tum Romanos Imperatores, post etiam Reges Hierosolymitanos & Imperatores Bizantinos è gremio suo produxit: quorum Princeps & auspex Godefridus Antvverpiæ in suo Marchionatu exercitus in Asiam ducendi primitias collegit. Situs fluminis & negotiationis oportunitas diuersarum gentium nationes huc pertraxit, quæ fixam sibi residentiam ibi diligentes magistratus suos peculiares habent, vt Senatores & Aldermannos ædificia sibi eligantia construxerunt, & sumptuosa palatia dici merentur, quæ breui narratione describi sigillatim nequeunt, Beneficium hoc Scaldis flumen præstitit Ptolomæo Tabula æstibus marinis obnoxium, cuius ea commoditas, vt ex portu etiam altissimarum nauium, plana via ingressus pateat, & maxim æ holcades & onerarię ripam contingant, ita vt manibus liceat onera deponere in terram. Vnde ANTVVERPIA mercium variarum famatissimum per Orbem Emporium, non toti tantum Europæ, verum Asiæ & Aphricæ seruit rebus, tum ad vitæ vsum necessarium, tum etiam ad splendorem, & ornatum pertinentibus, vt eam Christophorus Stella Hispanus meritò nuncupet Vniuersi terrarum Orbis forum nundinarium. Tanta enim omnium gentium confluentia, mercium que omnigenum hic est negotiatio, vt Orbem quis in Vrb. contemplari videatur. Quod etiam luculento Epigrammate testatum fecit Iulius Cæsar Scaliger inter vrbium reliquarum celebrium elogia.

ANTWERPIA.

Oppida quod spectant oculo me torua sinistro,
Tot nos inuidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum vasta, Tolosa potens.
Ommimodæ merces, artes, priscæq́, nouæq́,
Quorum insunt alijs singula, cuncta mihi.

Simili Encomio eandem vrbem illustrauit Ioannes Bochius eiusdem Reipublicæ Secretarius, in altero Panegyrico, de Antvverpia restituta nobis dedit, dum illam per apostrophen sic alloquitur.

At quis posset opes versu celebrare superbas
Laudibus æquali, tibi quas Antuerpia, nutu
Indulsit pater ætherio? fortuna beatam
Reddidit, atq́, tuis fauit non inuida cœptis,
Fecit & extremis celebrem te finibus orbis,
Et Thetys tibi blanditur feliciter æstu
Aequoreo, dulcesq́, bibunt Nereides vndas
Te colit, atq́, sui iactat Germania partem
Imperij, stupet & Gallus, mirantur & oræ
Ausoniæ, rerumq́, inter miracula ponunt.
Cumq́, Caledonio stupet aduena lasse Britannus,
Hesperijq́, tuum populi, quâ cœlifer Atlas
Respicit Herculeam connixus vertice Carpen
Nomen amant, Marmarici Libyciq́, coloni
Mutatisq́, noui venerantur mercibus orbes,
Emporijq́, tui penetrauit fama Syenen.
Vidit & immotas radijs solaribus vmbras
Et qui Niliacum Meroes bibit accola fontem,
Ac nudus Gramas tibi notus, & Indus. Eoa
Quiq́, coloratos distinguunt lampade vultus,
Et quibus astrictis calcatur Bosporus vndis,
Et glacies plaustro teritur migrante, niuesq́,
Sithoniæ, Scyticæq́, palus Mæotica regni.
Et tibi Cecropij mittunt sua munera ciues,
Atq́, Corinthiaco pontus qua clauditur Isthmo,
Mittit & Ionias tellus Epidauria merces.
Nec, Benace, tibi classes in littore Scaldis
Inuidet æquoreo, nec vectas inuidet orbe
Diuitias alio, nec lapidis alta Timaui
Ostia, nec toto commercia libera mundi,
Fama nec imparibus se tollit ad ætera pennis.

Insignia, siue vt vulgus loquitur Arma symbolum repræsentant, quod consensit nomine, & nomen ipsum Insignium explicat significationem. Habent enim arma duas mtanus super vallo castrorum appictas. Quæ Atuaticum Antvverpiam esse & Becani sententia explicare videntur, vt qua Hatuat Atuat sonet, quod in Burgo Antvverpiensi præsidiarij, ea, quæ manibus accepissent fortiter tenerent. Alij manum illarum symbolum ad Gigantis historiam, ad Brabonem, ad vectigal, cuius initio meminimus pertinere arbitrantur. Ioannes Bochius Antvverpiensium Secretarius exquisito & eleganti opere; quod de spectaculis Antvverpiæ editis in aduentu Serenissimi Ernesti Archiducis Austriæ, Belgiæ Gubernatoris conscripsit, hæc de Insignium Antvverpiensium symbolo commentatur. Quod si mihi de manibus Antvverpiæ insignibus diuinare liceret, non video commodiorem neque veri similiorem huius symboli originem, quam perantiqua Romanorum militia, qui inter cætera signa militaria, manuum etiam simulacra retulerant, ad fidem & concordiam exercitus denotandam, vt ex nummo M. Antonij apparet in quo labarum in medio, duo vtrobique signa visuntur, quæ manum in fastidio singula habent informatam; cum his litteris. Concordia exercitus: sicut & in alijs veterum numismatibus huiusmodi signa militaria adhuc extant.

Multæ & magnæ sunt Antvverpiensis vrbis felicitates, quas hìc partim recensuimus, partim à Guicciardino Abrahamo, Ortelio, Becano, Christophoro Stella, Maiero, Burlando, Georgio Scregelio, Ioanne Bochio, Melchiore Barlæo, Adriano Scholastico; & alijs doctissimis viris sunt explicatæ. Horum tamen temporum minus propitijs fatis, & seditiosi ac nimis diuturni belli calamite multis cladibus grauissimè concussa fuit. Quarum commemorationem illis relinquo, qui infaustum & exitiale hoc Belgicum bellum ex professo describunt. Mœnia habet Antvverpia & propugnacula valida, contra hostiles insultus ita firmata, vt prorsus insuperabilis existimetur. Et tamen ab Alexandro Farnesio Parmensi Duce Belgiæ Gubernatore Anno M. D. LXXXV. per artificiosum naualem pontem, ad deditionem compulsa & in potestatem Clementissimi sui principis redacta fuit. Hoc facinus, heroicum Ioannes Bochius, Reipubl. Antvverpiensi à secretis duobus Panegyricis in Antvverpiam sibi & Regi obsidione restitutam, heroico carmine complexus est, à quo alia expectantur ad eam vrbem illustrandam monimenta.

Nihil hic denique hoc opificum, aliorumq; Antvverpiensium collegijs, nihil de comitijs, de publicis ritibus, moribus, institutis, de iure municipali, nihil de amplissimis priuilegijs afferemus, neque viros in omni scientia claros enumerabimus, sed breuitatis causa, ad Belgiographiam Ludouici Guicciardini qui eam, in describendo partim copiosè prosecutus est, lectorem mandamus. Paucorum tamen hic commemorationem qui post Guicciardini ætatem floruerunt, præterire non possumus. Inter eos est Melchior Barlæus cuius scripta sunt hæc: Bucolica de Dijs gentium, de raptu Ganimedos, de vetustissima Brabantiæ gentis origine, siue, vt vocant, Brabantia dos: Item vrbis Antvverpianæ encomium. Inter primos autem numerandus est Andreas Scottus Societatis Iesu Sacerdos vir optimus, & vtriusque linguæ peritissimus. Edidit auctorem de viris illustribus; (ab aliquibus Cornelio Nepoti, ab alijs (Plinio inscriptum) quem auxit & emendauit. Scripsit notas in Aurelium Victorem. Primus in lucem protulit libellum Originis Romanæ, quem & doctissimis scholijs illustrauit. Item Pomponiam Melam recensuit, & Specilegia post Pintianum auxit. Item Picilegium addidit ad commentaria Hieronymi Suritæ in Itinerarium Antonini. Sed hæc vltima nondum lucem videre, sunt Apud Abrahamum Ortelium Antvverpiensem Cosmographum Regium. Multa adhuc alia præclara in litteris & Historia, idem ille Schottus parturit.

FLISSINGA.



LISSINGA, est tertia ex præcipuis, vrbs Walacriæ, quæ est Zelandiæ Insula, situ opposita Flandriæ olim sub annum 1400. campus erat transitui in Flandriam natura commodus, (vt ex Chronicis constat) Quamobrē abhinc annis 60. eam Adolphus Burgundus mœnibus portisq; cinxit, & iis, quę ad portum necessaria videbantur, instruxit. Itaq; dici potest, eam nunc esse vrbem, ex qua terrarum quocunq; solui, nauigariq; possit, Eo maximè nomine, quod tā amplo & oportuno firmetur portu, vt quæcunque naues, siue ex oriente, siue ex Occidente, meridieque commeant, eo illas necessario oporteat adpellere. Quæ vrbs, cùm tanti momenti sit, iure meritoque Clauis Belgici maris dici potest. Ergo velis ac remis conandum est, vt sedulò conseruetur, sic enim Carolus V. Cæsar Philippo Regi filio, inter arcana mandauit, vt præ cæteris omnibus hæc ei præcipuæ curæ foret. Et meritò quidem, Nam, qui Flissingensi portu potitur, maris sibi dominium promittere poterit. Verùm Albani Ducis imprudentia, vt certè putatur, tam potens & excellens maris portus, Regiis eripitur. Nā annò 1572. Flissinga, Enchlusa, & pleræque vicinæ vrbes, ab Albano Duce, decimum nummum nimis impotenter exigente, deficiunt. Quia quidem ratione, Geusiorum vires multum sunt adauctæ; Et Flissingenses, caput cristamque erigere cœperunt, accedente victoria, quia ad Teruenseam de Hispanis potiti fuerunt, & qua munitissimam Walachriæ Insulæ maritimam arcem Rammeken; non optima Capitanei fide, capiunt, & in potestatem Principis Auriaci redigunt, Qui se etiam, vt in tutiorem locum cum omni familia sua recepit, quando Alemonū institutum in Brabantia minus fœliciter successit.

De hac Flissingensi vrbe, ità Leuinus Lemnius scribit, libr. quarto de occultis naturæ miraculis. Distat à Metelliburgo versus Africum seu Occasum hybernum, interuallo sexdecim stadiorū, quæ bis mille passus conficiunt, aut bina milliaria, Vrbecula exiguo quidem murorum ambitu, sed arte ac natura munito, qua parte mari obuersa est; quæ strenuis piscatoribus atque exercitatis naucleris, quos Pilotas vocant, referta, Flissinga nominatur, non Vlyssea ab Vlysse, vt quidam nugantur, producta origine; sed ab Vrceo, aut lagena potius, quod poculi genus fictile, supernè angusti oris est, ne imprudenter liquor effundi possit, in medio distento ac capaciore ventriculo, qui circa imum gracilescit, ac sensim extenuatur, Belgis ein Fleisch nominata, cuius imagine, Ciuitatis huius vexilla, ac manipuli, quos etiam nauium malis in vertice erectos conspicimus, insigniti sunt. Cum autem loci huius incolæ suauiter se poculis reficiant, nec ab iis etiam abhorreant fœminæ, aliquando in hoc certamen viris potentiores ab amplexu lagenæ; qua singulariter afficiuntur, eamque identidem exhauriri gestiunt, nomen hoc consequuti sunt, aut idipsum sibi à potandi consuetudine asciuerunt; quæ quidem inter hos inoleuit, non vt inebrientur, sed inter se exhilarescant, atque animi nebulas discutiant. Sunt enim complures in hac regione tetrici, mœsti, superciliosi, melancholici, qui affectus à Brabantis ac Flandris sunt alieni, vt quos non triste Saturni ac Martis, sed lætum & salutare Iouis, & Mercurii sidus informat, eoque fit; vt Zelandi, qui percipiunt excutiendas illas animi molestias, geniales esse studeant, atque affluentiore potu has animi carnificinas opprimere.


Quod vero ad populares, & Flissingæ indigenas ciuesque attinet, cum simpatriotis Zelandis sagacem quandam astutiam, callidamque prudentiam communem habent, (si modo prudentiæ astutia; calliditas adscribenda) nusquàm enim gentium tam dextri, atque Zelandi, tantaque sagacitate in odorandis explorandisque impostoribus captiosis; fraudulentis, subdolis, insidiosis, assentatoribus; quamlibet scitè adulentur, palpent, blandiantur, aures titillent ac scalpturiant, adeò, vt non facile horum technis, fucis, fallaciis, versutiis decipiantur, sed illas è vestigio deprehendant.

. . . . dinoscere cauti,
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro. (*Pers. Sat. 5.*)

Vt assolet iis, quibus aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum. Ab hac dijudicandi peritia emerserunt in Belgas aliquot (exhibita aliquando populari Comœdia) hæc vulgata dicteria dictante morione ne quis offenderetur.

BRABANTVS, hilaris, festiuus, ridiculus in scenicis, comicisque moribus immodicus.
FLANDER, mulierosus, salax, intemperans, libidinosus, petulcus, lasciuus.
HOLLANDVS, simplex, improuidus, incautus, infacetus, iners, segnis, somniculosus, stolidus, ac minimè astutus,
ZELANDVS; Callidus, vafer, versipellis, astutus, subdolus, captiosus, versutus.

Qui affectus etiam ingrauescente ætate ac senectute vires accipiunt, seseque efficacius proferunt, nisi domita naturæ propensione atque institutione aliter condocefacta ad meliorem frugem perducantur, siquidem infimæ plebis ista sunt vitia, ac gentilitij mores, non patriciorum aut virorum illustrium, qui liberaliter educantur: De Zelandis vulgò celebrantur hi versiculi; Crescit nequitia simul crescente senecta. In Zelandinis, non fallit regula talis. Cum autem omni nationi sui adsint affectus ac vitia, mores, propensiones, studia, hoc est, instituta, quibus se quisque applicare solet, tum huic quoque genti, à qua nihil humani alienum, non desunt genuini, insitique affectus, ad quos naturæ inclinatione feruntur, partim ex circumfuso aëre, qui manifesto corpora afficit; partim, vt alimenta prætereàm, ex parentum natura auitisq; moribus, ac vulgari vitæ consuetudine, quæ aliquando ita inoleuit ac menti infixa est, vt vix eximi queat quò fit (si Patricios demas, qui nusquàm non cultu ac doctrina expoliti sunt) vt gregaria ac promiscua multitudo passim inhumana sit, rudis, agrestis, ferox, crudelis, indomita, atque à ciuili vitæ consuetudine aliena, quascunque etiam nationes excutias. Verum quò inueteratus error, ac deprauati mores, qui ab incunabulis ac prim . infantia inolescere Zelandorum animis incipiunt, ita vt eos cum lacte nutricis suxisse videantur, eximantur, progenitorum munus ac officium est (quod nunc sedulò prȩstare enituntur) vt ex se prognati liberaliter instituantur: eumque animo cultum ac fomenta adhibere curent, vt exuta natiua, insitaque feritate, ad omnia humanitatis officia inclinentur. Vt enim siluestres arbores cura atque industria hominum mitescunt: immanes belluæ officio ac molli tractatione mansuescunt ac cicurantur: ità quoque humanus animus non prorsus ferreus aut adamantinus flecti potest, atque ad artes humaniores, ad probitatem, decus, virtutem, pietatem, religionem informari. Quæ res effecit apud Zelandos, vt piscatores gens rudis ac pelago assueta, quorum apud Zirizæos supra quingentos esse constat, præter hos qui nondum satis adulti, in huius negotij tirocinio versantur, paulò pòst in nautas ac veteranos assumendi, ea sint morum ac vitæ integritate, vt nunquam inter illos vllæ contentiones, iurgia, simultates, dissidia exoriantur, nec vnquàm inter se lites consectentur, aut iure cum æqualibus contendant, ita vt magistratus nunquam, nisi in vrgentissimis causis se horum controuersiis interponat, sed omnes inter sese coactis comitiis dirimunt ac consopiunt. Nullum inter suos gregales tolerant mendicum, ac probro ducunt, si quis ex eo ostiatim stipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur, quin ipsa Piscatoria societas, & qui inter illos est primarius, quem Decanum vocant singulos alant quibus res domi angusta est & contractior, quàm vt familiam, ac sustentent, ex communi ærario suum dimensum constituit, ita vt non desit, quò famem frugaliter ac liberaliter solentur. Cum autem tam numerosa multitudo piscatu se exerceat, ac paulò longius in Oceanum progressa, victum in mari venetur, si quandò parcè & malignè piscari contingat, nullus vnquam horum se vexat aut excruciat, nec cuiquam malè precatur, sed omnia placidè ac sedatè perferr, meliorum spe atque fiducia. Ista autem animi moderatio in hominibus tam incultis, non præscriptis legibus, aut sapientum doctrina, mentibus illorum impressa est, sed instinctu ductuque naturæ, ac rationis iudicio concepta, quò discernunt, quæ honestati ac decoro deseruiunt, quæque illi sunt aduersa.


FLISSINGA munitissimũ
Zelandiæ oppidum, tutissimum
Nautarum et Nauclerorum
domicilium.

HERDERVVICIA.



ERDERVVICIA Ducatus Gelriæ opidum ad Germanici maris sinum, & tuto, & eleganti situ commendatum, multorum opinione, latinè Pastorum siue opilionum vicum, refugium, vel sinum designat. VVic enim & sinum, siue curuum maris recessum, & vicum sonat. Vt dum dicimus Braunsuuicum, Dansuuicum, Osteruuicum, & alia complura loca, quibus nulli sinus sunt vicini. Eadem tamen ratione, & ad mare, & ad terram refertur, quum vtrobiq; ille locus significetur, ad quem è periculis quisquam secedere possit. Quemadmodum enim in mari ad sinus incuruos à procellis & fluctib. declinamus: ita in terrestri periculo vnicuiq; ad vicinos suos & cognatos est secedendum quorum iusta quædam ad defendendum sua multitudo, Vicus vocatur, à VVic, quo cedo, & secedo à periculo dicimus. Hic enim finis est multarum domorum coniungendarum, quo communibus viribus insultus vel hostium vel ferarum repellantur, quos singulæ domus sustinere non possent.

Harderuuicia igitur in Hollandici Maris sinu seu æstuario loco amœnissimo condita, à Septentrione mare meridianum aspicit, omni piscium genere fœcundissimum: A Meridie & cæteris partibus habet hortos, pomaria, arua, campos, agrosq; tum ad pascenda pecora, tum omni frumentorum genere producendo aptos: Syluas præterea, quæ lignorum satis suppeditant. Vnde fit, quod hic paruo benè viuatur, & multi, quibus alibi fortuna, vel penuria facilem victum negant, huc vndique confluant.

Otto tertius Gelriæ & Zutphaniæ septimus Comes, Anno Christi M. CC. XXIX. eam muris cinxit, & ciuilibus priuilegijs, & propriis Nassouiacis insigniis donauit. Eius deinde filius Reinoldus primus eius nominis, & Gelriæ atque Zutphaniæ Comes octauus, abs Rodolpho primo, Imperatore Augusto, priuilegium cudendæ monetæ Herderuuicensibus anno salutis M. CC. XXVIII. impetrauit, quo etiamnum tam in auro, quàm argento, vtuntur.

Si firmitatem spectes, natura loci munitissimum opidum est quod licet anno M. D. III. pridie Calendas Augusti, vt scribit Adrianus Barlandus in suis Chronicis, ignis violentissimus consumpserit, & totum intra tres horas conflagrarit, fortunis corruptis omnibus, cum multorum etiam interitu, quinque, aut ad summum sex ædibus ab incendio seruatis, Tamen montibus & vallis firmissimis successu temporis ita firmatum, vt aliquando hostibus suis ad aliquod tempus facilè resistere potuerit. Firmitatem hanc confirmat Arx quædam fossis ac vallibus circundata, cui Dux pro tempore Geldriæ perpetuo Satrapas præficiebat, Ex quibus vltimus fuit Otto de Santen, fidelissimus Regis Hispaniarum Capitaneus Sed hanc iniuria huius temporis sustulit.

Quod si ipsam ciuitatem intueri liceat ædificia splendida, isthic, tum à nobilibus, tum ditissimis mercatoribus rei nauticæ studiosis, olim erecta conspiciet. Cuius rei testis inter cætera esse potest platea illa, quæ incolarum lingua **Die Dunckelstatt** appellatur. Ad Senatum quod attinet, hunc semper habuit, non modo æquissimum, sed & antiquæ & Catholicæ Religioni, & pietati addictissimum, quod quam plurimæ fundationes, & annuæ eleemosynarum distributiones, luce clarius, si hoc tempore non obscurentur, demonstrant. De clero, vt hoc adiiciam: Tempore illo, quo disciplina Ecclesiastica vigebat, & in hominibus plus conscientiæ quam scientiæ erat, habuit presbyteros sanè integros, diuinisque officiis sedulò incumbentes, vnde ipsorum pietate & in Deum sincera Religione Incolæ permoti, multa pro cultus diuini augmento, & Sacerdotum, pauperumque sustentatione instituerunt, Loquuntur hoc distributiones istæ, quæ certis anni temporibus in Summo Templo ex pia maiorum fundatione fieri solent Ecclesia B. Mariæ consecrata est, quæ hoc funesto tempore ter spoliata est habet, si fabricam exterius, interiusque conspicias pulcherrimam altaribus circiter viginti pulchre distinctam, quorum quædam honestè satis suos possessores Sacerdotes alere potuerunt; quædam verò à diuersis rei manuariæ opificibus erecta, & ad nostra vsque tempora decenter conseruata. Superior pars Camerata est, & insignibus imaginibus perpolita, Turrim habet Pharo non imparem, ad quam Nauta sæpe naues suas dirigit. Huic Ecclesiæ omnium vltimò præfuit Rutgerus à Baer Grollanus, concionandi dexteritate laudatissimus, ob fidem & Religionem Catholicam multa perpessus. Cœnobia hic sunt sex: virorũ tria, virginum sacrarum totidem. Primum, cui honoris causa, princeps locus debetur, extra Ciuitatẽ in amœnissimo loco positum D. Ioanni consecratum est, vulgo **Het Heren Loo**/ vocatum. Cuius vltimus Commendator fuit nobilis Clarissimusq; vir Ioachimus à Spuelde Herdervvicenæ Reipub. Patricius. Alterum est, quod & ædes Clericorum sibi adiunctas habet, Monasterium Fratrum, qui sunt instituti D. Hieronymi, quorum initium sumptum à quodam Gerardo Dauentriensi, cui ob vitæ sanctimoniam Magni cognomen tribuitur. Huius alumni & Fratres, vt vocantur, sunt liberi Clerici, in instituenda iuuentute, in scribendis perpolitis characteribus, concionando, & aliis pietatis exercitiis occupatissimi paratissimiq;. Quapropter semper opidanis Hadervvicensibus gratissimi fuerunt. A tempore dicti Gerardi Magni, qui floruit Anno Domini M. CCC. LXXII. & Anno CCC. LXXXIV. quarto Calendarum Februarii, ætatis suæ XLIV. in Christo defuncti, & Dauentriæ sepulti. Item à tempore Florentii Holandi, nobili parente oriundi, qui de Arkel originem traxit, qui in variis Geldriæ Hollandiæ & Brabantiæ locis indefesso labore diligentissimè lubricæ ætatis institutione, concionibus & admonitionibus celeberrimis hunc ordinem Fratrum de communi vita mirum in modum amplificauit, alios ex iis præficiendo Collegiis, nonnullos sacris virginibus, quosdam etiam, quod fere in ordine illo vsitatum fuit, perpolitè scribendi exercitio admouit. Denique à tempore aliorum fratrum, qui in vinea Scholastica milites strenui & extirpandis hominum vitiis, in locis istis toti fuerunt, de quorum initiis, vita, moribus, institutione & profectu Thomas à Kempis consulendus. Hoc Cœnobium Hardervvicense Anno Domini M. D. LXXII. Ecclesiæ ornamentis, libris aliisque rebus vtensilibus spoliatum, multos eruditione & pietate singulari habuit clarissimos patres, in quorum album meritò referendus D. Altetus ab **Heiden**/qui, cum per aliquot annos suis Collegis pacificè, cum maximo honore, ac fructu præfuisset, & vsque ad extremam senectutem, veræ Religionis & pietatis exemplum exhibuisset, tãdem varios labores, multas itidem calumnias ac diuexationes, ab impio præsentis belli milite perpessus, porrecta fide ac mente obdormiuit in domino, relinquens illic Reuerendum & Egregium Patrem D. Hermannum Arnoldi Similenium, ciuis Hardervvicensis filium, qui cùm in ædibus studiosorum Præfectus fuisset, apud Enchhusianos per viginti fere annos Conuentus S. Vrsulæ, vulgo **Het Suderklooster** nominati, curam suscepit, tanto in honore apud catholicos habitus, vt in Religione catholica constan-

Herderwyck

Onser Vrouen kerck

S. Catrinen

Stathuis

Fraters

De Lutteke poort

Grau sustern

Gasthuis

S. Angenieten

De Sme poort

De groote poort

Herderwyck

Onser Vrouen kerck

Stathuis

De Lutteke poort

Minne bruers

S. Catrinen

Fraters

S. Angeniten

Gasthuis

Grau susteren

De Suer Zee


constantissimè in exilio mortuum, qui eum probè nouerunt, hodierno die, ob rara virtutum ornamenta, adhuc viuum exoptent.

Venio ad tertium Monasterium Franciscanorum videlicet a b Eleonora Reinaldi secundi, qui anno Christi M CCC. XXXIX. vixit, & Rufus dictus est vxore pientissima oportuno in loco conditum, insignique templo & cœmiterio duplici cohonestatum, redditibusque annuis ita prouisum, vt accedentibus commodis & eleemosynis quos ex ciuium liberalitate expectabant honestissimè se istic fratres istis temporibus sustentare potuerint, fuit hoc antea Minorum qui Gaudentes vocantur domicilium ab initio, tempore vero Ducis Albani fratribus de Obseruantia concessum, & illius liberalitate aliquot ædificiis auctum. Sed Anno M. D. LXXII. in expugnatione vrbis totum spoliatum, templo profanato, & hoc postremo tumultu bellico fratribus captis, & per piorum hominum intercessionem lytro redemptis. Habuit profecto hoc cœnobium (nescio quo casu conflagratum, templo diruto, & cœmiterii vna parte, vt dicitur, in forum seu ambulatorium conuersa, olim viros maximè in concionandi munere exercitatissimos, & aliquos, vt dicitur, prophetico spiritu illuminatos, quod memoratur de quodam, qui incendium illud, cuius antea mentio facta est, dicitur diuinitus præuidisse, & ob hanc causam populum sæpius idque serio, ad pœnitentiam excitasse, vt irati numinis iram compescerent, & flagella futura à suis ceruicibus auerterent.

De virorum cœnobiis hactenus. Ad virginum collegia quod attinet, vnum est inter cetera præstantissimum D. Agneti virgini dedicatum, in quo sub regula D. Augustini viuitur, tempore ante definito miserè destructum, cœnobium inquam ditissimum, virginibus plurimis ob generis splendorem clarissimis nobilitatum: solent siquidem patricii & nobiles suas filias hic Domino Deo consecrare, vt in pietate & disciplina Ecclesiastica piè religioseque omnibus vitæ suæ diebus viuerent. Harum curam quamuis aliquando fratres haberent, ordinariè tamen vnus ex monasterio Regularum VVindecemensi propè Svvollam præficiebatur, ideò quod ad capitulum istius loci pertinerent. Ad alterum Virginum collegium venio, quod S. Catharinæ dedicatum est, in quo Moniales sub Regula D. Francisci tertia piè & deuotè viuunt, huius confessarius per multos annos fuit Reuerendus ac insignis Pater Theodorus Svvollanus Oeconomus exquisitissimus, superioribus annis in Domino, cum magno luctu suarum virginum defunctus, qui anno M. D. LXXII. per cuiusdam amicitiam cui olim benè fecerat hoc cœnobium illæsum tenuit, vulgò Achtersweerts vocatur. Tertium fuit etiam de Regula D. Francisci, earum sororum, quæ Fraw Susteren Germanicè vocantur, hodie profanis vsibus destinatum. His omnibus adde insigne hospitale, ad quod pauperes alienigenæ suum refugium habent, & ne ipsis, si forte infirmarentur, vtiaticum salutis deesset, & sine pœnitentia discederent, maiorum pietas sacellum insigne adiunxit, propè quod sacerdos qui eorum curam haberet, ædes contiguas habet. Orphanis item optimè prouisum est à piis patribus, nam insignem domum propè monasterium Franciscanorum ipsis erexerunt, vbi ex piorum hominum fundationibus pueri & puellæ certo vestitus genere ab aliis distincti, honestè in pietate & timore Dei educantur, & determinato tempore ad opificium aliquod manuale promouētur, vnde postea viuant. Si qui vel senio vel alio aliquo vitio corporis impediantur, quo minus manuū labore victum quæritent, & ipsis pii nostri maiores catholici insignes ædes extra mœnia non procul à ciuitate erexerunt, in quarum valuis olim pulcherrima D. Gregorii imago cernebatur, vbi ne illis piè viuendi occasio deesset, pulcherrimum in amœno loco, vulgo Hierusalem dictum sacellum ædificatum est. Hominibus peste vel lepra infectis etiam sua domicilia extra muros assignata.

Schola hic est, quæ olim fuit celeberrima, ad quam ex pluribus Geldriæ, Hollandiæ & Frisiæ partibus quam plurimi studiosi, & ingenuarum artium candidati confluebant, idq; propter doctissimos quos habuit Rectores, Inter quos non minimi censendi Ioannes Pedanus istius opidi Ciuis & patricius, Ioannes Vossius, Petrus Apferdianus & alii nonnulli viri sinceri & scriptis clari, quibus annumerandus Reinerus Sarcerius, qui Scholæ Vltraiectinæ hodierno die summa cum laude præest. Alumni huius Scholæ non pauci, inter quos facile Principem tenebit locum Reuerend. Magnif. Eximiusque vir. D. Gerardus de Harderwic, liberalium artium & SS. Theologiæ Doctor eximius, Laurentiani Collegii apud Colonienses Rector insignis, ad S. Columbam Pastor vigilantissimus, qui præter Decanatum quem in facultate artium vniuersitatis Coloniensis bis terue honorificè administrauit, etiam eiusdem Vniuersitatis Coloniensis Magnificus Rector designatus est. Obiit Anno M. D. III. relictis post se doctissimis in Aristotelem Commentariis Alberti Magni assecla & defensor egregius, quem Rodulfus Langius Canonicus Monasteriensis vir summæ eruditionis nominat Clarissimum totius Coloniensis Scholæ & inprimis Theologicæ lumen, Magnum itidem Doctorem. Hic in Commentariis Logicis post explicationem Categoriæ Qualitatis aliquid memorabile habet, Scribit siquidem Anno M. CCC. LXXXII. Hardervvici Sacerdotem quendam honestæ vitæ, nulla infirmitate alia prauia, meridiana luce, doctrinam ab ineunte ætate summo cum fructu haustam ita amisisse, vt prima etiam scientiæ elementa ignorans, nominis proprii oblitus fuerit, in illaque obliuione ad extremum vsque vitæ terminum permansisse. Sed hoc obiter. Huic Gerardo adhuc viuenti successit Ioannes Hardervvicensis artium liberalium Magister & SS. Theologiæ Licentiatus, vt Epitaphium ad D. Paulum Coloniæ docet, doctissimus, qui cum aliquamdiu in Laurentio Collegio iuuentutem instituisset, & semel atque iterum Decanatus munere functus fuisset, magno ciuium mœrore mortuus est. Claruit etiam in Vbiorum Ciuitate Bernardus Hardervvicensis Artium & Decretorum Doctor, Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Syndicus celeberrimus, quorum honorifica in Annalibus facultatis artium mentio fit. Hi inquam & alii plurimi, summi, ingenii viri ex hac Schola Ciues prodiere, vt hic prætream alios multos qui Hardervvici instituti, Ecclesiæ Dei & Reip. Christianæ, vtilissimam operam præstiterūt, adeo vt per eos non paruam lucem & celebritatem ipsa Ciuitas adepta sit. Ac quia concordia paruæ res crescant, discordia maximæ dilabantur, ciues in hoc toti sunt, vt concorditer & vnanimiter viuant, ex quibus quidam ex agricultura, quidam ex piscatura, nonnulli ex mercatura, & manuum suarum labore, multi denique ex suis redditibus viuunt, singuli adeò rebus suis intenti, vt nihil peius quam otiosum hominem oderint. Humanitatis officia erga pauperes & hospites & peregrinos minimè negligunt, maximè ij qui patricij siue nobiles sunt, quorum hic magnus numerus est, inter quos hoc tempore florent Hardervvicij, Bronchorstij, Brenij, Spuldij, VVynbergij, VVolffij, Edani, Homij, Bocopij, Granenburgij, Mauriciani, Brenromij, Bronchij, Brœchusij, Arnemij, Vaneveldij, & alij nonnulli, horum enim Parentes non tantum miseris, & ab omni solatio destitutis manus auxiliares suo vitæ tempore porrexerunt, sed vt ipsis, vel simili egestate constitutis, post mortem eorum, abundè satis prouisum esset, pias fundationes instituerūt,

OTONIVM.



TONIVM, Othenarum, siue Othoniæ ciuitas, Fioniæ Insularum Daniæ Regni amænissimæ fertilissimæque Metropolis, vulgo Odensee/ Episcopatus dignitate præfulget, octo ciuitatum Fioniæ maxima, interioribus tam publicis quàm priuatis ędificijs ornatior, quàm propugnaculorum ac mæniorum ambitu munita, vt, quæ Bellonæ furijs sepius agitata & deformata fuerit. Quanta autem sit eius vetustas, vel inde liquet quod ab Othine quodam vel Othane, qui ob admirandam magiæ peritiam celebris, ac pro Deo habitus, aliquot sæculis ante Christum natum vixit, sit denominata. Neque enim ab Othone vel Imperatore Germanico, vel alio quodam ciuitas hæc nomen primum accepit, sed vt ex Annalibus Danicis patet, à prænominato Othine, à qua etiam voce, Mercurij dies, idiomate Danico Ohns vel Othanstag/ denominatur. Atque hanc Othoniæ etymologiam, non parum quoque confirmat vox Othinkari, quæ in Episcoporum Rigensium catalogo legitur, cùm Othinkoer, idem sit quod Othini carus, germanici Othinlieb/ vel Gottlieb.

Sita autem est loco amœnissimo & fertilissimo, pratis, agris, & piscosis riuis abundanter cincta, vnde non exigua commoditas ciuium opibus, quæ vt plurimum mercimonijs quæruntur, accedit. Splendidis insuper ædificijs, & insigniorib. est exornata Ecclesiis, inter quas præcipua est D. Canuti Daniæ Regis Basilica, loci Episcopatus, cuius insigne crux flaua in campo cœruleo, circa annum Christi 1020. tempore Canuti maximi Regis Daniæ institutus fuit. Cuius primus Episcopus extitit Reinerus ex Anglia oriundus, ab Elrodo Anglorum Archiepiscopo in Daniam missus, vt Fionios Religionem Christianam doceret. Post hunc ordinaria successione, triginta alij Othoniensi Diœcesi ad hæc vsque tempora præfuerunt. Porro, in monasterijs ac templis Othoniensibus, plurima vetusta ac præclara monumenta ac Epitaphia passim videntur. ex quibus quædam excerpere libuit. Cum chorus Ecclesiæ D. Canuti repararetur, Anno salutis 1582. Die 22. Ianuarij, inuenta est tumba cuprea auro obducta, & cristallinis lapidibus heroicè & decenter ornata, in qua reconditum fuit Diui Canuti Regis Daniæ Martyris sceleton, cum tali epitaphio.

Iam cælo tutus summo cum Rege Canutus;
Martyr in aurata Rex atque reconditur arca:
Et pro iustitiæ factis occisus inique,
Vt Christum vita sic morte fatetur in ipsa;
Traditur à proprio, sicut Deus ipse ministro,
Et patiens potum, telorum pertulit ictum.
Lancea nec ne latus: vt Christi perforat eius.
Eius & ante sacram sanguis sacer effluit aram,
Spiritibusq; sacris moriens sociatur in astris.

Anno incarnationis Dominicæ M. LXXXVI. In ciuitate Othensya gloriosus, Rex & protomartyr Danorum Canutus, pro zelo Christianæ religionis & iustitiæ operibus, vt Christus, à proprio conuiua, Blaco traditus in Basilica S. Albani Martyris, per eum pauló ante, ex Anglia in Daciam transuectus, post confessionem delictorum, sacramento munitus Dominici corporis ante aram manib. solo tenus expansis in modum crucis latere lanceatus VI. Idus Iulij, & VI. feria, mortem pro Christo passus, requieuit in ipso. Occisi sunt ibidem cum eo, frater eius, nomine ac gratia martyrij Benedictus, ac decem & septem sui commilitones. Qui omnes, sicut Dei gratia, cum suo Rege ac domino, socij passionum martyrij fuerunt, ita consolationis ac præmij cum eo consortes esse meruerunt, in eadem Ecclesia sepulti. Interfectus est etiam eadem hora Blacus, istorum omnium proditor. Molanus in Martyrologio natalem Canuti Regis ac Protomartyris Daniæ in decimo Iulij ponit, qui anno 1086. in Basilica S. Albani martyris, manibus in modum crucis solo tenus expansis, orans, mortem pro Christo passus est à suo familiari, cum quo occisi Benedictus frater & alij septendecim. habetur etiam in cœnobio Franciscanorum, quod à Christiana, Regina Daniæ, Ioannis Regis coniuge fundatum est, monumentum Regis Ioannis, eius coniugis Christinæ, & filij Francisci, ex Gotlandico marmore splendidè & magnificè, iussu ac sumptibus Christinæ Reginæ in vita extructum.

Ibidem quoque in tumba paterna, conditus est Christiernus II. quondam rex Daniæ, Norvvegiæ & Sueciæ, regnisque his propter sæuitiam ac crudelitatem, quam exercuit in omnis generis homines tam Ecclesiasticos quam politicos, expulsus, deinde in Norvvegia à Legatis Friderici primi Regis Daniæ patrui captus, & in custodia Callenburgicâ mortuus, A. D. 1559. Ianuarij die 25. ex animi mœrore, in quem, ob Christiani III. Regis Daniæ patruelis sui obitum qui 24. dies ipsum præcesserat, coniectus fuit; metuens, ne, illo mortuo, ipse quoque necaretur Vixit annos 77. & aliquot menses. Habuit vxorem Elisabetham Philippi Regis Hispaniarum filiam, Caroli V. & Ferdinandi Cæsarum sororem: In cuius rei memoriam insignia paterna simul & materna tam Regis quam Reginæ in choro huius Ecclesiæ, depicta habentur. Hæc autem pientissima Regina Elisabetha fidissima Christierni coniunx, exilij mariti comes esse maluit, quam sola in Dania regnare, Anno salutis M. D. XXV. Mense Ianuario Gandaui mortua. Cui Cornelius Sceppetus, elegans Epitaphium scripsit. Quod laudatissimæ heroinę in orbe Arcto honoris causa, à doctis conseruatur.

In eodem templo sepultus est Gerardus Ranzouius, cui monumentum positum est ante chorum in dextro latere ex ære deaurato cum tali inscriptione.

GERARDO RANZOVIO, Pauli filio Ioannis nepoti, qui cũ oppido Odensehe, à Rege Daniæ Friderico ij. Ducatus Sclesuicensis principibus Holsatiæ, Ioanni & Adolpho, in feudum concederetur singulari certamine commisso, cum alio nobili Holsato, quem rursus grauiter vulnerauit, ense traiectus (ad hic) præsente Rege ac Ducibus nec non Proceribus Danię ac Holsatiæ, sepulturæ honorificè mandatus ab Henrico Ranzouio patruo. Beata mater, quæ maritum, filiam & iam hunc filium natu maiorem ferè spatio vnius anni amisit, mœrens non sine Luctu, dolore ac lacrymis, collocauit. Decessit anno Domini 1580. die 19. Maij. Ætatis 26.

CIVITATIS EPISCOPALIS OTHENARVM SIVE OTTHONIAE, VT VVLGO DICITVR, FIONIAE, INSVLARVM DANIAE REGNI AMOENISSIMAE FERTILISSIMAEQVE METROPOLIS SECVNDVM SITVM & FIGVRAM QVAM HOC SECVLO HABET, DELINEATIO. ANNO PARTAE PER VNICVM MEDIATOREM XPM, SALVTIS: M D LXXXXIII *Genere, virtutibus, famáque illustri Henrico Ranzouio, Imperiali et Regio Danico consiliario; Ducatuumque Slesuici, Holsatiae et Dithmarsiae gubernatore; summorum et optimorum conatuum promotore impensas suppeditante.*

a. Coenobiu D. Joannis, ubi nunc defunctis fratribus curia regia. b. Coenobiu Franciscanoru, vulgo Graabroedre, hodie schola trivialis est. c Basilica D. Canuti Regis Daniae. d Molendinum monachorum. e Hic sita erat Curia episcopalis q totam hanc plagā a cinctō nunc aedificatā antea complexa est. f molend. ... g locus ubi ... ad quem ob religionem magnus olim populi concursus fuit. h Cast. reg. ... loci munitissimi nunc desolatum

Hoc situs est tumulo Gerardus nomine Ranzon,
Magnanimo Paulo qui patre natus erat.
Cimbria quem genuit, rapuit Fionia, quinq;
Dum numerat vitæ lustra peracta suæ.
Italiæ fuit hic iuuenis versatus in oris,
Nec minus huic etiam Gallia nota fuit.
Aequaturus erat simili virtute parentem;
Ni fera rupisset stamina parca manu.
Huius ob interitum planxit Rex Danicus, atq;
Non minus Holsati condoluère Duces.
Quod sic ante diem miserando flebilis ictu
Dum nimis audacter dimicat, ense cadit.
Discite non temerè iuuenes confligere dextra,
Mortem pro ludo Mars quia dirus habet.

Henricus Ranzouius patruus.

ALIVD.

Flos cadit, auroræ modò qui fulgebat ad ortum,
Præterit exiliens fornice riuus aquæ.
Imbre tumet grauido, sed mox vaga bulla residit,
Frangitur & leuiter splendida massa vitri.
Dulcis abit subito languenti pectore somnus,
Excita cum studio est mens generosa suo.
Vmbra velut speculo leuis euanescit imago,
Auolat in ventos missus ab ore sonus.
His citius cadit omnis homo, licet omnia fluxa
Flos, aqua, bulla, vitrum, somnus, imago, sonus
Quod subitâ præsens testatur morte Gerardus,
Flos iuuenum, patriæ spes noua, dulce decus.

Henningus Conrardinus

ALIVD.

Dum nimis audacter consertâ dimico dextra,
Ah miserum, ante diem funeris, ense cado.
Sic fuit in fatis vt tali morte perirem,
Quis scit victorem qualia fata manent?
Pœna Dei lenta est vindictaq; lenta supremi,
Crastina non abijt, non hodierna dies.
Disce meo exemplo quicunq; es, candide Lector,
Cum socio haud temerè conseruisse manum
In dubio Mors est, sed mors certissima semper,
Nunc hunc, nunc alium, funera dura premens.

Petrus Lindebergius

Porrò, in Franciscanorum Cœnobio, eximia etiam fundatoris aula existit, vbi nunc aluntur docentes omnes, & studiosi pueri Scholæ triuialis, instituto & liberalitate Frederici Secundi Daniæ Regis: Vbi etiam Nosocomium Regium, & Palatium huius insulæ generale. In hac etiam ciuitate est cœnobuim D. Ioannis, vbi nunc defunctis fratribus, Regia Curia existit. Forum est amplum iusticiarium & piscarium, ad cuius orientale latus, quondam ædes D. Gertrudi sacra, plane nunc desolata. Publicum hic etiam cæmiterium existit, quondam ad Monasterium Dominicanorum spectans, quos Swartebröder nuncupabant: Cuius quidem Monasterij templū eleganter ornatum, post fugam fratrum, destructum, reliquis ædificijs, quibusdam loci Nobilibus distributis. Fuit & hic templum S Georgij nunc desertum, habens quondam Nosocomium adiunctum. Item Templum D. Virginis cuius Præpositus & patronus est Cancellarius Regni. Vbi & præcipuam sedē & curiam habet. Palatiū quoq; Episcopale Othini fuit, speciosum locum occupans, nunc in ciuium habitationes conuersum. Præter forum piscarium. Est hic etiam Forū nouum, siue Regium, singulis sabbatinis diebus nundinis celebratum.

In isto foro quondam erat Xenodochium, vulgo, das Elendehaus. In hoc foro Serenissimo Friderico ij Daniæ Regi bonæ memoriæ, eiusque filio Christiano nunc electo Regi Daniæ, homagium prestitum. Hic quoque ab eodem Serenissimo Rege, fælicis recordationis, collatum est feudum Slesuici & Holsatiæ Duci Adolpho, & Ioanni fratribus, vt etiam Ioanni iuniori quæ actio ad centenos quasi annos quieuerat.

EKELENFORDA.



EKELENFORDA, Cimbricum Holsatiæ opidum, cui versus Septentrionem obiecta est arx Ekerenborch: quæ etsi in bellis Danicis sit diruta, eius tamen adhuc fundamentum, fossæ, & vallum mediocris altitudinis restant. Constructa fuit hæc arx ad illam partem opidi, vbi merces exonerantur: ita vt nauigatio ab arce prohiberi potuerit. Opidum ab hac arce nomen traxit, appellatumque fuit primum Ekerenforda, vt eius insignia testantur. Nam in his Sciurus pingitur, ex vna turri in alteram saltans. Nunc vero appellatur Ekelenforda. Estque ita sita in peninsula maris orientalis, vt eo prope ad centum vsque passus circumdetur, quocirca habet portum satis opportunum tutumque, ex quo facilis est nauigatio in Daniam, Norvvegiam, Sueciam, Rusiam, Prusiam, Liuoniam & Pomeraniam. Duas tantum habet portas: quarum vnam ingrediuntur Gettorpio & Chilonio venientes: per alteram eundum est iis supra longum pontem ligneum centum fere passus continentem, qui iter habituri sunt versus Gettorpiam Suuantiam, Missundium & Angliam minorem. Non procul à ponte hoc videtur mons excelsus occidentem versus cum vallo & fossa, in hoc olim arx stetit. Locus enim flumine pene cinctus est: Sed huius fundamenti non tam multæ atque prioris arcis restant reliquiæ. Vetus quidem oppidum est: Sed quo victore extructum, & à quo priuilegiis ornatum sit, ignoratur. Vtitur iure municipali Slesvvicensis ciuitatis: Iuxta hoc oppidum capiuntur omnis generis pisces marini, vt poteasellus, rhombus, halec, &c. Anno millesimo quingentesimo octogesimo captus est piscis immanis, cuius longitudo tredecim vlnarum fuit; latitudo minus octaua eius parte. Lingua eius obtinuit pondus 308. librarum; cor octoginta. Ex hepate repletæ sunt 2. tonnæ cum dimidia: crassities eius fuit sex vlnarum. Oppidum hoc sæpe cum pacis, tum belli tempore exustum est: hinc vetusta eius documenta sunt perdita. Multi in illo nobiles ædificia habent, nimirum Ranzouii, Alefeldii, Schestedii, Pogovvihosii, Meinstorpii, & Tynii. Ante oppidum iacet Nosocomium ab Alefeldio quodam pulcro sacello & domunculis lapideis ornatum. Quo vero tempore, & in quem finem ædificatum sit, videre licet ex inscriptione sequenti, saxo literis deauratis insculpta: Ego Godescalcus ab Alefeld Benedicti filius, ab arce Borchost, hanc domum in honorem Dei optimi maximi & pauperum vtilitatem dedicaui. Diem suum obiit anno à natali Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto, circa Paschæ & Pentecostes festum.

Nos Benedictus ab Alefeld præfectus Tunderensis, Benedictus ab Alefeld hæres in Lindvv, Nicolaus ab Alefeld de Celting, indigni pauperum præsides, de nouo extruximus hanc domum anno 1578. in solius Dei gloriam, & posterorum imitationem & exemplum.

Sunt præterea in hoc oppido omnes res mediocri pretio venales, cereuisia in illa coquitur tenuis quidem, sed ad purgandum idonea: quæ & in Dania, & Ducatibus Slesvvigæ, Holsatiæque diuenditur, vocatur Cacabilla nomine accepto à Romano cardinale Raymundo, qui ibi bibens cereuisiam eam nuncupauerit Cacabellam, incolæ postea enunciarunt Cacabillam. Idque nomen in hodiernum vsque diem retinet. Idem cardinalis Hamburgensem quoque cereuisiam gustans dixit: quam libenter esses vinum.

Oppidulum hoc totum mari salso licet clausum sit: Nihilominus tamen limpidos frigidosque fontes habet in plateis, ex quibus cereuisia coquitur. Ex maiori itaque parte, oppidi incolæ bona sua acquirunt ex nauigatione & coctione cereuisiæ. Distat oppidum duobus milliaribus Gottorpio & Slesvvico: vno sed magno milliari Missundio & ab Anglia minore: quinque Flenburgo, tribus Chilonio, totidemque Rendesburgo.

IN CEREVISIAM EKELENFORDENSEM DISTICHON.

Cur Ekefordensis potus, Cacabella vocatur?
Nempe quod hæc belle pota cacare facit.

IN OPPIDVM ECEREFORDAM EPIGRAMMA:

Est alias inter, quas Cimbria condidit, vrbes
Nauigio felix Ecereforda suo.
Hinc capit vrbanæ mediocria commoda vitæ:
Flamma licet partas non semel hausit opes.
Sunt triplices vrbis turres, insigne Sciurus
Iungitur: vnde vetus plebs ea nomen habet.

Hoc situs est tumulo Gerardus nomine Ranzon,
Magnanimo Paulo qui patre natus erat.
Cimbria quem genuit, rapuit Fionia, quinq;
Dum numerat vitæ lustra peracta suæ.
Italiæ fuit hic iuuenis versatus in oris,
Nec minus huic etiam Gallia nota fuit.
Aequaturus erat simili virtute parentem;
Ni fera rupisset stamina parca manu.
Huius ob interitum planxit Rex Danicus, atq;
Non minus Holsatici condoluère Duces.
Quod sic ante diem miserando flebilis ictu
Dum nimis audacter dimicat, ense cadit.
Discite non temerè iuuenes confligere dextra,
Mortem pro ludo Mars quia dirus habet.

Henricus Ranzouius patruus.

ALIVD.

Flos cadit, auroræ modò qui fulgebat ad ortum,
Præterit exiliens fornice riuus aquæ.
Imbre tumet grauido, sed mox vaga bulla residit,
Frangitur & leuiter splendida massa vitri.
Dulcis abit subito languenti pectore somnus,
Excita cum studio est mens generosa suo.
Vmbra velut speculo leuis euanescit imago,
Auolat in ventos missus ab ore sonus.
His citius cadit omnis homo, licet omnia fluxa
Flos, aqua, bulla, vitrum, somnus, imago, sonus
Quod subita præsens testatur morte Gerardus,
Flos iuuenum, patriæ spes noua, dulce decus.

Henningus Conradinus

ALIVD.

Dum nimis audacter consertâ dimico dextra,
Ah miserum, ante diem funeris, ense cado.
Sic fuit in fatis vt tali morte perirem,
Quis scit victorem qualia fata manent?
Pœna Dei lenta est vindictaq; lenta supremi,
Crastina non abijt, non hodierna dies.
Disce meo exemplo quicunq; es, candide Lector,
Cum socio haud temerè conseruisse manum
In dubio Mors est, sed mors certissima semper,
Nunc hunc, nunc alium, funera dura premens.

Petrus Lindebergius

Porrò, in Franciscanorum Cœnobio, eximia etiam fundatoris aula existit, vbi nunc aluntur docentes omnes, & studiosi pueri Scholæ triuialis, instituto & liberalitate Frederici Secundi Daniæ Regis: Vbi etiam Nosocomium Regium, & Palatium huius insulæ generale. In hac etiam ciuitate est cœnobuim D. Ioannis, vbi nunc defunctis fratribus, Regia Curia existit. Forum est amplum iusticiarium & piscarium, ad cuius orientale latus, quondam ædes D. Gertrudi sacra, plane nunc desolata. Publicum hic etiam cæmiterium existit, quondam ad Monasterium Dominicanorum spectans, quos Sortebrüder nuncupabant: Cuius quidem Monasterij templū eleganter ornatum, post fugam fratrum, destructum, reliquis ędificijs, quibusdam loci Nobilibus distributis. Fuit & hic templum S Georgij nunc desertum, habens quondam Nosocomium adiuctum. Item Templum D. Virginis cuius Præpositus & patronus est Cancellarius Regni. Vbi & præcipuam sedē & curiam habet. Palatiū quoq; Episcopale Othini fuit, speciosum locum occupans, nunc in ciuium habitationes conuersum. Præter forum piscarium. Est hic etiam Forū nouum, siue Regium, singulis sabbatinis diebus nundinis celebratum. In isto foro quondam erat Xenodochium, vulgo, das Elendehaus. In hoc foro Serenissimo Friderico ij Daniæ Regi bonæ memoriæ, eiusque filio Christiano nunc electo Regi Daniæ, homagium prestitum. Hic quoque ab eodem Serenissimo Rege, fælicis recordationis, collatum est feudum Slesuici & Holsatiæ Duci Adolpho, & Ioanni fratribus, vt etiam Ioanni iuniori quæ actio ad centenos quasi annos quieuerat.

EKELENFORDA.



EKELENFORDA, Cimbricum Holsatiæ opidum, cui versus Septentrionem obiecta est arx Ekerenborch: quæ etsi in bellis Danicis sit diruta, eius tamen adhuc fundamentum, fossæ, & vallum mediocris altitudinis restant. Constructa fuit hæc arx ad illam partem opidi, vbi merces exonerantur: ita vt nauigatio ab arce prohiberi potuerit. Opidum ab hac arce nomen traxit, appellatumque fuit primum Ekerenforda, vt eius insignia testantur. Nam in his Sciurus pingitur, ex vna turri in alteram saltans. Nunc vero appellatur Ekelenforda. Estque ita sita in peninsula maris orientalis, vt eo prope ad centum vsque passus circumdetur, quocirca habet portum satis opportunum tutumque, ex quo facilis est nauigatio in Daniam, Norvvegiam, Sueciam, Russiam, Prussiam, Liuoniam & Pomeraniam. Duas tantum habet portas: quarum vnam ingrediuntur Gettorpio & Chilonio venientes: per alteram eundum est iis supra longum pontem ligneum centum ferepassus continentem, qui iter habituri sunt versus Gettorpiam Suuantiam, Missundium & Angliam minorem. Non procul à ponte hoc videtur mons excelsus occidentem versus cum vallo & fossa, in hoc olim arx stetit. Locus enim flumine pene cinctus est: Sed huius fundamenti non tam multæ atque prioris arcis restant reliquiæ. Vetus quidem oppidum est: Sed quo victore extructum, & à quo priuilegiis ornatum sit, ignoratur. Vtitur iure municipali Slesvvicensis ciuitatis: Iuxta hoc oppidum capiuntur omnis generis pisces marini, vt poteasellus, rhombus, halec, &c. Anno millesimo quingentesimo octogesimo captus est piscis immanis, cuius longitudo tredecim vlnarum fuit; latitudo minus octaua eius parte. Lingua eius obtinuit pondus 308. librarum; cor octoginta. Ex hepate repletæ sunt 2. tonnæ cum dimidia: crassities eius fuit sex vlnarum. Oppidum hoc sæpe cum pacis, tum belli tempore exustum est: hinc vetusta eius documenta sunt perdita. Multi in illo nobiles ædificia habent, nimirum Ranzouii, Alefeldii, Schestedii, Pogovvihosii, Meinstorpii, & Tynii. Ante oppidum iacet Nosocomium ab Alefeldio quodam pulcro sacello & domunculis lapideis ornatum. Quo vero tempore, & in quem finem ædificatum sit, videre licet ex inscriptione sequenti, saxo literis deauratis insculpta: Ego Godescalcus ab Alefeld Benedicti filius, ab arce Borchost, hanc domum in honorem Dei optimi maximi & pauperum vtilitatem dedicaui. Diem suum obiit anno à natali Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto, circa Paschæ & Pentecostes festum.

Nos Benedictus ab Alefeld præfectus Tunderensis, Benedictus ab Alefeld hæres in Lindvv, Nicolaus ab Alefeld de Celting, indigni pauperum præsides, de nouo extruximus hanc domum anno 1578. in solius Dei gloriam, & posterorum imitationem & exemplum.

Sunt præterea in hoc oppido omnes res mediocri pretio venales, cereuisia in illa coquitur tenuis quidem, sed ad purgandum idonea: quæ & in Dania, & Ducatibus Slesvvigæ, Holsatiæque diuenditur, vocatur Cacabilla nomine accepto à Romano cardinale Raymundo, qui ibi bibens cereuisiam eam nuncupauerit Cacabellam, incolæ postea enunciarunt Cacabillam. Idque nomen in hodiernum vsque diem retinet. Idem cardinalis Hamburgensem quoque cereuisiam gustans dixit: quam libenter esses vinum.

Oppidulum hoc totum mari salso licet clausum sit: Nihilominus tamen limpidos frigidosque fontes habet in plateis, ex quibus cereuisia coquitur. Ex maiori itaque parte, oppidi incolæ bona sua acquirunt ex nauigatione & coctione cereuisiæ. Distat oppidum duobus milliaribus Gottorpio & Slesvvico: vno sed magno milliari Missundio & ab Anglia minore: quinque Flenburgo, tribus Chilonio, totidemque Rendesburgo.

IN CEREVISIAM EKELENFORDENSEM DISTICHON.

Cur Ekefordensis potus, Cacabella vocatur?
Nempe quod hæc belle pota cacare facit.

IN OPPIDVM ECEREFORDAM EPIGRAMMA:

Est alias inter, quas Cimbria condidit, vrbes
Nauigio felix Ecereforda suo.
Hinc capit vrbanæ mediocria commoda vitæ:
Flamma licet partas non semel hausit opes.
Sunt triplices vrbis turres, insigne Sciurus
Iungitur: vnde vetus plebs ea nomen habet.



EKELENFORDA.

antiquum Holsatiæ ad Oceanum peninsulare oppidum.

COLDINGA.



IMBRICÆ Cherſoneſi vetus & amœnum opidum Cildinga, arx, ac munimentum regni Daniæ, Holſatiæ conterminum. Nam amnis, qui præterlabitur, Raniæ Regnum à Ducatu Sleſuicenſi diſterminat, Nomen obtinere creditur à colle & ſyluula collis ſita, prout ipſa loci inſignia demonſtrare videntur, quæ ſunt aquila in colle nidificans, & arbor in valle excreſcens, vnde Appellationem Danicam Colling, ſiue vt alij pronunciant, Colding ſortita eſt. Opido verò initium piſcatorum hunc locum occupantium, taberne dederunt, ad quas paulatim multa mercatorum ædificia acceſſerunt, qui propter inſignem portum, & tutam nauium ſtationem, aliaſque maris, & loci commoditates, huc confluxerunt, vnde collecta tandem multitudine, populi ſocietas, vrbanis & ciuicis priuilegijs donata, excreuit. Ita Collingenſi communitati, pro fidelibus impenſis ſeruitijs, immunitates & priuilegia primùm conceſſit Voldemarus III. Daniæ Rex ſub tali verborum forma, Voldemarus Dei gratia, Danorum & Slauorum Rex, omnibus præſens ſcriptum cernentibus, ſalutem in Domino ſempiternam: Tenore præſentium conſtare volumus vniuerſis, quod nos dilectis villanis noſtris in Colling, Exigentibus eorum fidelibus ſeruitijs prædeceſſoribus noſtris Regibus Daniæ impenſis, & nobis impendendis, omnes libertates, gratias, & iura ciuilia, quæ, & quas à dictis anteceſſoribus noſtris, & ab antiquo habuerunt, eis cupimus & concedimus, &c. Datæ Collingæ die S Mariæ Magdalenæ ſub ſigillo noſtro M. CCC. XXVII. Eadē priuilegia ſequentes ex ordine Danorum Reges, diuerſis temporibus confirmarunt, Nimirum Chriſtophorus III. Bauarus M. CCCC. XLII. Chriſtianus primus M.CCCC.LII. Idem etiā Chriſtianus alia priuilegia prioribus addidit, peculiari inſtrumento exhibito, & dato Haderſlebij anno M. CCCC. LXXI. Quin & tertio inſtrumento, eodem anno dato, ſuam erga Coldingenſes propenſam affectionem declarauit, quò magnam iuriſdictionis authoritatem, non intra mœnia tantùm, ſed foris etiam latè conceſſit, Cuius quidem Regis beniguitatem, eiuſdem regni ſucceſſores confirmarunt, Vt, Rex Ioannes M. CCCC. XC. IV. Fridericus I. anno M. D. XXV. Chriſtianus III. anno 1540. Demum etiam Fridericus II. Et prædiſceſſorum ſuorum gratias confirmauit, & vtili, lętoque munere eaſdem adauxit, dum lata camporum planitie, pecori paſcendo Coldingenſes, pro regia magnificentia ſua, donauit. Atque his quidem tot Regum priuilegijs & immunitatibus amœniſſimum hoc opidum in hodiernum vſque diem fœliciter floret.

In colle, vnde opido nomen, arx percelebris Aquilæ Burgum nuncupata, magnifico ſplendore ſe latè conſpiciendam exhibet, Cuius præcipua ædificia ad Septentrionem tergentia Chriſtophorus Bauarus, eius nominis III Daniæ Rex à fundamentis excitauit: Præter alia documenta, argumento ſunt Bauarica inſignia in columnis, ſub Danicis ſcutis inciſa. Poſt tēpora verò Chriſtophori Regis, reliqua arcis ſtructura ſub Chriſtiano III. anno ſalutis M.D.XLVI. inchoata, ab eodem anno M.D.LVIII. heroica magnificentia eſt abſoluta, Horto eleganti Dorothea Regina, & viuario ampliſſimo, in quo omnis generis ferę conſeruantur, Fridericus II. hanc arcem eleganti ornatu condecorauit. Quam fœlici etiam ortu commendarunt, Ioannes iunior, Holſatiæ dux, Chriſtiani tertij filius, & Dorothea eiuſdem filia, ducis Gulielmi Luneburgenſis coniunx. Eliſabetha etiam Friderici ſecundi primogenita anno 1573. Vldaricus, & Auguſta filia, quæ etiam eadem in arce, per Baptiſmum Chriſti regenerata, aliquot lætitiæ dies, multis principibus viris, ibidem exiſtentibus dedit: vt Epiſcopo Bremenſi, Henrico Duci Saxoniæ; Marchioni Georgio, Friderico, & alijs.

Templum vnum opidum habet, quod Sereniſſimus Fridericus II. & Sophia regina oratorio priuato, eleganti ſacello anno 1575. ampliarunt. Pari pietatis zelo Chriſtianus Rex Noſocomion, publicæ Coldingenſium vtilitati conſtruxit. Cuius anniuerſarios ſumptus, Serenitatis ſuæ filius Fridericus II. Danorum Rex optimus, quo nemo Reipub. amantior, nemo apud populum, ab omni hominum memoria deſideratur, ampliores reddidit.

Dorothea Daniæ Regina, poſt defunctum maritum Chriſtianum, ad iuuentutem bene formandam Coldingę ſcolam conſtruxit, anno ſalutis 1566. Quam poſtmodum Fridericus II. pro paterna in ſubditos & Daniam affectione, annuo cenſu ampliauit, & duodecim alumnorum ſtipendijs auxit.

Pons Coldingæ vnicus eſt, ex quo totus realis tractus opido vicinus, nomen habet & Broherit, ſiue, vt vulgus Danicum loquitur, Broſcherrit, nuncupatur. Hic pons Regi Daniæ inſtar fodinæ metallicæ eſt, quà aurum confectum affatim præbeat, Quotquot enim boum, & equorum capita præter alias merces, ex hac Cimbrica Cherſoneſo in Holſatiam ad Albim, ad Hanſeaticas ciuitates, ad diuerſa Germanię emporia & mercatus deducuntur, in hoc ponte Imperialem talerum perſoluunt. Vnde vectigal inæſtimabile colligitur.

Amnis ad meridiem opidi mœnia alluens, Cimbriam ab Holſatia, limitis inſtar, diſtinguit, & per duo oſtia, altero ad Meridiem, altero ad Septentrionem in mare Balticum ſe exonerat.

Edax Vulcani rabies ter Coldingam miſerè deformauit, quæ ob commodam loci oportunitatem, priſtinum nitorem ſemper recuperauit.

COLDINCA LECTORI.

Traxerit vnde meum nomen veneranda vetuſtas,
Offertur ſi quis, quem didiciſſe iuuat:
Is ſanè à ligno, nec non à colle propinquo
Conueniens nomen nouerit eſſe mihi.
Parua fuere mihi, fateor, primordia; namque
Fallere qui piſces inſidiando ſolent,
Hic habuere ſuas olim, mihi crede tabernas,
Et mihi tum certè gloria nulla fuit,
Nunc verò præſtans ego ſum Reſpublica facta,
Vt mea vix poßit gloria parta mori.
Nam libertates mihi ſunt à Regibus amplæ,
Temporibus priſcis, & data iura pijs,
His Daniæ iunctos, quos magna potentia fecit,
Quorum fama replet ſolis vtramque domum.
Et mihi, quæ monſtrem, data ſunt inſignia: nempe,
Arbor in ornata gramine valle virens.
Nidificans in colle ſimul Iouis armiger ales:
Hisq; mihi poſſum nominis eſſe memor.
Regia ſpectatur præſtans in colle propinquo:
Hæc quoque non numeris eſt reticenda meis.
Hanc Reges ſtruxere duo, de nomine Chriſti
Ambobus nomen queis liquet eſſe ſuum.
Prima dedit multis hæc incunabula natis
Regum quos eſſet commemorare labor.
Hic pius exſpirans Chriſtianus fata ſubiuit,
Cuius perpetuò fama ſuperſtes erit.
Vnica, quæ ſacris inſeruit cultibus, ædes
Eſt, mihi ſupremi laude honora Dei.
Hinc tamen eximium Rex & Regina ſacellum
Iunxere impenſis, ſumptibus atque ſuis.
In qua deſudet ſtudijs addicta iuuentus
Ac informetur, Nec ſchola pulchra deeſt.
Dorothea hanc ſtruxit, mater digniſſima Regis
Inclyta Danorum qui modò ſceptra tenet.
Rex verò matris pietate & facta ſecutus.
Hanc ornat magnis ſumptibus, atque fouet.
Eſt mihi præterea, quæ, cùm res poſcit egenos
Excipit, infirmos, emeritosq; domus.
Quid de ponte loquar, qui vectigalia magna
Inuicto Regi ſuppeditare ſolet?
Et quid de portu? nil certè gratius illo
Ad mercaturam ciuibus eſſe poteſt.



Ex musæo Illustris et Generosi Dnj. D. Henrici Ranzouij Producis Cimbrici. Etc.

A. das Schlos.	I. die Oosterstraſs.	R. der Bleſsbergk.	1. Der hechts fangk.
B. die Pfarkirch.	K. die Rennebane.	S. Wiffs dam.	2. Colling awe.
C. das Radthaus.	L. Hans Johanſen haus.	T. die Luſs bue.	3. die Schiff brugk.
D. der Marckt.	M. die Westerstraſs.	V. die Noord straſs.	4. des Konigs zugbrugk.
E. Moritz Fadbuſches haus.	N. die Schole.	W. der Katt ſundt.	5. das forwerck.
F. des Konigs garten.	O. der Probſthoff.	X. die Suider straſs.	6. die riege.
G. Fraw Karin Hölgers hoff.	P. Sanct Jorgens hoff.	Y. die Suider poorte.	7. der thiergarten.
H. Peter Müncken hoff.	Q. das Hoſpital.	Z. der Stat wapen.	

HELSINGORVM.



ELSINGORVM, vulgò Helſchenor, vrbs eſt Daniæ littoralis nundinis frequentiſſimis, & peregrinarum mercium aduectione clara. In quam multi conuenæ, & magnarij diuerſis ex locis confluxere. Quo etiam conquiſitiſſimæ quæque res incolarum vſui inſeruientes apportantur. Ad cuius latus maritimum adſcita eſt arx CORONÆBVRGVM caſtrum munitiſſimum, & inexpugnabile. Vbi pro mercibus vltrò citroque exportandis, rurſumque inuehendis, aliove tranſuehendis, ſi modò ſecurè quis nauigationem inſtitutam abſoluere velit, reddenda erit ratio. Qui ſecus faxit, capitale eſto. Et bona quantulacunque ſubtracta regio fiſco cedant. Velificantes igitur, dorſumque maris hac calcantes, anguſtas fauces, quocunque ſoluerint, curſumve direxerint intrare coguntur: debitumque portorium velis deductis regio quæſtori pendere tenentur. Quibus tranſmiſſis, mox alij onuſtiores rationem reddituri cateruatim appellunt. Idque ſanè bono iure, quod pro ipſorum ſalute, tranſituque ſecuro, regia claſſis maximis ſumptibus quotannis inſtruitur: ratibuſque copiæ per æquora traducuntur, vt quicquid piratarum inueſtigetur, capitur, cruciquе adiudicatur. Ne ſic ſpoliorum aceruo & dulcedine allecti, maius in poſterum facinus intendant, pluresque immaniter trucident, neve deinceps impunitatis ſpe huius pelagi portibus incautis inſidias ſtruentes deliteant. Ita nauigantibus per ſaluum conductum dimidium integrũ, amiſſo plus toto. Quanquam aũt DANIA naturâ aureas venas, & fodinas metallicas, quibus glorietur, non habeat, vt ARABIAE, HISPANIAE, VNGARIAE hoc modo cõferri poſſit. Habet tamẽ ſuas ampliſſimas opes, & reuera hoc loco aurifera eſt, vt regijs gazis, theſauris, annuiſque reditibus immenſis, nec Tago, nec Pactolo cedat, nec quicquid ab alijs periculosè, maximoque cum labore in fodinis quæritur, inuenitur, effoditur, igni excoquitur, & aqua minerali diutiſſimè lauatur, tandemque vſui humano in formas, maſſaſq; diffuſum præparatur: Id cumulatiſſimè in DANIAM portatur, magna pars ſubditis pro bonis diuenditis numeratur, maior regi iuſta penſione exoluitur. Opem viciſſim contra piratarum impios auſus implorantibus, promptiſsimè communicat. Et negotiarionibus tutiſſimum maris vſum recuperando, vnicuilibet terræ ſuos ſaluos reddit. Laborent igitur alij In fodinis profundiſſimis, in vinetis deſudent alij, macerent ſe nonnulli alijs artibus in colligendo auro: Nobis pinguium boum multitudinem, arua, frumentorum copiam, agri piſcium que affluentiam maria ſubminiſtrant. Quarum rerum iuſta commutatione, auri copia quantum ſufficit, regno importatur, & ſocietas humana conſeruatur. Verſus Septentrionem adiacet arx omnium magnificentiſſima, quam idem rex noſter illuſtriſſimus, villa diruta, ab integro in loco omnium amœniſſimo, ſingulari apparatu condidit. Eamque de ſuo nomine FRIDERICIBVRGVM nuncupauit. Hic ocium, hic ſolitudo, hic regis grauiſſimus ſeceſſus, à ſtrepitu vrbano turbaque ciuili procul ſolutus. Cingitur autem hæc arx aquis, & ſyluis vndiquaque: in quibus ferarum copiæ, grauiſſimæque venationes ſe offerunt. Hic mõtes, colles, valles, fontes irrigui, horti cultiſſimi, loca paluſtria, & quicquid plus oblectationis, minus verò tædij, viſitur.

RIPAE.

MAGNIFICO DOMINO NICOLAO KAAS, DOMINO DE TORVPGAARD, SERENISSIMI REGIS DANIÆ CANCELLARIO FIDELISSIMO,

ANDREAS VELLEIVS S. D.



Etijſti, Magnifice Domine Cancellarie, per Generoſum Dominum Albertum Fris deſcriptionem noſtræ vrbis Ripenſis ad te in primis tranſmitti. Eam hic habes, qualem quidem feſtinans pictoris manus, hac vice formare potuit commodiſſimè. Dignæ certè hæ noſtræ Ripæ, quæ Calcographię beneficio in nobili Georgij Braunij Vrbium Theatro cum cæteris in notitiam veniant externorum. Neque certè vlli maritimarum vicinarum cedit, aut ſitus ac portus opportunitate, aut originis antiquiſſimæ monumentis, aut etiam incolarum moribus ac ingenijs cultiſſimis, ſi his cum cæteris contendere neceſſe eſt. Sita eſt enim hæc Cimbricæ Danicæ vrbs, in ripa Oceani, Auſtrali Gothiæ proxima, loco herbido, paſcuo, fertili atque ſalubri. Ad Septentrionem tamen atque Occaſum æſtiuum, ſi pergas, loca Teſqua tantiſper habebis obuia, donec milliario ab Vrbe quarto excipiat frequens ſyluarum copia. Ab ortu, nihil delitiarum deſiderari poteſt, quod non riuulorum, agrorum atque ſyluarum Tempe affatim ſuppetant. Hac latè patent Regij venatus clauſtra, vſque dum mare orientale pertingitur. Meridies amnem Nipticum vrbi ſecum infert. παρὰ τὸ νίπτειν exiſtimem ἔλυμαν, vicina certè quondam balnea, & ab his nomen retinentes hodie vici, fidem faciunt. Hic Varmigenſis ac Munchardenſis lacus ſcaturiginibus auctus, Vrbis latus meridionale vniuerſum claudit. Eumque vrbis benigniſſimo amplexu excipiens, exitum quatuor locis diuerſis præbet, quibus in flumen Tuedenſe, quod vrbis latus boreale præterfluit, ſe exonerat. Ea de cauſa ſi penitus interiorem vrbis formam ſpectes, Tripolim eam meritò dixeris. In tres enim ſectiones, horum riuulorum curſu, fiſſa, totidem pontibus ſublicijs, atque molis frumentarijs viciſſim connexa, denuò coaleſcit. Ab occidua vrbis parte, Regia Acropolis fluentum vicinorum amnium opibus auctum deſpicit, quod planitiem depreſſiorem peruagatum, inſtar Meandri, in maris gremium ſe inſinuat. Hoc miliario vno ab vrbe ſe aperit portu commodo, extentibus vndique inſulis, vulgò nautarum notiſſimis, Mandoa, Phanoa, Forda, Silda, Amroma, Holglanda, cum peninſula Canglegia & promontorijs varijs in mare latè excurrentibus

ELSENOR.

Deutsche kirch

Deutsche kirch

Kronenburg

Donabat huic operi
Hieronymus Scholeus.

Olde Tolbod

Koll

Die Sondt

RIPEN

A Templum D. Nicolai. B Coenobium monialim, virginũ nobili prosapia ortarũ. C Templũ sepulcri Chri. D Coenobiũ ordinis Grisei, hodie nosocomiũ publicũ. E Templũ D. Catharinę. F Curia Episcopalis, olim splẽdidissimis ædificijs conspicua. G Templũ D. Ioãnis. H Templ. D. Michaëlis vicinũ Puggard. I Temp. Cath. D. Virgini sacrum. K Aedes scholę triuialis. L Temp. ac Coen. Minorit. M Temp. D. Petri. N Templum diui Clementis.

O Ordinis Cruciferorum Curia.

P Diui Spiritus ædiculae.

α Arx Regia. β Viridarium ac vicina stabula regia. γ Porta Arcis. δ Curia nobilium, die Podbusk. ε Prætorium vrbis. ζ Vraniscus Velleianus. θ Tornaburgũ. κ Niptopyrgum, olim taberna mercatorum publica. λ Nauale vrbis publicum. μ Insula viridariorum amoenissima sub Australi vrbis latere delitescens. ν Stabula ciuica ab vrbe ipsa semota. ξ Horrea Regia.

rentibus, in quibus variæ nationes piscatum exercent longè vberrimum. Verùm, quod humilius hoc litus, præter statum æstum, rarius accidit solem cardinalia puncta transire, qui in vna non ingens aliqua maris inundatio vrbem vniuersam, magna mole aquarum, facta quasi obsidione, vndique irruat atque inuoluat. Adeò, vt aliquoties notatum sit, etiam in ipsum vsque cœmiterium Cathedralis Ecclesiæ, quod summo vrbis loco, vulgò Liliebierg/dicto, eminet, cum trepidatione incolarum eam peruasisse. Porrò quo autore, quove tempore primùm condita sit hæc vrbs, in incerto relictum est. Certum tamen hanc primam atque antiquissimam cymbrorum, Phrindusiorum præsertim, quos Ptolomæus vocat, sedem extitisse. Quod & Tacitum inuenisse existimo, vbi Castrorum meminit, quorum vestigia in Ripa maris suo æuo (paulò post natum Christum) perhibet mansisse. Vnde veteris famæ, ingentis gloriæ, manus gentis, ac tam magni exitûs seu exercitus, eorum fidem metiendam iudicat. Nominis ἔτυμον peperit maris vicinia, eamque condendæ primùm Vrbi occasionem, pro certo, existimauerim. Argumento esse possunt, tum ipsum Emporium, olim hic celeberrimum, tum parietinæ multiplices splendidissimorum ædificiorum, quæ his ipsis mutuis commerciorum tractatibus destinata cognoscimus. Vt taceam interim vicorum nomina, à Flandris, Anglis, Gallis, atque alijs exteris nationibus indita, hodie etiam vsurpata à nostratibus. Primùm apud Ripenses vera Christi Religio in hac regione sedem fixit. Ea illata ab Angelis primitus, studio Lesdagi, primi huius Ecclesiæ Episcopi renouata, atque publicè vnà cum Baptismi solennibus tradita est hoc littore Niptici fluenti, in quo etiam tandem Martyrij coronam adeptus scribitur. Primùm à Sliuicensi Ripense conditum est templum, rudius, vt autumo ab initio, sed temporis successu, in eam iam creuit amplitudinem, vt nulli huius patriæ aut cuiusuis nationis, sit inferius. Facit illud admirabile, testudo rotundior, solerti artificio chorus, quem vocant, vniuersum tegens ac ambiens. Firmitatis maiestas multitudine columnarum secto de marmore affabre concinnatam elucet. Splendorem mirum quendam in modum auget, præter ipsam totius ædificij molem, vnà præcipuè turris, quæ partim marmoreo, partim latericio opere, forma opulentè quadrata, in altitudinem muri solius C VI. vlnarum nostratium educta, conspiciendam se exhibet procul vrbe ad sex miliaria nostratia. Hic quorundam Regum Daniæ conditæ reliquiæ. In vicinia Lectorium Theologicum, & Bibliotheca publica Gymnasij triuialis quoque binæ ædes ampliores, quæ vicinam habent curiam, deputatam loci Episcopo. Is amplissimæ totius Daniæ præest, Diœcesi, continenti Ecclesias CC.LXXXIV. Hic prima apud nostrates excudendi libros officina aperta est. Primum quoque Canonicorum Collegium vetustissimis, vt fert, canon noster, munitum priuilegijs, nobilium regni æqualibus. Non minori certè fuit propẽsio summorũ Regũ Daniæ exornandi ciues incolas legibus, ac plebiscitis municipalibus. Vt queadmodum in prædictis primas semper obtinuerunt nostri Ripenses, ita legum quoque & disciplinę grauitate, cum iusta harum executionis seueritate, à sapientissimis magistratibus administrata, palmam meritò tulerint. Ea res locum dedit prouerbio, vt saltem nominatis legibus ac iudicijs Ripensibus nihil quicquam grauius ac iustius innui, vulgò existimatum sit. Ingenia Ciuium valida & acria. Summum apud nos omnes ordines mundiciei studium. Hanc ceu Deam, qui non colat, publico subiacet opprobrio. Matronis ac Virginibus ingenita comitatur, præter εὐτραπελίαν simplex ac decem quædam morum grauitas, &c. De quibus omnibus alibi vberius. hæc indigitasse ad tuam voluntatem ac iussum, cui me totum dicaui, Amplissime Domine Cancellarie, hoc loco, æque lectori sufficiant.

TVNDERA.



VNDERA Opidum est elegans situm in ea parte ducatus Slesuicensis, quam Frislandiam minorem appellant, loco fertili, tam agris quam pascuis. Vsurpandi iuris Lubecani facultatem, ab Abelo Duce Zudlandiæ, quem postea sibi Regem Daniæ sciuerunt. Ciuibus Tunderensibus Reinhardus Minorita imperauit, Anno à nato Christo 1243. Lubecensis senatus, vt sui iuris copiam faceret, quod Imperator Fridericus 2. ipsi confirmauerat, per literas rogatus, illius descriptionem mandauit Henrico Brunscencensi, qui à secretis ipsi fuit: attulit idem codicem, in quo ius municipale perscripsit, anno eodem, qui supra expressus est, 1243. Mense Maio. Eius rei testimonium extat in eodem illo Tunderensium codice. Frequentes nauigationes istuc institutæ, celebritatem opido conciliarunt. Arguunt nauigationum oportunitatem insignia: quorum vicem præstat nauis. Effuderunt se marini fluctus, horrida tempestate commoti ad Ecclesiam opidi primariam vsque altitudine pedum duorum & semis Anno Christi 1532. Proditum hoc est memoriæ, incisis passim murorum in parietes Crucibus.

Nunc verò iactis obicibus circumquaque spacio aliquot mille iugerum ara illa, contra iniurias efferuescentis & sæuientis oceani occidentalis munita est. Ac nostra quidem ætate 1555. 18. Iunii moles cataractam habens, firmata est, & mari opposita: ac producta illa ab Hoier ad Cohart vsque.

Non multo post nempe Anno 1564. Illustrissimus Princeps Ioannes Senior molem aliam iuncta cataracta constituit, quæ à Rotebul ad VVidingart vsque porrigitur. Hinc euenit, vt nisi interuallo magni miliarii naues ad opidum iam appellere non possint. Tempore autumni & veris traiicere duas cataractas possunt Liburnicæ & scaphæ, easque applicare ad arcem, quæ opido vicina probè munita & ducis Adolphi laudatissimæ memoriæ, hæredum est. Peruagata habet fama, Anglos hoc in loco naues conscendisse, qui in Angliam sic modo appellatam traiicientes, ibique considentes Britanniæ antiquitus nuncupatæ, nomen mutarunt. Nam non longè remotum est opidum ab eo loco, qui etiamnum nomen Anglorum obtinet: Distat Tundera Flensburgo miliaribus quatuor: Slesuiga octo: Husio sex: Lundo Dithmarsarum octo.

Ex Archiuo opidi Tunderensis antiquum est mihi communicatum priuilegium, cuius hic initio memini, sub tali verborum forma. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Anno dominicæ incarnationis 1243. Regnante Sereniss. D. nostro Friderico secundo semper Augusto, Ierusalem & Siciliæ Rege, conscribi fecerunt consules ciuitatis Lubecensis ciuitati Tunderensi, ob honorem & dilectionem Domini Abel Illustris Ducis Lutiæ, & ad instantiam ac petitionem fratris Reinardi, Ordinis Fratrum Minorum Daciæ ministri & etiam pro dilectione ciuium de Tundere Iustitiam ciuitati Lubecensi à Glorioso fundatore dictæ Ciuitatis piæ memoriæ Domino Henrico nobili duce Sueuiæ, Bauariæ, Saxoniæ, Angariæ, & Nordalbingiæ indultam & priuilegiatam. Postmodum verò, à gloriosissimo Romanorum Imperatore Friderico primo confirmatam & suo stabilitam priuilegio, deinde à Regibus, Principibus & Dominis approbatam & roboratam. Nunc autem à Sereniss. D. nostro Romanorum Imperatore Friderico II. Ierusalem & Siciliæ Rege, qui nunc regnat, priuilegiatam, stabilitam atque confirmatam per omnia Ciuitati Lubecensi sigillo aureo perenniter confirmatam. Omnibus igitur hanc iustitiam seruare volentibus, gaudium sit & pax in D. N. Iesu Christo, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

IN VRBEM TVNDERENSEM EPIGRAMMA.

Exiguo quamuis spatio comprensa sit Orbis
Non tamen omnino Tundera laude caret.
Nam pulchrè structas hæc in se continet ædes,
Annua cultori datq; alimenta suo.
Fertilis hic primum seges est in pinguibus aruis,
Prataq; graminibus luxuriare solent.
Huc simul Hesperium sua brachia porrigit æquor,
Ex cursu portum constituitq; suo.
Per quem nauiculis merces portantibus itur
Vt mercaturam cuius habere queant.
Nauibus hunc Anglus non rarò, Belga, Scotusq;,
Ac variis portum mercibus ingreditur.
Effigies igitur tua sunt insignia nauis:
Hac vti veteri Tundera more soles.
Arx Ducis est muris, vallo circumdata fossa
Vndiq; vicinis ædificata locis.
Nobilium quoq; finitima paulumq; remotæ
Sunt arces aliquot Tundera pulchra tibi.
Nec fœcunda tuis à finibus ora recessit
Longius, à priscis Anglia dicta viris.
Creditur, hinc Anglos olim migrasse: suumq;
Mutauisse solum: qua ratione, latet.
Hæc sunt, queis merito nunc commendabilis esse
Versibus in paucis Tundera parua potest.

OITINVM.

OItinum Opidum vnà cum arce quæ modo Episcoporum Lubecensium primaria sedes, ab Adolpho II. Comite Holsatiæ, VVagriæ, Stormariæ, & Gehovvenburgensi, extructum est, à quo etiam insignia, & ius municipale accepit. Episcopatus autem Oldenburgensis, qui nunc ad Lubecenses translatus est, ab Ottone I. Imperatore fundatus est Anno Domini 952. qui constituit ibi Marconem I. Episcopum.

Hanc arcē dictus Adolphus II. vnà cū trecentis mansis (300. Morgen landt) ac postulatione Henrici Leonis, Episcopatui Oldēburgensi circa annum D. 1159. attribuit: cum idem se facturum antea Vicelino Episcopo Oldenburgensi promisisset. Hac ratione arx illa sedes Episcoporū Oldenburgensiū, & deinde post translationē Lubecēsiū facta est.

Mortuo Friderico I. Rege Daniæ, Lubecenses nullo indicto bello Holsatiam inuadentes Trittouiam & hanc arcem vnà cum opidulo expugnarunt, sed postmodum auspiciis Christiani Holsatiæ Ducis à Ioanne Ranzouio Equite aurato & nobilibus Holsaticis recuperata sunt, Lubecensibus in fugam conuersis & cæsis. Arx autem hæc à Christiano III. Rege Daniæ certis conditionibus Episcopo Lubecensi & Canonicis restituta est.

Memorabile est, quod olim circa Oitinum accidisse, Annalibus Cœnobii Arensbock proditur, nimirum, Nobilem quendam virum insigniter improbum, & cui in deliciis crudelitas erat, non longè ab hoc opido duob. circiter miliaribus habitasse, tantaq; immanitate præditum, vt XI. homines propria manu internecioni dederit, seq; diris deuouisse, ni adhuc vnum, quo numerum duodenum impleret, interfecisset. Hic cum ex opido Oitino eques domum se conferret, mero æstuans, rusticum obuiantem occidere conatus spumans sic affatus est. Oportune ades, duodenus enim eris quem perimam, Rusticus ictum declinans, saxum adiacens transiliit, per quod illum insequens, excussus equo, ceruicem fregit, & pœnas facinoribus dignas luit. Vnde etiamnum vngularum equi vestigia in eo saxo cōspiciuntur. Diuinæ vltionis exemplum haud vulgare, quo commonefacti latrones non inultum se laturos sibi persuadeant, si alteri suauissimam hanc lucis vsuram, quæ inæstimabilis est, naturæ immemores crudeliter præscindāt.

IN ARCEM OITINENSEM EPIGRAMMA.

Arx Oitinensis clara est, primaria sedes
Quæ Lubecensis præsulis esse solet.
Inclitus Holsatiæ Comes hanc constrúxit Adolphus
Qui quondam istius nominis alter erat.
Idem etiam paruam iuxta arcem condidit vrbem,
Atq; huic ius proprium municipale dedit.
Cum contra Holsatos bellum Lubeca moueret,
Arx per vim subitò milite capta fuit.
At Rex Christianus, qui Danica sceptra tenebat,
Subiectam hanc alii noluit esse duci:
Inq; fugam rursus peregrinum depulit hostem
Iani Ranzouii dum fuit vsus ope.

34

OITINENSE oppidulum et arx Episcopi Lubecensis sedes.

Insignia oppiduli Oitinensis.
1
N L I T

2
Insignia Eberhardi ab Holle quondam Episcopi Lubecensis et Verdensis, Abbatis ad D. Michaëlem in Luneburg.

3
Insignia Iohannis Adolphi Archiepiscopi Bremensis, et Episcopi Lubecensis.

8
Auspiciis Christierni III. a Johanne Ranzouio Lubecenses ad Oitinum fugati et caesi.

Viuarium siue receptaculum ferarum.

7

Stagnum Oitinense

9

Arx 4

Ecclesia Cathedralis in qua 12. Canonici

5

Curia

6

Delineatio Ciuitatis TONDERENSIS.

Moltundern

Arx Christophori Ranzouij.

Galbus

Tiede

Troiaeburgum
Arx Petri Ranzouij.

Raa

Arx Tonderensis

Salwich
arx Melchioris Ranzouij.

Sedt

TONINGA, FRISIAE EIDORENSIS OPPIDVM.



Risia Eydorensis, quam Saxo Grammaticus Frisiam minorem appellat, ab Eydora fluuio, quo à Dethmarsia versus orientem hyemalem diuiditur, nomen sortita, hodie Eyderstadia nominatur, quæ annos plus minus centum peninsula fuit: amne siquidem Milda perexiguo interuallo versus Septentrionem olim continenti distincta, hoc tempore continenti prorsus coniuncta est. Milda enim plures fossas augustis auleis diducta, æstuariisque aduersus occidentem ingenti incolarum labore extensis & limosa terra, quæ interiacebat reciprocantis maris alluuione aucta, aggeribusque munita, vix nomen suum hodie retinet. Accidit enim vt Seneca scribit:

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede mouet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare litora siccat,
Susi dunt montes & iuga celsa ruunt.

Versus occidentem æstiualem Heuera & Nortstrandia insula disterminatur meridionale litus ad occasum hyemalem arenosum, & in tumulos exaltatum, Oceano alluitur, ita vt à Septētrione vbi continēti iuncta est, versus meridiem quatuor miliaribus Germanicis extendatur, totaque circumferentia spacium quindecim miliarium excedat.

Ex multis indiciis apparet, Nortstrandiæ insulæ olim etiam continenti vnitæ, ante paucos annos coniunctam fuisse, sed Oceani immani effusione ab ea diuulsam. Sicut & totum illum tractum ad Tonderam vsque ac hodie à Frisiis inhabitatum, qui munitionibus aduersus Oceani sæuientis iniuriam defenditur, Nortstrandiæ perpetuo contextu annexum fuisse dubium non est. Siquidem in maris recessu, in ea Nortstrandiæ parte, quæ Oceani sæuitia præruptis æstuariis salo oppressa & mari æquata est agrorum elices, & sulculi, fossæ item & colliquiæ, puteorumque cespites appareant. Ceterum inter reliquas septentrionalis Frisiæ prouincias, Eyderstadia ob agri fertilitatem, hominum multitudinem Eydoræque fluuii nauigabilis & piscosi commoditatem, præcipua & nobilissima semper habita fuit.

Soli enim tanta fertilitas est, ut Battauorum testimonio, ipsam Battauiam non modo exæquet, sed etiam superet, eo quod pecudes vt boues & vaccas multo maiores alat, quarum magnitudini vix vllæ in tota Europa respondeant, vnaque vacca singulis diebus præbeat nouem cantharos lactis, nempe libras Lubecenses 36. Vnde fit vt inter primum Maii & vltimum Septembris diem tanta caseorum copia nauibus exportetur, vt vices tercētena millia librarum excedat, vt ex libro rationum libri pendis deprehenditur. Insuper omnis generis frumenti ita ferax est vt singulis annis magnam copiam ad vicinos Hamburgenses, Stadenses, & transmatinos Ambsterodamensis transmittat, & nihilominus omnibus rebus, quæ ad victum pertinent, abundet nulloque genere nisi sale & lupulo indigeat. Parrochias habet octodecim, easque per magnas & populosas: Pagos multos & ferme se inuicem contingentes: Opida duo, & in iis iudiciorum sedes, quarum Toninga ad Eyderam sita, noua & splendida arce Adolphi Slesuiciæ & Holsatiæ Principis iussu ante octennium extructa, negotiationumque ob portus commoditatem frequentatione totius regionis emporium celebre & inprimis illustre est. Ædificia & prædia per totam regionem exacto latere magnifice extructa multa visuntur, inter quæ nobiliora sunt ipsius Principis Adolphi prædia duo & quæ à nobilibus possidentur, vt à Ranzouiis Garde, à Siuardis Marne, à Pogvvisciis & Blomiis Koldenbuttel & Cathringarde, & ab Hoyeris Hoyersvvordt & VVolsbutrel.


Tota prouincia diuisa est in tres partes, quarum præcipua, quæ continenti adiacet, Eyderstadia appellatur, proxima huic Euerscup, extrema, quæ versus occidentem hyemalem extenditur Vthlom. Singulæ partes olim suos habuerunt præfectos, iudiciorumque sedes. Hodie vero ab vno præfecto quem Stallerum appellant tota prouincia gubernatur. Incolæ lingua peculiari & gemina præter Saxonicam vtuntur, eademque cum reliquis Frisiis orientalibus & occidentalibus communi. Vnde liquet ex iis ortos esse, siquidem hoc præter linguam communem, morum vestitus & ædificiorum similitudo, item propria nomina vtriusque sexus satis testantur. Quare dubium non est, hos Frisos Eydorenses cum finitimis Nortstrandiam & vicina loca vltra Tonderam inhabitantibus æque vt orientales & occidentales Frisii, bellicosissimæ & nobilissimæ Francicæ gentis sobolem esse, cum hi ex illis, illi vero ex Francis originem ducant. Memoriæ enim non minimæ autoritatis scriptores prodiderunt Frisum siue Frisonem à patre Glouio Francorum rege, regioni quæ mari adiacebat præfectum fuisse, regnumque ibi Francorum principum consensu condidisse Anno mundi 3964. Anno vero Christi secundo. Quod verum esse vbi supra dictum, communis omnium Frisorum testatur lingua, quam vere Francicam esse antiqui codices Francici sermonis & idiomatis, quos vidimus, legimus, & cum nostra Frisica contulimus, euidentissime demonstrant. Quamobrem nemini mirum sit, huius minoris Frisiæ incolas, vti Francorum fortissimæ gentis propago, libertatem multos annos armata manu tutatos esse: Siquidem in hunc vsque diem immunitatum priuilegiis gaudent, neq; vltra solutionem debiti vectigalis extraordinarii seruitiis & ministeriis grauari se patiuntur, quod bella cum Regibus Daniæ pro libertate gesta & clades Abelis Regis, qui exercitu eius internecione deleto in aggere prope Mildam Anno 1252. à Frisiis Eydorensibus interfectus fuit, satis testatur.

Quo tempore autem hæc prouincia adiacentibus ab iis inhabitari cœpta est, scriptores nostratum rerum, quod memini, non prodiderunt. Cæterum ex Saxone grammatico constat, Eydorensēs Frisios a Canuto in belli societatem aduersus Sueuonem Daniæ regem Anno Christi 1152. ascitos cuitatem, & arcem Milleburg præsidii causa extruxisse: vt affirmare non dubitem, vltra quingentos annos eos hic consedisse, quod diligenti Danicarum rerum lectori inuestigare difficile non erit. Hæc de Frisiis Eydorensibus & reliquis finitimis, qui vna appellatione Frisii appellantur occasione Toningensis oppidi collegisse & annotasse sufficiant.


Frisia nunc mihi carmen erit, Cognomen ab ipso
Eidoræ fluuio cui tribuēre suum
Hanc olim cinxit totam circumfluus humor
Ac ideo priscis insula dicta fuit.
Nunc diuersa huius species regionis habetur
Vtq; illam vises arida præbet iter.
Fertilis est multum, superat quoq; quaslibet oras
Quas sub se celebris Belgica tota tenet.
Cernitur arx illic, quam dux erexit Adolphus
Splendida sat, nec non principe digna viro,
Oppida sunt illis duo sunt & prædia plura
Nobilium, dominis non odiosa suis.
Continet hæc octo parochias terra decemq;
In quibus ad populū dogmata sancta sonant.
Per sese extendit miliaria quiaq; decemq;
Frugibus immensis agricolamq; beat.
Præterea, antiqua ne libertate careret
Temporibus priscis hæc scelus ausa fuit.
Nam celebris Daniæ regem prostrauit Abelum
Et non vlterius viuere passa fuit.
Sic exercitibus fines intrare volentem
Excepit quondam Frisia dicta, suos.

HVSVM.

HVsum, opidum, situm in ditione Ducis Adolphi tanquam ducis Slesuicensis, habet portum mercatorum negotiationibus celebrem. Nam tractus Oceani Heuer nominatus id præterlabitur, ita vt facile inde nauigatio in Holandiam, Selandiam, Angliam, & Scotiam institui posit, vnde varii generis merces reportantur, quæ inde Hensburgum, quo tantum per 8. miliaria distat, auehuntur & sic ex Oceano orientali in occidentalem transferuntur. Hoc oppidum etsi domibus, plateis, longitudine, amplitudine, ac vbertate soli, ciuitati Flensburgensi vix cedat, Tamen ante hoc tempus nullum habuit ius ciuitatis, nec muro valloue aut fossis fuit cinctum, propterea quod Dithmarsi nondum essent subacti. atque à Ducibus Holsatiæ & Slesuici ac eorum senatoribus metueretur, ne Incolæ arrepta occasione deficerent ac se Dithmarsis adiungerent, vicinosque populos ac Insulas, ut Eyderstedenses ac Strandenses, ad rebellionem commouerent, ac in hoc oppido munitionem haberent. Nunc autem Dithmarsis fere per 25. annos subactis ius ciuitatis certis conditionibus ac legibus adepti sunt Anno 1582. 19. Februarii a Duce Adolpho qui ibidem arcem longe pulcherrimā ædificauit, estque eius altitudo poli 55. graduum 40. Minu.


TONINGA EIDERSTADIAE
WAPEN DES LANDES EIDERSTEDE
SIGILLVM VILLANORVM TONNINGHE
SI SANT BARTOLOMEI ET SANT CRISTIANI DE GARDIG HDG
DEER NORTSTRANDINGER WAPEN

HVSVM



P L O N A.



LONA, Opidum eſt Holſatiæ, quod nunc paret Duci Holſatiæ ac Sleſuuici Ioanni Iuniori, ad fines Wagriæ ac Holſatiæ ſitum, loco aliquanto editiore ſyluis amoenis, & auium modulamine canoris, multiſque prædijs, pagis & arcibus, itidemque lacubus ac ſtagnis irriguis, ac piſcoſis circumdatum, inter quæ duo ſunt maiora ac capaciora reliquis, alterum Auſtro obiectum maius; alterum Septentrioni minus, Lubeca, Segeberga, & Chilonio, quatuor miliaribus diſtat. Quo autem tempore, & à quo conditum ſit, ex hiſtorijs non conſtat, illud ex annalibus certum, Templum Parochiale, circa A. C. 1115. tempore D. Vicelini Epiſcopi, in honorem S. Nicolai conditum eſſe: Huic contiguum fuit Virginum monialium, profeſſionis D. Auguſtini, cœnobium, quod ex relatu quorundam 114. annis floruiſſe putatur. Nunc autem dirutum, & alia ædificia Ciuium eo loco conſtructa ſunt. Cæterùm, quanto religionis pietatiſque ſtudio incolæ hic olim flagrarint, argumento ſunt oratoria ſiue ſacella quatuor, extra portam, qua Lubecam verſus iter eſt, conſtructa, nunc autem temporis vetuſtate collapſa, ex quibus vnum S. Cruci, alterum S. Saluatori, tertium S. Caluariæ dicatum fuit, quartum verò ſitum ad pontem Holſaticum, prope clauſtrum, cui diuorum nuncupatum fuerit, ignoratur; atque ad ſacrorum celebrationem ſedecim quondam presbyteros, ſtipendio ſatis amplo ciues aluêre. Oppido arx colli ſuperimpoſita imminet, ſitu ac natura loci vt peramœna, ita, pro priſci temporis conditione, ſatis munita, Regum quondam Wagrorum, qui Vandali fuerunt, ſedes, ac nefaria Buthonis principis Wagrorũ cæde, ab hiſtoriographis celebrata. Cum enim Crito tyrannus, poſt occupatum, per Vim, Obotritorum ducatum, qui nunc eſt Megapolenſis, & Wagriæ tractum, Buthonem Wagriæ legitimum dominum intra Plonam concluſum, obſidione cinxiſſet, nec iam liberationis vlla ſpes ſupereſſet, quod auxiliares Holſatorum copiæ auerſæ eſſent, fraude exploratoris cuiuſdam, ære ab hoſte corrupti, qui Buthonem iam obſidione liberatum ijs nunciauerat, Butho fame compulſus, hoſti ſe tradidit, corporis tamen ſui, ac ſexcentorum militum, qui Barduico ipſi in ſubſidium miſſi erant, incolumitatem ab eo prius, per arma depoſita, pactus. Hunc porta Lubecenſi egreſſum, ad fanum S. Saluatoris Crito contra datam fidem, & ius gentium, immani quadam rabie concitus, cum vniuerſo comitatu ſuo, miſerandum in modum concidit, cauſam necis prætendens, quòd in arce ſtuprum, nonnullis virginibus, ex nobili Vandalorum familia oriundis, illatum eſſet. Stagnum maius, quod opidum & arcem, qua parte Auſtrum ſpectat, alluit, duo miliaria in longitudine, vnum in latitudine habet, diuerſis piſcium generibus abundat, inter quæ magnitudine & copia anguillæ excellunt, & receptaculis quinque, quæ vernacula ſua incolæ Aalkaſten nuncupant, capiuntur, quorum vnum ad Ranzouianam familiam ſpectat. Huic autem Stagno quædam arces, & nobiliũ prædia adiacent, (ex quibus ſunt Aſcheberga, arx Nicolai de Wiſch, Prædium Nempten Bloncijs ſubiectum, Pehmen, ijdem cedens) nec procul inde diſtat arx RANZOW, HENRICI RANZOVII, Producis Cimbrici domino ſubiecta, eiuſque impenſis, de integro, priſcis ædificijs dirutis, ſplendidè ac ſumptuosè ædificata, pomarijſque & hortis amœniſſimis Italico more ac cultu conſtructis, eleganter ornata. Ad Stagnum minus, quod Plonæ opido Septentrionale eſt, duo ſita ſunt prædia, quę ad Alefeldios pertinẽt, Tram & Witmold: Ex his aũt Stagnis originem ducit fluuius Suentina, qui prope Chilonium in mare Balthicum illabitur.

Irati Vulcani furore Plona frequenter læſa fuit, primum anno ſalutis 1456. tota in cineres redacta. Deinde anno Chriſti 1534. à Lubecenſium exercitu, poſt lytri ſolutionem incenſa, æde ſacra, Monaſterio, ac domo paſtoris excepta, planè exuſta eſt. Rurſus anno 1522. ipſo die B. Magdalenæ ictu fulminis accenſa, circa forum conflagrauit. Denique anno ſequenti 1578. Dominica, Exaudi, altera ſui parte, vſque ad pontem, verſus portam Lubecenſem conflagrauit.

Ciuium opes mediocres ſunt, quæ maxima ex parte piſcationibus parantur, quippe, qui agris pratis, alijſque pecuarijs pabulis, ob loci irrigui humiditatem, non adeò abundent.

Extant quædam in hanc vrbem ac arcem epigrammata hic ſilentio non inuoluenda.

Vandaliæ Regum ſedes præclara potentum
Arx quondam priſco tempore PLONA fuit.
Holſatiæ ac VVagriæ Comites habitaſſe feruntur
Hanc etiam, quorum ſtirps modò nata manet.
Hanc prope Vandaliæ princeps Butho concidit enſe
Critonis, patriâ qui Rugianus erat.
Suecorum Regis legato hac arce ſororem
Tradidit Henricus ferreus ipſe Comes.
Nunc Dux Holſatiæ Ioannes vendicat arcem
Hanc ſibi, munita eſt, quæ ratione loci.

ALIVD.

Vrticæ gaudent folio, præruptaq́; claris
In clypeis molli turris obitur aqua.
Sæpius hæc ſenſit rutilis incendia flammis,
Bellaq́; non æquo Marte nefanda tulit.
Regia quam quondam tenuerunt ſceptra Ioannis,
Imperio nunc eſt ſuboita PLONA Ducis.

Sequentem Elegiam, quod rem memoratu dignam quæ in arce Ranzouia, non procul ab hoc oppido ſita, accidit, exponeret, hîc ſubijcere voluimus, cum alijs nonnullis verſibus, qui in arce ipſa lapidibus inciſi leguntur.

Eſt regio, Holſatis Ducibus quæ ſubdita paret.
VVagria conſueto nomine dicta ſuo,
Arx fuit hîc olim Neoſlagia nomine dicta,
Sed præſens ætas non meminiſſe poteſt.
Hoc triplici vallo, triplici circundata foſſa,
Stagnum piſce ſcatens nec procul inde fuit.
Ranzouius poſſeſſor erat, ſed triſtia tandem
Nobilis hic dicta paſſus in arce fuit.
Duriter à Slauis obſeſſus, quicquid habebat
Deſeruit, vitæ conſuluitq́; ſuæ,
Nam deſperata re, per ſtagnumq́; vadumq́;
Ipſe natans, arcem liquit, opesq́; ſimul.
Cætera turba ſuo miſerè ſe dedidit hoſti,
Cuncta auidè cuius diripuêre manus,
Cumq́; iuberentur veteres migrare Coloni,
Inueniebatur ſpretus in arce puer,
Qui ſeruire coquo conſueuerat, is prece multa
Obtinuit, quoniam corpore paruus erat,
Vt ſecum auferret, quantum portare volebat,
Mox humeris puerum ſuſtulit ipſe ſuis,
Nempe ſui Domini natum, quem pectore fido.
Dilexit, pueri captus amore puer.
Communis fuit his luſus, commune periclum,
Communis tandem venit vtriq́; Salus.
Ranzouijs etiam poſt annos reddita multos
Sunt bona, quæ Slaui diripuêre truces,
Impenſisq́; nouis arx eſt conſtructa nepotum.
Sed fuit hæc alio conſtituenda loco.
HENRICVS Ranzov produx modò poſſidet illam
Quæ nunc Ranzouio nomine nomen habet.


HENRICI RANZOVII producis Cimbrici opera et impensis delineatum Anno A C.N. 1593. Aetatis verò suæ LXVIII.
Meridies
Pehnen
RANZOVIA
arx HENRICI producis Cimbrici
Bosauw
Grobin
Stagnum Plonense
maius
Cleuetz
Oriens
Ascheberga
Occidens
Vrbs Holsatiae
PLONA
Arx
Rusticus est Coridon
jam munera curat agrestis.
Nobilis Holsatus.
Innupta Nobi.
Vidua lis.
Tram
Stagnum minus

SVPRA PORTAM ARCIS.

Si Deus omnipotens nostram non protegit arcem
Nil hominum vires excubiæq; valent.

In portice ambulatoria, ex columnis lapideis constructa.

Qui nihil ædificas, aliena quid improbè carpis?
Hæc damnare caue, vel melior a struc.

ALIVD.

Si qua vel huic inerit vel inesse videbitur arci
Gratia pergratum, quod probet hospes, erit.

ALIVD.

Non lingua effugiet pœnas manibusve proteruis,
Hunc ausus fuerit qui temerare locum.

In sacello Arcis sub imagine Christi pendentis in Cruce.

Aspice, mortalis, pro te data victima qualis.

ALIVD.

Non lignum vanus, non mortua viuus adoro.
Sed cuius parua hic pendet imago, Deum.

Hanc arcem Rañzov, A.C. 1599. emit HENRICVS RANZOVIVS, ab Hansio Ranzouio gentili suo, quinquaginta nouem millibus talentorum imperialium, & quanquam nimis carè empta est, tamen eam arcem quæ cum stirpe Ranzouiana commune nomen habet, & per aliquot centenos annos à Ranzouijs inhabitata fuit, extra familiam suam alienari noluit, quod eiusdem arcis inscriptio testatur, quæ talis est:

Quisquis es, parùm subsiste, & quod scriptum est perlege, vbi perlegeris, perpende.

Ad præsens castrum emendum duplex me mouit ratio. Et, quod commune cum stirpe Ranzouiana nomen haberet. Et, quod per aliquot centũ annos à Ranzouijs inhabitatum esset.

An non benè de familia merui?
Optimè, viator optume.

Homines enim nobiles, & in dignitate cõstitũti, admodum anxij & solliciti sunt, ne principalis eorum domus, extra suam familiam, alienetur.

Ad reædificandum verò, & exornandum castrum, hoc lõgum illud tempus, quo non ere, magis me mouit, quàm exiguum vitæ meæ.

An non benè de familia merui?
Optimè, viator optume.

Mihi struxerũt alij, grãdęuus ego gratę posteritati.

Verùm, cum placere cunctis operosum,
Adsit quisquis amicus: Absit Comus, absit Momus:
Absit à te: à te: à me: nobiscum Litac.
His abi, & sis, sis: & nos, nos.

EPIGRAMMA IN EANDEM ARCEM.

Hæc domus est domuum forsam postrema mearum
Instat enim vita iam propè meta meæ.
Hoc opus est operum postremum fortè meorum,
Sentio enim gelidam non procul esse necem.
Quare trade manum: qui vult nunc extruat ædes,
Mi domus in celso est ædificanda polo.

HORTI RANZOVIANI LEGES, SVB PERSONA IANI BIFRONTIS.

Ranzouianum hortum qui animi aut voluptatis causa inuiseritis hasce leges ante omnia omnes capessunto.

Anticam modestè ingrediuntor:
Quo vis quisq; ambulanto:
Quæ vis quisq; perlustranto:
At at hoc dico & edico seriò:
Hoc moneo & admoneo sedulò
In viridario scapum ne confringunto:
Flores ne decerpunto;
Semen fructumve ne auferunto:
Radices ne effodiunto:
Stirpem pusillam ne attrectunto:
Aureolas ne conculcanto.
Ac, vt verbo dicam multa, ne hilum attingunto.

Qui secus faxint, & furaces manus ad tactum & raptum extulerint, id est, partem aliquam clepserint, rapserint.

Inconsulto hortulano nostro,
Aut verberibus mulctantor,
Aut prorsus relegantor,
Ad fustitudinas ferri crepinas insulas,
Vbi viuos homines mortui incursant boues.

Olles verò, qui florum, frondium, pomorum, & fructuum aliquid petierint.

Pro cuiusq; persona, pro rerum copia,
Pro anni tempore, hortulani largiuntor.

Ardeliones, scurræ, frugiperdæ, lurcones, procul arcentor:

Seruorum importunorum greges excluduntor,
Si quos tamen ministerij causa voluerint, modestos introducunto,
Alueolis, latrunculis, talis qui se delectare maluerint, modò fiat modicè, nemini vitio dator.
Qui noluerint conis in sparisterio ludunto.

Sed hoc circa languorem, cis sudorem illud.

Atqui hic, ne baptizatos baptizet Neptunus denuò cauento.
Desuper pluit, & ex insperato cauento.
His actis Deo trinuni gratias agunto.
Vitamq; & salutem Henrico Ranzouio eiusdemq; familiæ vniuersæ precantor.
Ac sic plurimum auento longum valento.

AD FVRES.

Quisquis in hac furtim reptas viridaria nostra
Tangere furaci poma caueto manu.
Si non obsequeris faxit Deus omne quod opto:
Cum malis nostris, vt mala cuncta feras.

THIETMARSIA.



THIETMARSIA, Regio Holsatiæ vicina adpellationem habet à lingua vernacula mutuatam Quia, ad differentiam Holsatiæ, quæ nemorosa, & saltibus occupata, cùm palustris sit, à Marsis, id est, paludibus, vliginosis locis, Thietmarsia nuncupatur: Qui enim depressa, & palustria loca tenent, hi ab incolis Marsi vocantur, quasi inter paludes limosasq; voragines demersi habitantes. Inde Stormarsi, Crempermarsi, Vilstermarsi, Hasseldorpermarsi, &c. Est autem Diethmarsia, naturæ, & artis beneficio, validè munita. Nam quæ Albim mare absorbet, latè extensa, aggeribus contra insolentes maris procellas firmatur, quod, dum exæstuat, aggeres magnis fluctibus lambit. Dum autem decrescit, ad medii miliaris spacium recedit, nullis vt nauibus, in Thietmarsiã, hac, pateat accessus. Eadem, ad occasum ferè est ratio, vbi Eidora fluuius eam distinguit, qui maris etiam æstum, Tilenburgum vsq;, sentit. Inde verò, ad Aluerstorffium, maria, lacus, stagna, paludes, accessum omnem impediunt. Meridiem versus, ex Holsatia aditus in eam patet, sed tam angustis viis, altis vtrinq; foueis, densisque syluis obseptus, vt minus gratos sibi hospites, Thietmarsi facilè arcere possint. Quod Gerardus, Holsatiæ Dux, magno & suo, & suorum incommodo sensit, quem in his viarum angustiis trucidarunt, anno salutis 1404. Quando aliàs etiam, permulti Holsati, cum magna nobilitatis parte, his ipsis angustiis, partim cæsi, partim propriis conculcati equis, partim aquis suffocati, perierunt. A Solis exortum, Vvilstermarsiam versus, accessus etiam in Thietmarsiam, sed æquè difficilis patet. Regio ipsa lacubus passim distincta est, vt ab equitatu non nimium molestari queat. Populosa est, & diues, quæ, necessitate postulante, subitò, plurimos armatos suppeditare potest Gens procera, ferox, robusta, agilis, hastas vibrare, iisque foueas, quantumuis latas, traiicere ac superare potest. Patriam libertatem, summa concordia, & incredibili animorum consensu multos annos hactenus tutata est. Quod si externum aliquem hostem habeant, simultatibus omnibus domesticis & priuatis depositis, obfirmatis animis coalescunt, auitam vt libertatem conseruent. Immites, truces sunt, & duri. Ab hostibus capti, datã non seruant fidem, quam pro redemptione præstiterunt, nec eam etiam ipsis, pro more & consuetudine patriæ, quantũuis opulenti fuerunt, seruare licet. Quos verò ipsi in bello, ex hostibus capiunt, omnes, sine vlla commistione, crudelissimè occidunt. Cæsis in conflictu hostibus sepulturæ ius denegant, nec ab aliis eos humari permittunt. Fœminę in hostes immanissimè sæuiunt, vt feritate tigrides, rapacesq; lupas superent. Gentem se liberam, & nullius vnquã seruituti subiectam, solùm Bremensem Episcopum tenui censu se caput agnoscere, quondã iactitabant. Cuius tamen imperata nunquam bene fecerunt. Sed, vt in quam varias distracti fuerint partes intelligamus, constat sanè quod

Ab omni memoria primi exterorum Saxones Dithmarsiæ imperarint, sub quorum dominio, ad tempora Henrici I. permansit. Tum anno nongentesimo, vicesimoprimo, pro innata peruicacia, peculiarem constituit dominum, Henricum caluum, aliàs pinguem, cognominatum. Is in Rosenfelde domicilium fouit, vbi nunc Hersfeldense monasterium Et filium habuit successorem Henricum bonum. Qui Sifridum, & Tiadericum procreauit, vtrinq; Marggrauium Sifridus Stadium alium in locum transtulit, firmamque arcem, contra Panorum, & Nortmannorum incursiones adiunxit.

Anno Nongentesimo octuagesimo octauo, Dani, Albim ascendentes, & Stadium, cum noua arce occupantes, Sifridum, & Tiadericum fratres, multosq; nobiles, spe magnæ extorquendæ pecuniæ, captiuos abduxerunt. Sed Sifridus, fideli piscatoris industria, ex naui Danica clam ereptus, in Thietmarsiam reducitur. Dani, vbi hunc euasisse intelligunt, ira perciti, captiuis ferè omnibus manus, aliis nares & aures amputarunt, Sifridus à Bennone Saxonum duce, milite, & viribus auctus, præproperè in Daniam euolãs, magnas clades subitò infert, multosq; capit, quos arborum ramis statim affigit. Vnde inditum loco nomen Wurgebaur.

Sifridi successores aliquando Thietmarsiæ præfuerunt, vt Sifridus II. Huderus, qui & Vdo, alter item Vdo; Ludolphus, Dedo, Etelerus Albus, Quos posteriores duos Thietmarsi, gens agrestis ac fera, trucidarunt, vterque, Idæ (cui Henricus III. Imperator, patruus) successiuè maritus. Cuius vnicus filius Egbertus, abs Vdone Marggrauio in Soltvvedel, patentibus in campis cæditur. Qua de causa, Ida vidua Romam ad pontificem Leonem IX. auunculum se conferens, graues querelas, de filii cæde effudit. Sed pontifex, vir bonus, verbo diuino eam religiosè consolatur, docens vsq; adeo non vindicandam Christiano iniuriam, vt & inimicis exemplo Christi sit benefaciendum. Quam ipsa informationem religiosè obseruans, non modo omnem Vdoni Marggrauio remisit offensam, verùm & omnium bonorum, ditionumq; suarum vnicum hæredem instituit. Ita Vdo simul & Comitatus Stadensis, & Thietmarsiæ dominus efficitur, anno salutis M.LXVII. Is tres habuit filios, ex quibus Rudolphus, Marggrauius in Soltvvedel, Thietmarsorum Comes efficitur, Quem ipsi trucidant. Hic duos reliquit filios, Rudolphum & Hartvvicum. Quorum ille cognouimus patri, Thietmarsiæ Comes manet. Sed & hunc subditi, in arce Bokelenburgo laqueo suffocãt, eiusque coniugem Vualburgem, naso, auribusque amputatis, in profluentem abiiciunt. Qui etiamnum ab illa demersa, Die Walburgs Aw/ vulgò nuncupatur.

Hartvvicus, iam strangulati Comitis frater, Præpositus ac demùm Archiepiscopus Bremensis, mortuo sine liberis fratre, Thietmarsiæ Comitatum iure hæreditario obtinuit. Is autem, sed tiosam gentis perfidiam considerans eius ditionem cum Stadensi comitatu, permutauit.

Dehinc Henricus Leo, barbaram Tiethmarsorum tyrannidem, armata manu de Comitatu ipsorum, Nobilem quendam Reinoldum, inuestiuit. Qui paulò pôst cum Adolpho, Holsatiæ comite, à Vvendis occiditur. Idem Henricus Leo Abbatiæ S. Mariæ, iuxta Stadium, quæ nunc intra mœnia est, certos quosdã Thietmarsiæ pagos donauit. Quorum nomine vt tributum acciperet, cum eo venisset Abbas, vita spoliatus est, atque alia pagis indita nomina, quò memoria depositæ annuæ pensionis extingueretur.

Anno M.C.LXXXVI. Comes Adolphus III. Holsatiæ Comes ad tempus Thietmarsiæ & Stadii Comitatum tenuit, & vi, præfractos Thietmarsos, ad obedientiam coëgit, contra Sifridi Archiepiscopi Bremensis molitiones, qui Bernardum Saxoniæ Ducem, ipsis præfectum cupiebat. Quod tandem deinde Hartvvicus Archipræsul Bremensis, quibusdam partionibus ab Adolpho cognato suo obtinuit, vt nimirũ, certos auenæ modios, annuatim Holsatiæ Comitibus


Diuersi Dithmarsorum et vicinarum gentium habitus.
BELLICOSI et fortes Dithmarsi.
Dithmarsiæ matronæ
Dithmarsicæ virgo
Eiderstadij matronæ et virgines.


EIDERSTADII
OCKHOLMII
Nortstrandiæ gentis vestitus.
Haderstedensium habitus.


Foere insula Daniæ sub Præfectura Flensburgensi, quò multæ merces submersæ appellere solent.
SILDIA Insula Danica ad Adolphum Holsatiæ Ducem pertinens.
STAPELHOLMIA peninsula Dithmarsiæ vicina, à qua Eidora flumine separatur.

Comitibus Thietmarsi penderent. Atque hunc quidem annuum censum, longo tempore soluerunt, quam diu virga ferrea coacti, officium fecêre. Sed statim vbi Bremensis arma deposuit, contra præstitam fidem, pacta, & iuramenta Archiepiscopo deserto, ad Vualdemarum Slesuici Episcopum se contulerunt, æquè S. Petro, vt asserebant, seruituri, qui & Iesuico, & Bremæ præsideret patronus. Dati Episcopo obsides, Proinde Danicæ coronæ iuncti, vsq; ad diem pugnæ in Bornehouede, quando insigni perfidia transfugerunt denuò, ad Holsatiæ comitem malè fidem seruarunt. Etenim vicesimo post mille ducentos, anno à nato Christo, cum inter Adolphum prioris filium ac Lubecenses, & Regem Daniæ Valdemauum iuxta prædium Bornhouede, acre fieret prœlium, essentq; in copijs Regijs Diethmarsi, nefario perfidiæ crimine, Regem hostibus prodiderunt. Pepigerunt occultè cum Holsatis ante conflictum, se, deserto Rege, ad ipsos transituros, eiusque rei indicium fore, si imas clypeorũ oras conuertissent. Itaque, vt ad manus ventum est, ipsi in extremis collocati, vbi iam pugna ferueret, scutis inuersis, à tergo Danos adoriuntur, quo insperato casu perculsus Regius exercitus, prementibus vndiquaque hostibus, superatus, & Otho Dux Braunsuicensis, nepos Regis ex sorore captus est. Ipso Rege, Regisque filio, vix ab hoste fugæ præsidio seruatis. Ita, cum infami singularis perfidiæ nota, in libertatem sese vindicarunt. Sed & huic Adolpho Holsatiæ Comiti, eam, quam perfidi solent, fidem seruarunt. Deinde sæpè ab Holsatis tentati, semper eos repulerunt; Henricum, Holsatiæ ac Stormariæ, & Ioannem Vagriæ Comites prœlio superarunt. Gerardi Holsatiæ comitis, eiusque fratris, Ioannis victrices copias profuderunt. Gerardum tandem ipsum trucidarunt, nouumque eius exercitum tanta feritate deleuerunt, vt præter Ducem occubuerint bisseni equestri honore insignes, & ex nobilitate trecenti, quorum nomina in annalibus extant. Neque eo contenti Diethmarsi, quod in pugnantes, cadentesq; immanem crudelitatem & sæuitiã, pro more, intemperanter exercuissent, in ipsa quoque cæsorum cadauera, miserè passim agros fœdantia, dũ sepulturam honestam ipsis negant, sæuiunt, & dirum immoderatumque animorum furorem satiant. Post funestam hãc cladem, induciæ inter Holsatos & ipsos, renouatis antiquis fœderibus initæ sunt, quas decimo tamẽ anno pòst Diethmarsi violare non reformidarunt.

Certè ob tam frequentem, & crudelem Thietmarsorum perfidiam, hîc incidenter meminisse placet, hominum animos ex qualitate & conditione loci, indolem certam & affectionem induere. Sic Insulani, communi iudicio, plerunque deprauati censentur. Orientales, effœminati ac molles, quod in Turcis videre est, qui omnem fœlicitatẽ, & in hac præsenti, & in futura vita in fœminis collocant, vt licitum sit tot habere fœminas, quot quis alere possit. Vt igitur continua cœli clementia, & delicatissimorum fructuum abundãtia animos hominum emollit: Ita rigor vicissim in contrariis tractibus, quemadmodum in hac, de qua modo agimus Thietmarsia, facit bello indomitos, crudeles, & hostilis sanguinis auidos. Mõtani ferè asperi sunt & inculti; molliores corpore atque moribus Pratentenses: Campestres mansueti & ciuiles: rudes & refractarii Syluicolæ: Paludicolæ fraudulenti, inconstantes, & hebeti ingenio: littorales, duri, horridi, immanes, latrociniis dediti, omnium denique pessimi: Vnde natum prouerbium. Maritimi mores, quasi in iis omnis omnium crudelitas, & barbaries perfunctoriè contineretur.

Tandem circa annum M. CCC. LXXXIII. Fridericus III. Imperator, Ordinum Imperij consensu, Diethmarsos Ducatus titulo, contulit Regi Daniæ, Christerno primo, Adolphi Holsatiæ Comitis ex sorore Nepoti, cui homagiũ præstare recusant, Bremensium Antistitis magistratum causati. Eius post obitum, filius Ioannes in Regnis Aquilonaribus successor, armis Suetiæ regno domito, anno M.D. in Dithmarsos exercitũ ducit. Sed dum ob loci, aerisq; incommoditatem infeliciter dimicat, & vix fuga elabitur, amittit ea clade Adolphum, & Ottonem comites Oldenburgicos, ac præter viros equestris ordinis, nobilesque Danos, & aliarum Regionum, ex vna Holsatia, ad sexaginta nobiles, quorum nomina in annales relata leguntur. Sed tandem

Adolphus, filius Regis Daniæ Friderici, hæres regni Noruegiæ, Dux Slesuici, & Holsatiæ, indignè ferens Dithmarsorum petulantiam, anno 1549. milites conscribit, cui rex Daniæ Fridericus II. & Ioannes frater, socia arma iungunt. Collectis copijs, capitur Meldorpium cum tota parte australi. Deinde interiectis paucis diebus per vallum Tilenbrugge copiæ ducuntur: quibus Thietmarsi & Hemmingstadio, ante opidum Heydam obuiam proficiscuntur, expulsuri pugna milites, ex itinere defatigatos: sed aliquoties repulsi, prœliumque renouantes, demùm cæduntur, fuganturque, & opidum incenditur. Cæsa sunt eo die Thietmarsorum tria millia. Hac clade accepta, Regi & Principibus supplices facti, veniaque impetrata, in gratiam redierunt: atque ita Thietmarsia, quæ annos trecentos, triginta duos, libertatem suam armis tutata est, nunc serenissimo Daniæ Regi, Friderico II. paret. Qui eam in prouinciam redactam, Illustri & Magnifico viro, Henrico Ranzouio, Nobili Holsato, gubernandam commisit. Si quis vberiorem Thietmarsiæ historiam desiderat, is Saxonem Grammaticum legat: Saxoniam Crantii; Chronica Holsatiæ, Stormariæ, Thietmarsiæ ac Vvagriæ Ioannis Petersen, & Petrum Bokelium. Prodiit etiam nuper libellus quidã anonymus Basileæ, ex officina Samuelis Regii, in quo postremum hoc bellum, & alia quæ ad cognitionem huius tractus non parum conducunt, describuntur.

Porrò, politica Dithmarsorum gubernatio talis est, Habuerunt quadraginta octo viros, totius Regionis præsides, ad hos singulis parochiis appellatio deuoluebatur. Hi Iudicium exercebant. Subactis autem illis, cùm iam diuisi sint in duas partes, in singulis præcipui eliguntur viri, ex incolis eius terræ XII. vna cum Præfecto, qui plerunque est Doctor siue Licentiatus Iuris. Hi omnes honesta habent salaria à Principibus, additurque illis Scriba, nec non Inspector siue Præses ex nobilitate Holsatiæ. Horum alter in parte Regia plerumque est Præfectus Steinburgensis. Alter verò in parte Ducis Adolphi, est Præfectus Gottorpensis. Hi nunc iudicio præsunt in singulis partibus, omnesq; discutiunt causas. Subditis tamen libera conceditur appellatio ad Principes & Senatores vtriusque Ducatus Stepucensis, quàm Holsatiensis, sed non alterius: Id enim in Capitulatione ita transactum est. Habuerunt antea ius scriptum, quod paululum iam mutatum est, & secundum ius commune reformatum compilatumque abs Henrico Ranzouio, Vicario, Sigefrido Ranzouio, Domino quondam in Nienhaus, D. Adamo Tratzingero, & D. Erasmo Kistemio, secundum quod ius causæ deciduntur, & pœnæ delictorum irrogantur. Nulla præstant seruitia Principibus. Sed de singulis terræ paludosæ iugeribus, tenentur soluere florenum, de iugeribus autem arenosæ, dimidiam partem sementi dependunt.

HEIDA.

HEIDA Dithmarsiæ oppidum quadratum, vt ex pictura constat, prout & forum eius, quod est peramplum, longum latumque DCCC. passus, & in singulis IV. angulis vias habet amplas ac Regias in omnes partes Dithmarsiæ se extendentes. Dictum est hoc oppidum ab ERICA in qua est constructum. Nam Erica Germanis significat HEIDE: & propterea celebre fuit, quod singulis septimanis olim magistratus illorum, nempe XLVIII. Iudices ibi conuenire ac ius dicere solebant: quodque singulis diebus Saturni totius terræ ibi nundinæ olim fuerunt habitæ, vt adhuc eo die celebrantur. situm enim est hoc oppidum in medio fere totius Regionis, ita vt spatio vnius diei vndique incolæ eo confluere possint. Nam cum opus fuit, tota multitudo in huius oppidi foro conuenit. Non procul ab hoc oppido Anno Domini MCCCCIV. in loc. qui dicitur HAMME, interfectus est Gerhardus Dux Slesvvicensis, atque Comes Holsatiæ, nec non equites aurati bisseni, & ex nobilitate Holsatiæ CCC. Sed cum vltimo Dithmarsi subacti sunt à Friderico II. Rege Daniæ & ducibus Holsatiæ, M.DLIX. postea illorum pœnas eodem fere loco dederunt, & libertatem, quam sibi arrogabant, vna cum vita amiserunt, ita vt non procul dissitis locis diuersis temporibus victores extiterint & victi fuerint. Distat hoc oppidum ab Itzehoa V. milliaria, Meldorpio vnum, Reudesburgo quinque.

In Op. Heidam Epigramma.

Iste quid horrendi qui transfodit ora draconis?
Scilicet hunc signis contulit Heida *suis.*
Vtq; viget multis vitæ successibus: armis
Sic quoq; victrices posset habere manus,
Si non, aduerso belli certamine victa
Esset Cimbria cum iussa subire iugum.
Oppida si spectes, quibus est Dithmarsia nota,
Postremum certe non tenet Heida locum,
Totius est etenim Centrum memorabile terræ,
Incola quam modico tempore adire potest.
Per totidemq; vias se late pandit eunti,
In se quot partes integer annus habet.
Hic varias merces Saturni luce reducta
Semper, Venales ære, videre licet.
Olim iudicibus mos, hic cognoscere causas
Et varias lites tollere Iure fuit.
Quod simul atque semel Dithmarsos excipit omnes
Cum res exposcit, possidet Heida forum.
Est breue præterea spatium, quod distat ab Heida,
Notus Dithmarsis Hammeus iste locus
Quo Slesvicensis dux cæsus ab hoste Gerhardus
Dithmarso, vita fata suprema tulit.
Et libertatem cum vita amisit eodem
Dithmarsus, magna non sine clade, loco.

MELDORPIUM.

MELDORPIVM Dithmarsiæ oppidum, nomen traxit à flumine Melda præterlabente, quod olim magno ciuium commodo nauigabile fuit, iam, paruis tantum cymbis huc vsque nauigatio institui potest. Est ibi Ecclesia magnifica, quæ hoc sibi laudis sumit, quod prima totius regionis fuerit, in qua paganismo suppresso, Christiana religio annunciata fuit, celebratur ibi singulis annis, omnium religiosorum conuentus. Monasterium hic quondam celebre Minoritarum fuit, quos ob maiorem vitæ & regulæ licentiam & libertatem, de laxa manica, alibi etiam Gaudentes vocant. Hoc autem Monasterium, ante Dithmarsos subactos, ab incolis funditus est euersum.

Ibidem etiã extat Schola Ludimagistris & Pædagogis eruditis satis prouisa. Ter expugnata & euersa est hæc vrbs Primum à Geberdo duce Slesvvicense. A.C.M.CCCCIV. Secundo, à Ioanne rege Daniæ, & Friderico Duc. Holsatiæ A.C. M.D. Trandem à Friderico II. Rege Daniæ, ac Ioanne & Adolpho ducibus Holsatiæ A.C.M.D.LIX. Iam floret propter iudicium, quod ibi exercetur singulis septimanis, Regis Daniæ nomine, cui præesse solent, præfectus Steinburgensis, pro tempore Consiliarius Regius. Deinde Præfectus Plebeius Dithmariensis, & vndecim Senatores in Dithmarsia nati, quibus Scriba Regius adiungitur. Qui omnes habent salarium à Rege. Hoc oppidum distat à Crempa quinque milliaria, Itzheoa quatuor, Wilstria tria, Heida vnum. Et sex, Beudesburgo.

Inclyta Dithmarsæ caput est Meldorpia terræ,
In clypeis quod te pulchra Theatra docent.
Illius irriguæ sese pars altera terræ
Iungit, arenosis altera gaudet agris.
Hæc etiam veterum belli monumenta laborum
Seruat, & effusi signa Cruoris habet.

Aliud.

Flumine de Milda traxit Meldorpia nomen,
Non contemnendæ iam decus vrbis habens.
Est ibi magnificum cultu prædiuite templum:
Et schola, quæ doctos gaudet habere viros.
Ter bello superata fuit, Regumq; Ducumq;
Victrices supplex est venerata pedes.

Icon oppidi HEIDE sumptibus Heinrici Ranzouij delineatus nobisque transmissus. Anno 1596.

Insignia oppidi Heide.

Via versus Wesselenburen

Septentrio

Via versus Londinum.

Via Henseftedia

Hoc loco Dietmarsi à Rege Daniæ Friderico, et Ducibus Holsatiæ Joanne et Adolpho vltimò victi sunt. Anno 1557.

Forum longum 8000 passus, totque fere latum.

S. Georgij

Schola

Occidens

Oriens

Via Lubecensis ac Hammia.

Parua Heida

Via versus Worden

Habitus virilis in Dietmasia.

Habitus foeminæ Dietmariensis.

Via Meldorpiam versus

Meridies

Daniel Friese Dietmariensis pingebat.

Delineatio vrbis MELDORPIÆ, impensis HENRICI RANZOVIJ Producis Cimbrici depicta, et ad exornandum hunc quintum Vrbium Tomum transmissa.

Via Heidam versus

Septentrio

Insignia Vrbis Meldorpiæ

Milda fluuius

Schola

Monasterium

S. IOANNES

Forum Septentrionale.

Forum Meridionale.

Porta Holsatica

Occidens

Oriens

Via versus Brunesbuttel

Mons Sancti Joannis

Daniel Friese Dietmariensis pingebat.

VISBIA GOTHORVM.



GOTIA, insula maris Oceani, vbi Suetiam, Liuoniam & Pruteniam alluit, agrum habens armẽtis aptum, venatione, piscatione, marmore, rebusq; omnibus humano vsui necessarijs diues, VISBVI, olim ostentauit, vrbem longe præclarissimam, Emporium, si quod aliud totius Europæ celeberrimum. Quod etiamnũ ex fatali argumento cõstat, ex marmoreis nimirum, & maximis ruinis, magnificentiam & fastũ insignẽ testantibus. Totius Insulæ non tam Metropolis, quam Monopolis existit, Episcopum habens, qui omnibus Ecclesijs, quæ in Gothlandia sunt plures, præest. Anno Christi M.CC.LXXXVIII. à Magno, Daniæ Rege, murorũ & ciuium ius consecuta: Et præsidio castri per Margaretã Daniæ, Suetiæ, & Noruegiæ Reginam firmius munita. Post variã fortunæ aleam subijt, vt ex sequenti narratione latius patebit. Omni tempore, cum vniuersa insula Daniæ Regi, nunquam Sueco, sub Lincopensi Episcopo, vt scripta quorundam perhibent, paruit. Condita à Gothis, quos Beda, & pleriq; veterum Vitas nuncupant, quorum hodie nominatio superest, non tantum in Cimbria Chersoneso, sed in ipsa quoq; Gothlandiæ Normachia Hogburgensi, ad sinum Bursuig. Celeberrima Visbia extitit emporio toto orbe Septentrionali nobilissimo, Veneta enim funditus euersa, atque inde Slesuiga incẽdiis & rapinis vastata, translatum est Cimbrorum Emporium Ripas Phundusiorum, vnde paulo post mercatorũ colonia in hanc insulam transijt. Æstimari potest vrbis antiquæ dignitas atque amplitudo, partim ædificiorũ splendore, partim etiam templorum, ac cœnobiorum multitudine, Indigitant aduenis, etiam hodie incolæ decem tẽpla, ac quatuor monasteria, arte, ac materia operis sibi inuicẽ æmula. Ericus Cyprius Rex Daniæ in itinere sacro, classem his oris applicans, templum D. Olao sacrũ condi mandauit. Plateæ publicæ quondã crepidine cõtinua obductæ, merces pariter, ac mercatores ipsos à viatq; iniquitate ventorum facile tutabãtur. Ea re præcipuè cæteris totius orbis vrbibus antestetit Visbia. Et restant nostro æuo huius structuræ artificiosissimæ parietinæ, indicio rei certissimo. Quinimo visuntur passim ædes ciuium secto de marmore conditæ vestigiorum antiquitatis maiestatem præ se ferentes quandam incredibilem. Quæ, si aut Romæ, aut Norimbergæ, aut Agrippinæ Coloniæ quæ vrbs magnificis ædificijs condecoratur, venales haberentur, magna omnino vi pecuniæ redimi necesse foret. Cingitur vrbs muro reliqua parte, quam mare non alluit portu vicino, in quo captus est piscis ille famosus, cuius ventre infans exectus est, Anno, à partu virgineo M.CC.LXXXIX.

Additamentum libelli Dauidis Chitrei de rebus VVandalicis, hæc de Gothorum Visbia commemorat: VVinetam vrbem olim celebrem marinis fluctibus oppressam scribunt. Postea Suenes ex Gothlandia eo nauigijs venisse, & quicquid ex operosissimis structuris marmoreis, æreis, stanneis, auro, & argento ex aquis saluari poterat, eruisse, & in Gothlandiam transportasse. Interea æreas maximi ponderis vrbis inuentas portas, & in Visbu translatas, antiqua cantilena sonat, Inde forma increbuit, Haldungum Regem Suetiæ euertisse, & Emporium in Visbu trãslatum esse. Certum autem est, deleta VVineta, viribus & opibus Visbu in Gothlandia creuisse, vt postmodum magnitudine laborans sua, etiam corruere cœperit.

Ex Gothorum Archyuo, quæ sequuntur, Illustris & Generosus Dominus Henricus Ranzouius, Produx & Gubernator Cymbricus, ad Topographicum nostrum institutum promouendum, communicauit.

Anno M.CC.LXXXVIII. fuit magna guerra in Gothlandia inter ciues Wisby & bundones terræ, pugnauerunt que ad inuicem in mense Aprili, tertio Sabbatho post Pascha, & vicerunt ciues: Sed tandem reconciliati sunt per dominum Regem Magnum, & permissum est ciuibus murare ciuitatem.

Anno M.CCC.LX. VValdemarus Rex Daciæ obtenta victoria de Holsatis, ac tota Dacia pacificata in Scaniam Regem Magnum, quandoq; minis quandoq; promissionibus in tantum vexabat, quod ei totam Scaniam cũ omnibus castris, consiliarijs sui regni minimè requisitis, gratis tribuebat: Insuper & sibi annuit, vt etiam Gothlandiam, si eam capere posset, obtineret: Iam enim Ericus Rex filius domini Magni obijt.

Anno Domini M.CCC.LXI. Idem Rex VValdemarus veniens in Gothlandiam cum magno exercitu ducens secum quam plures Duces de Alemannia in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ: Et in crastino sancti Iacobi cum Bundonibus terræ ante australem portam ciuitatis pugnauit, Et ex illis a mille octingẽtos in bello occidit, Et immediatè ciuitatem VVisbyiensem cum placitatione obtinuit. Demum in die sancti Augustini recessit, ducens secũ maximum thesaurum auri & argenti, quem de ciuitate & terra accepit.

a Marmorea statua vbi sepulti sunt etiamnum hic monstratur cuius picturam ab vtroq; latere Schema in lamina expressum, demonstrat.

Eodem anno ciuitates maritimæ se Regi VValdemaro opposuerunt, & castrum Hafnis destruxerunt, & tũc Rex de ciuitatibus 12. liburnos cœpit, & omnes quotquot in eis erant captiuauit, & in Selandiam misit, vbi ipsos labore & fame grauissimè afflixit: Et postea ante Helsinburrig/quod castrum tunc Theotunici circumuallauerunt inter Regem & ciuitates pax est reformata. Iste VValdemarus à Dan primo Rege Danorum erat cẽtesimus duodecimus, cui successit Olauus Rex filius Haquini Regis Noruegiæ, qui pauco tempore vixit.

Anno M.CCC.XCVII. Dux Ericus filius Alberti Regis feria secunda post Pentecosten armata manu abstulit duas turres de ciuitate, & in morte eas ciuibus restitui suis mandauit, quod & factum fuit.

Anno Domini M.CCC.XCVII. feria quinta post Mariæ Magdalenæ Dux Ericus filius Alberti obijt in Guthlandia in Clyntæ in castro suo quod ædificauit, dicto Landeskrone & sepultus est Wisbye apud beatam virginem, Et eodem anno Rex Ericus filius Ducis Pomeraniæ, Kalmarinæ, à Domino Henrico Archiepiscopo Opsalensi die Trinitatis coronatur super tria regna.

Anno Domini M.CCC.XCII. prænominatas turres scilicet Zeletarn/& aliam dux Iohannes & Sueuo Sture armata manu feria quarta in profesto sancti Benedicti receperunt.

Anno Domini M.CCC.XCVIII. in festo beati Benedicti Abbatis venerunt domini de Prucia ad Gothlandiam cum exercitu magno & obtinuerunt à Duce Iohanne & seruitoribus Regis Alberti cum placitatione ciuitatem & terram.

Anno Domini M.CCCC.III. in crastino Martini cœperunt Dani & Sueci Guthlandiam & ciuitatem à festo conuersionis S. Pauli, vsque ad Cathedram S. Petri fortiter obsederunt, sed ciuibus præualentibus, & dominis de Prucia eis in adiutorium cum maximo Exercitu circiter quindecim millium armatorũ superuenientibus dictos Dacos & Suecos destructis castris eorũ, amissis armis & equis de Guthlandia effugabãt, & post hoc pax inter Reginã & Danos est reformata.

Anno Domini M.CCCC.VIII. in festo Sancti Michaelis rehabuerunt Daci Gothlandiam à Dominis Pruciæ pro ix. millibus nobilianorum aureorum.

Anno Domini M.CCCC XI. die sancti Olaui Ericus Rex Daciæ, Sueciæ, & Noruegiæ veniens personaliter ad ciuitatem VVysbyiensem cum Exercitu magno, turres prænotatas obtinuit, & b castrum in die Sancti Petri ad Vincula ædificare cœpit.

Anno Domini M.CCCC.XXXVII. obijt nobilis vir dominus Thrure hase miles & Capitaneus totius Gothlandiæ, qui maximam c castri Wisberg partem fecit ædificare.

Anno Domini M.D.XXVIII. visitauit reuerendus pater Gothlandiam Dominus Iohannes Brassius Episcopus Lincopensis, & die S. Bartholomæi, eo patre præsente passi sunt Lutherani Hæretici repulsam in Ecclesia S. Iohannis per strennum virum Paulum Seest pro tunc Capellanum VVisbergensem.

Sed de rebus Gothlandicis, & vrbis Visbiæ conditione vberiorem expectet beneuolus Lector enarrationem, à Doctissimo viro Andrea Velleo Ripensi.

b Hoc de inferiore castro intelligendũ, nam exterius Axillonii ædificarunt. Nota c Interioris.

VISBIA GOTHORVM

Auspicijs CHRISTIANI IV Daniæ, Noruegiæ, Vandalorũ Gotorũque Regis &c.



Epitaphium mille et octingentorum ciuium Visbiensium hic a Waldemaro Daniæ Rege cæsorum Anno M·CCC·LXI Feria III post Jacobi.





Insignia Vrbis.

ORIENS

KLINTEN

Hetten

VISSBORG

MERIDIES

SEPTENTRIO

OCCIDENS

A. Nosocomium publicum.
B. Templum D. Georgij.
C. Porta Septentrionalis.
D. Propugnaculum Marinum.
E. Plancies quã vulgo Hette, id est, cucullum vocãt.
F. Coenobium D. Nicolai.
G. Templum D. Clementis.
H. Coenobium D. Jacobi.
I. Aedicula Sancti Spiritus.
K. Templum D. Olai.
L. Curia Episcopalis.
M. Gymnasium Scholasticum.
N. Turris longipontina.
O. Porta piscatoria minor.
P. Pons longus.
Q. Templum D. Mariæ.
R. Templum D. Trinitatis.
S. Templum D. Laurentij.
T. Prætorium Vrbis.
V. Coenobium D. Catharinæ.
X. Turris Campanæ publicæ.
Y. Oenopolium publicum.
Z. Porta piscatoria maior.
α. Porta naualis.
β. Portus vetus.
γ. Portus nouus.
δ. Statio naualis.
ε. Propugnaculum ligneum marinum.
ζ. Platea marina.
η. Templum D. Johannis.
θ. Templum D. Petri.
VISSBORG.
ϰ. Acropolis regia.
λ. Turris Blach nominata.
μ. Porta Australis.
ν. Horrea regia.
ξ. Templum D. Michaëlis.
ο. Porta Orientalis.
π. Cliuus seu monticulus vrbi imminens.

WISBV *Gotlandiæ metropolis, antiquitus amplissima negotiatione celebris, et nauigantium schola. hic enim leges suas capiebant nautæ. Hoc tempore residet hic Gubernator Regis Daniæ. Prope hanc ciuitatem, prout etiã in varijs huius insulæ locis, maxima reperiuntur saxa, Aegyptiorum pyramidib9 similia, Gigantum olim sepulchra, in quibus videre est epitaphia literis Gothicis scripta, quæ nunc à paucis intelliguntur. Vrbs hæc post Winetam inundationib9 deletam, viribus et opibus valde excreuit. tum enim Sueones nauigijs eò venientes, quicquid ex operosissimis structuris marmoreis, æreis, stanneis, auro et argento, ex aquis saluari poterat, huc transportarunt. Plateæ publicæ olim continua crepidine obductæ, merces pariter ac mercatores ipsos à tempestatib9 tutabantur. tandem vrbs hæc suo robore corruit.*

S T A D A.



TADA siue Stadium, Archiepiscopatus Bremensis Ciuitas, ad Zuingam fluuium in meridionali Albis Ripa, omnium Saxoniæ vrbium antiquissima, passim à Witekindo, Irenico, Saxone Grammatico, Crantio, Ern. Brotuff, Chytræo, Ioh. Pomario, Saurio, & alijs scriptoribus omnibus celebratur; vtpote cuius fundamēta ipse Saxonum cōditor SAXO, cum suis, mortuo post subactum Orientem Alexandro, sub quo Saxones stipendia fecerāt, ex Macedonia reuersus, multis ante Christum natum annis, iecerit, omen verò ab euentu factum autumant, vel quod Saxones reduces cum 24. nauibus ad Albim in has Saxoniæ oras delati, & in locum, qui ab anonymo antiquo scriptore Teutonico Hattelungen dicitur, egressi, tandem ibi, condita vrbe, stabilem domicilij stationem, post diuturnos peregrinationum errorumque labores, inuenissent: vel quod Thuringenses, à quibus Saxones sub aduentum hospitio arenæ prohibebantur, istam habirandi sedem concedere, partim vi, partim transactione coacti fuissent. De tempore autem fundationis etsi nihil penè certò definiti ab antiquis expressum sit, nempè tum propter Martis furores & frequentes turbas, tum propter incuriam gentis, armorum magis quàm literarum studiosæ: tamen de memorabili Stadij vetustate aliquid augurari, certisque depromptis indicijs colligere licebit. Penè enim inter omnes constat à Saxonibus, è Macedonia, Alexandro Magno defuncto, reuersis conditum fuisse Stadium. Atqui ex Ioh. Funceij, & aliorum Chronologicis supputationibus apparet, Alexandrum Magnum, Anno Mundi 3609. Olymp. 106. primo, Vrbisque conditæ 397. natum, ad regni fastigium, anno M. 3609. Olymp. 111. primo, V.C. 417. peruenisse, tādemq; celebrato Hephestionis funere, vitam cum morte anno M. 3640. Olymp. 113. quarto, V.C. 428. commutasse: Christum verò Dominum & Saluatorē nostrum anno M. 3963. Olymp. 194. tertio, V.C. 751. carnem assumsisse. Ex quibus facilis est supputatio, Stadij originem trecētos & viginti tres annos antiquiorem esse Christi natiuitate. Quam sententiam etiam Ernestus Brotuff in Chronicis Mersburgensibus planè confirmat, disertè exprimens Stadij fundamenta trecentis & viginti vno annis ante Christum è virgine editum posita fuisse. Quod autem annales tradunt Stadium à Sigfrido, Henrici, cognomento Boni filio, Comite Stadensi, ædificatum esse, fidem historiarum excedit, & à Crantio in Saxonia lib. 6. cap. 9. refutatur. Etenim vetustius esse opidum illa Sigfridi memoria, vtpotè quæ vix ad Henricum V. Imp. perueniat, hoc est, parum supra Christi annos mille, vel ex eo satis apparet, quod iam longè ante illa sæcula Marchiones & Comites Stadenses sine dubio à Stada, regionis capite salutarentur. Et potuit quidem Sigfridus eo tempore collapsum Stadium reuocare, vrbem communire, & contra Danorum atque Normanorum incursiones, qui vetus sibi dominium in omnem Saxoniam contendebant vindicare, arcem exstruere; à qua locus iste adhuc hodie nomen retinet, æde S. Pancratij insignitus. His accedit Insignis monomachia Hundingi & Helgonis, apud Stadium commissa. Cùm enim Roê, conditor Roschildiæ, Danis imperaret, eiusq; frater Helgo, maris imperium sortitus, victricē vbique classem circumferret, & per Albim fluuium ascendens Saxoniam ipsam ferro flammaque vastaret, Hundingus Saxonum princeps, inopinato hostis aduentu turbatus, suas quoq; vires tumultuariè contraxit Danisq; opposuit. Concurrente autem vtroque exercitu ad Stadium, & iam in armis parato, copiaq; pugnandi facta. Helgo animo ferocior; Quando, inquit, in magnis exercitibus præclara virtus sæpè non eminet, tecum ego Hundinge manus consero: spectent vtrinque exercitus pugnantes duces suos, & illorum se fortuna metiantur, vt victum se sciat exercitus, cuius Dux superatur. Non detrectauit pugnam Hundingus. Concurritur paribus armis & acribus odijs, in circo designato. Cedente autem Saxonum ductore, victoria Danorum fuit, Sexonesq; Iuriam relinquere coacti. Saxo Grammat. Sialandicus lib. 1. historiæ Daniæ. Itemq; Alb. Crantius lib. 1. Saxoniæ cap. 4. Accidit hoc certamen anno mundi 3130. auctore Hier. Henninges in tabb. genealog. altera parte regni 2. & 3. in 4. monarchia, fol. 19. Quam numerationem si sequaris, Stadij fundatio sexcentos triginta tres annos Christi natiuitatem antecedet. Certè ipse Crantius d. loco expressè dicit, eàm rem magnum Stadio vetustatis testimonium perhibere, cùm nullius reliquæ vrbis memoria ex illo tempore celebretur. Vbi præterea, Ptolomæus quidem, inquit, multarum de suo tempore per Germaniam vrbium nomina commemorat, quarum hodie vel nulla exstāt vestigia, vel nomina sunt immutata: Stadio autem tum fuisse nomen, quod nunc est, cū duorū regnum insigni pugna locus illustraretur, hic locus testatur. Dorstadiū tamen vocant opidum priscum, vnde Stadio testantur esse otiginem, &c. Quin etiam post Christi natiuitatem simile duellum non procul à Stada nostra legitur accidisse, Suertingo & Haneso Saxoniæ ducibus, iugum Danorum excutientibus: & Starcatero, miræ magnitudinis & roboris homine, Danorum, Hamâ verò, athletâ & non minus inter suos illustri, Saxonum partes defendente, victoriamque Danis, Hamâ deuicto, reportantibus; vt Saxo Grammat. lib. 6. Crantius lib. 1. cap. 2. meminerunt. Contigisse id circa annum Christi 76. Hier. Hennig. d. part. 2. fol. 20. attestatur:

Hama victus nomen Hamburgo dedit, auctore Crantio.

Starcaterus autem victor cereuisiæ Stadensi, secundùm vulgatos versiculos:

A Starcatero cereuisia nomen adepta est.
Albiacis coctam quam Stada promit aquis.


Quanquam auctor horum versuum rectius, Zuingiacis, dixisset. Sunt qui Setu tandam Ptolomæi, hanc nostram Stadam esse, ex graduum obseruatione notauerint. Nam cum Ptolomæus Setutandæ (quidam etiam σουασέδαν legunt) in latitudine 54⅔ & in longitudine 29¼ assignet, eaque graduum assignatio illius loci, vbi Stada condita est, situi penè respondeat; non est à vero prorsus alienum, ea voce Stadium apud Ptolomæum designari. Quomodo & Casp. Peucerus, historicus nobilis, in Epist. ad amicum, Setedanam veterem appellari scribit. Ad originis autem adeò vetustæ memoriā, Stada olim Asyli priuilegio donata fuit, tu-aque ibi statio & præsidium omnibus eò, tutelæ suæ gratia, confugientibus, etiam ad vniuersam viram, liberaliter ex saluo conductu concessum. Cuius generis asyla Moyses etiam in cognatis Israëlitarū ribubus constituit, & φυγαδευτήρια vocauit. Cōsimilem verò Stadam quoq; Friso, Saxonis frater, habuit in sua Fri-

ORIENS

ALBIS FLUVIUS

Die Eilbe flus

✶ Os fluminis Zwinge in Albim incurrentis distans à ciuitate Stadio dimidię horæ itinere



Zwinge fluuius

Schlachbome vnd Garten

Nova Fossa

SEPTENTRIO

MERIDIES

OCCIDENS

1 Scipser door. 2 Caen door. 3 Hassen vlit door. 4 Stegher door. 5 Sault door. 6 Groten door. 7 Der Marck, vbi mercatorum basilica. 8 Peerdmarck. 9 Zante. 10 Bisschops houe. 11 Die Berchkerck. 12 S. Willat. 13 S. Niclas. 14 S. Cosmus. 15 S. Joan. 16 Abdie. 17 S. Joris. 18 Wyn keller, vbi domus Magistrat. 19 Domus nationis Anglicæ. 20 Domus nationis Belgicę. 21 Wage. 22 Fleyschschrange. 23 Fischmarckt. 24 Hessenhuis. 25 Hospital. 26 Gefengnus. 27 Bauhof. 28 Bussnhuis. 29 Newe winde. 30 Butendijck. 31 Eluedijck. 32 Brunshuse. 33 Der stat Staden Halsgericht an der Eilbe.

ſua Friſia eis Fleuum fl vbi nempè ſimiliter finita peregrinatione primum ſoluta anchora, ex naui in
terram egreſſus, tentoria inter Mendemblicum & Stauriam fixit & deinde Rucholdus Vffo, Rex Oriē-
talis Friſiæ, anno Chriſti 392. regni ſui 17. inſigni templo exornauit, pariſq; aſyli priuilegio donauit. Sed
Friſiorum illud Aſylum vna cum ſua STADA, iam ante multos annos eluuione maris, quod interce-
pto Fleuofl. nunc Orientalem Friſiam ab Occidentali ſeparet, abſumptum eſt. Noſtra quoq; Stada, vt
omnium imperiorum ſui termini ſunt, rerumq; omnium certæ viciſſitudines, ſuas etiam, nec leues ſen-
ſit mutationes. Cum ætate enim quaſi conſenuiſſe videri poterat. Monſtrabant id quondam rudera paſ-
ſim obuia, nunc refecta, amplitudinis tamen antiquæ veſtigia. Demōſtrant id hodie quoq; auguſta pri-
uilegia ab auguſtis Imperatoribus & Principibus Stadio conceſſa, antiquæ magnificentiæ, & ad hæc vſq;
tempora continuati iuris indicia: quibus præter ius cudendæ monetæ, venandi, & alia non minus inſi-
gnia, oēs naues vndecunque ex mari venientes, & per Albim, Hamburgum verſus, aſcēdentes, ad Zuin-
gæ oſtium, vbi ille infra Stadium in Albim exoneratur, eiectis anchoris conſiſtere, certumq; vectigal
Archiepiſcopo Bremenſi, Senatuique Stadenſi pendere coguntur; atque inſuper in ſpecie cauetur, ne
quis vllum cuiuſcūque vini vas præteruehat, quin prius ſoluto de more telonio, Cellæ vinariæ præfectis
ad ipſa nauigia in Albim ex vrbe ſolenniter cum ſuo comitatu atque ſatellitio euocatis, & certam vini
menſuram è ſingulis atque omnibus, etiam minutioribus vaſculis deguſtandam præbeat, &, ſiquid iſtis
Præfectis placeat, iuſto pretio diuendat: niſi contra faciens Hamburgo etiam per literas reuocatus.
Stadam redire, ſuper hoc tranſigere, mulctamque indictam perſoluere maluerit. Tandem tamen ſin-
gulari diuini numinis gratia annuente, ſic iterum vegetari atque erigi cœpit, vt non immeritò refloreſ-
ſcere, atque inſtar aquilæ iuueneſcere videatur. Quam DEI benedictionem vt prudens Vrbis huius ſe-
natus iure ſuſpicit & deueneratur: ita Deo etiam primas tribuens, ſic Eccleſias dotat & ditat, ſic ſcholam
reſtauratam tam ordinarijs Collegijs, quam extra ordinarijs profeſſoribus, ſtipendijs, & ædificijs ornat
& amplificat, ſic ius & iuſtitiam æquabiliter adminiſtrat vt ſingula & omnia ad DEI honorem, ad Ec-
cleſiæ incrementum, ad Reipubl. commodum, ad ſingulorum ſalutem dirigi, vt iuuentutem, viuum Ec-
cleſiæ incrementum, ad Reipub. commodum, ad ſingulorum ſalutem dirigi, vt iuuentutem, viuum Ec-
cleſiæ Reiq; publ. ſeminariū, fundamenta optimarū artiū iacere, triūq; linguarū & totius philoſophicæ
ἐγκυκλοπαιδείας intelligentiam percipere geſtiat & procuret. Deinde in pace de bello ſic proſpicitur, ſic
vrbs, vallis, foſſis, muris, propugnaculis, armamentario munitur: ſic, præter aliquot minora, quatuor pa-
rochialibus tēplis, prætorio, alijſq; publicis & priuatis Ciuiū ædificijs exornatur, vt noua penè facies ap-
pareat, & tam ſenatus quam ciues ad eam muniendam & exornandā conſpiraſſe videantur. Quam rem
læta agrorum fertilitas & vbertas, frugum fructuumque vicinia admodum ferax, adauget. Situs vrbis nō
iniucundus: aër ſatis ſalubris: naualis ſtationis opportunitas optāda, atq; inde magnæ negotiationis cō-
moditas non contemnenda: Aduentuariæ ſocietatis mercatorum Anglicorum, ab Hamburgenſibus re-
iectorum, ſedes electa, Emporium hodie tota Europa notiſſimum. Habet præterea ſuburbia, fre-
quentibus habitatoribus exculta: habet extra vrbem prædia ciuium hortoſq; eleganter ex-
ſtructos. Habet etiam ſuæ iuriſdictionis merique & mixti imperij exercitia
quotidiana, eiuſq; ſigna furcam & alia, tum ab vna Vrbis parte, in ipſa
Albis ripa, tum ab altera parte extra portam Magnam in
monte poſita, ad iuſtas ſcelerum pœnas, illic
à piratis, hic ab alijs maleficis pro
diuerſitate delictorum ſu-
mendas.

BREMA.




BREMA, ad Visurgum flumen vrbs Hanseatici fœderis elegãs, opere, arte, & naturali situ valde munita. Francisco Irenico, nescio, quo indicio, Ptolomei Fabiramum, Ex amplissima negotiatura, & remotissima nauigatione opes acquirit, Vnde ciues penè oẽs, vel negotiatores, vel opifices, & multi nauium architecti peritissimi, sunt natura bellicosi, industrii, & aliquantulum ad seditionem propensi, quod variis retro sæculis actionibus, tum ea etiam nuper probarunt, ob quam Dithmarus Kenckelius Consul Bremensis, vir eleganter doctus, cũ Senatorib. aliquot vrbe cessit, & peculiari libello, Anno M.D.LXV. Vrsellis edito, ipsemet testatur Literarum studia, artesq; liberales tum primum amant & promouent, quãdo earum venustate apud exteros poliũtur. Minus alioqui in studia, & studiosos propensi, mercaturam libentius exercent. Vicos habet & plateas eleganti ædium serie benè dispositas. Forum amplum, in quo hebdomatim rerum victui necessariarum frequentes sunt nundinæ. In medio, Imperatoria & Regalis erecta est statua, strictum iustitiæ gladium manu tenens, Vnum fori latus Metropolitana Ecclesia respicit, Alterum Senatoria domus condecorat, fundamentum habens pretiosum ac gratum, Cellam nimirum vinariam ac publicam, in qua, sub Præfecti gubernatione Senatus, vinum, tolerabili pretio, & decenti elegantiq; œconomica ratione propinat, Quæ communis est multarum VVandalicarum & VVestphalicarum vrbium consuetudo, vt ad publica ferenda onera, vini propina penes Senatum maneat. Potus alioqui vulgaris, aqua est cocta, quam cereuisiam nuncupant, Quarum fere tam multa diuersa genera commemorantur, quot in hac Saxonia & VVestphalia vrbes existunt. Et inter has, Bremensis, non vltimam laudem meretur, quam non modo domi affatim & largiter bibunt, sed procul etiam foras emittunt. Non nimis carè hic viuitur, carnibus quippe & piscibus Bremenses abundant, soli situsq; beneficio id habent, pascuis enim & maris, fluminisq; piscosi vicinitate gaudent, Anguillas, murenas, Salmones ita sale condire, & infumare norunt, vt magno cum lucro ciuium, vbiq; cari grati sint & pretiosi. Superioribus annis, sub Sixto Quinto, quando VVandalicæ naues, magnam caritatem annonæ frumentorum aduectione in Italia aliquantulum leuabant, Has Bremenses piscium & Cereuisiæ delitias, Florentiæ & Romæ, non sine admiratione vidimus, quando istis muneribus Magnum Etruriæ Ducem, & Illustres Italiæ viros, Illustris & Generosus Dominus, D. Henricus Ranzouius, Danicorum Ducatuum Gubernator heroicè & liberaliter donabat.

BREMA, ignobilis primùm vicus fuit, crescente verò religione Christiana vires & incrementa sumere cœpit, quæ Episcopis suis potissimum debet, à quibus Metropolitica dignitate illustrata, Ecclesia Aquilonarium omnium Matrice condecorata, & murorum ambitu cincta fuit. Horum prima fundamenta posuit Libentius Episcopus, ob Slauorum sæuitiam, qui deficientes à fide, per totam Nordalbingiam & Slauoniam, Hamburgi, & vicinis passim in locis euersis Ecclesiis, in Christianos, & Ecclesiasticos viros, immani crudelitate sæuierunt. Hoc verò Libentii institutum de Brema munienda, alius loci Episcopus Hermannus, circa annum Christi M.XXXV. perficere voluit, qui iactis fundamentis, cum operis exordio vitam finiuit. Eius deinde successor Bezelinus murum ciuitatis Bremensis à prædiscessore suo orsum, in gyro construens, aliquibus in locis eum vsq; ad propugnacula erexit, aliisq; quinq; aut septem cubitorum altitudine, imperfectum dimisit. Cui etiam ab occasu porta grandis inhæsit, superq; portam firmissima turris, Italico munita opere, & septem ornata cameris, ad aduersam opidi necessitatem Anno Bezelini vltimo, quando iam Bremensis Ecclesia, à primo fundationis tempore annis ferè CCLXX. floruerat, tota cũ vniuersa vrbe, & auita canonicorum pietate exusta fuit, nam post tam graue incendium, canonicam & regularem vnius dormitorii & communis mensæ vitam deserentes, ad priuatam licentiam deflexerunt. Albertus Archiepiscopus Anno M.LXII. videns exustam Bremensem Basilicam in restauratione maximas exigere vires, murum ciuitatis à prædiscessoribus suis orsum, destrui fecit, & lapides ad Ecclesiæ cõstructionem adhibuit, Tunc etiam turris speciosa, quæ septem cameris ornata fuerat, funditus diruta est. Vnde quidem apparet, Episcopos, ius omne & imperium in hanc vrbem habuisse. In quam paternum affectum multis eam priuatis & publicis ædificiis, & priuilegiis ornando, diuersis temporibus ostenderunt: fundatione Metropolitanæ Ecclesiæ, claustralium ædium, & præsertim Hospitalis erectione. Ansgarius namque primus Hospitalis Bremensis fundator fuit, cuius dotationem S. Reimbertus Ansgarii successor, plurimùm auxit. Adaldagus ad eandem Hospitalis fundationem tantum adiecit, vt præter hospites, qui frequenter ibi suscipiebantur, quotidiè in eodem XXIIII. pauperes pascerentur.

Ex Bremensi hac vrbe sacræ Euangelicæ Coloniæ non tantum in loca vicina, sed & in Aquilonaria regna, Prouincias, & longè dissitas insulas, imò, in ipsam vsque Islandiam propagatæ, & multorum annorum decursu, cõseruatæ fuerunt: Nam VVillehadus primus Bremensium Episcopus, maritimas, & Boreales Saxoniæ partes, & Transalbianos populos, per lauacrum regenerationis, ad fidei Christianæ puritatem perduxit, & multa infideliũ millia baptizauit, eoq; nomine, à barbara & fera gente varias afflictiones & persequutiones sustinuit. Cuius sanctis vestigiis eius successor VVillericus inhærens, magnam & religiosam hæreditatẽ Ecclesiæ Bremensi acquisiuit. Huius deinde successor Ansgarius, ex Bremensi residentia, tunc nondum murorum ambitu clausa, nunc Danos, nunc Transalbianos visitans, innumerabilem vtriusq; gentis multitudinem, diuina præeunte gratia, traxit ad fidem Christi: Regẽ etiam Daciæ baptizauit, & Ecclesiam in Slesvvic construxit primam. Deinde Ripensem Ecclesiam fundauit, & data licẽtia à Rege baptizato, vt quisquis vellet in regno suo, Christianus fieret, infinita gentium multitudo statim per ministerium sancti Ansgarii credidit Christo, de quibus hoc memoriale in libris relictum est, quia plures, qui in aqua baptismi loti sunt, ab omni corporis infirmitate statim liberati, Domino Iesu Christo gratias referebãt. Post hæc, Regẽ Svveciæ cum suo populo baptizauit. Hic autem Ansgarius Archiepiscopus Hamburgẽsis & Metropolitanus omniũ regionum Aquilonarium, vnionem Hamburgensis & Bremensis Ecclesiæ procurauit, & illam XVI. hanc XVII. annis administrauit. Vnno deinde Bremensis Antistes, Religione in Episcopatu suo constituta, Euangelicam visitationem ad Danos vsque perduxit, Heroldum Regem baptizauit cum Danorum multitudine, cuius adiutorio, omnes Danorum insulas circumibat, verbum Dei annuncians, Deinde in Sueoniam venit, & inuenit ibi, quos S. Ansgarius baptizauerat, ad Paganismum relapsos, quos ad fidem Christi reduxit. Tandem non sine maximo labore, ad Birkam Gotorum oppidum, in medio Svveoniæ positum, peruenit, quò iam post obitum S. Ansgarii annis LXX. nemo doctorum ausus erat pertingere, præter solum Reimbertum. Onvvanus Bremensis Antistes, domi forisq; clarus Canutũ Danorum Regem Slauorum satrapas, Nordmannorum Regem, in vera Religione confirmauit, & sanctas Episcoporum legationes ad has gentes destinauit. Consimili pietatis zelo Bezelinus doctrinæ Euangelicæ ordinauit Episcopos, quos in Schlesvvigh, in Sclauaniã, & Ripam, pro Christianitate augenda, transmisit. Simile Alberti & Adalberti Archiepiscoporum Bremensium studium fuit, qui per Daniam, Nordmanniam, Suediam, verbi diuini ministros destinarunt Vvirnilanorum, & Scritifingorum gentem Christo sunt lucrati.

Hæc ex Saxone Grammatico: Ex VVandalia & Metropoli Crantzii, Ex Historia Ecclesiastica M. Adami, ex serie Archiepiscoporum Bremensium; Qui libri posteriores duo ex Ranzouiana Bibliotheca nuper prodierũt, & ex Arngrimo Iona Islando excerpsimus.


BREMA.
BREMA VRBS HANSEATICI FOEDERIS AD VISVRGVM FLV. VALIDE MVNITA MERCIMONIIS DIVES ET ELEGANS.
VISVRGVS FLVVIVS
Die Weser flum:
Propugnaculum Pontis
Wasser kunst
Beatæ Mariæ
Curia
Forum
der Doem
Das Oster thor
Sancti Stephani

LVNAEBVRGA.



VNÆBVRGA ciuitas Saxoniæ inferioris celeberrima, cuius longitudo est 31. G. 15. M. Latitudo. 54. G: sic dicta: vel ab idolo Lunæ, quod monti qui calcis nomine insignitur, quod ea copiosè ibi effoditur, totusque ex ea ferè pauca tantum aspersa terra constet, quondam impositum fuit: vel à fluuiolo præterlabente ciuitatem, qui nunc Elmena, die Elmenow q: Eluen Ow ab vndecim riuulis in eum fluentibus, dicitur, olim Luno vel Lunow vocatus ab Iside iter faciente ad Gambriuium agnatum, loca tenentem vbi nunc Hamburga & Gamma sita sunt, quæ multis riuulis fluminibusque & locis in Marchia Brandenburgēsi & ducatu Lunæburgico nomina verò à proprio nomine, vel à forma, qua culta fuit, in modum videlicet corniculatæ Lunæ, imposuit. Estque vero similius eius statuam monti præcelso impositam & cultam ab inquilinis, quā quod Iulio Cæsari id Chronica Saxonum tribuunt. Hoc idolum, cuiuscunque fuerit, ab Egisto ex septuaginta discipulis vno, qui in his oris Euangelium Iesu Christi propagauit, vel erectum rursus ab incolis, ad idololatriam prolapsis. à VViperto Abbate Anglico, Benedictinæ professionis & Episcopo Verdensi primo, destructum, & hunc in eodem monte cœnobium in honorem B. Mariæ Virginis gloriosæ ædificasse, annales Verdensium Episcoporum referunt circa A. C. incarnati. D. CCLxxx.

Fuisse verò hoc opidum etiam antequam Bardevvicum ab Henrico Leone duce Bauariæ & Saxoniæ Palatinoque Rheni ac Electore destructū est, testatur historia Caroli Magni Imperatoris, cuius tempore (vt habet Hermannus Cornerus) VVillam, vel VVilzam princeps Obotritorum, quem in ordinem redegerat Imperator A. à nato Christo Saluatore D. cclxxxix. cùm exercitum contra Saxones eidem adducere vellet, oppressus & interfectus est ab his circa Lunæburgam A. à natiuitate Christi. cccvij. Et Ditmarus Episcopus Mersburgensis ac historicus, qui vixit tempore Henrici Sancti Imperatoris lib. 6. Chronicorum ait: In ciuitate Bernhardi (hic est Benno dux Saxoniæ Elector primus & Dux Lunæburgicus filius Hermanni Bilingij) Luinberg (quæ est Lunæburga à patria pronunciatione ita à Ditmaro enunciata) dicta, eodem anno, à Christo videlicet incarnato M. xiij. aëris fit mira mutatio atque motio & immensus terræ hiatus. Hoc stupet accola & sæpius nunquam vidisse testatur. Monti itaque etiam tunc Ciuitas quædam eiusdem nominis coniuncta fuit, quæ pars adhuc nomen à veteri ciuitate retinet. Destrūcta verò Bardevviga, cū intra mœnia ciuitatis assumeretur vicus vel pagus Mædestorp / veteri Ciuitati ad Orientem situs, ad iustam magnitudinem vrbis oppidum excreuit, circa A. Christi M. cxc.

Longobardos Saxones hanc regionem inhabitasse ostendunt vicina loca, à Bardis, qui postea Longobardi, nominata: vtpotè Bardovvicum, q: der Bader Wick / qua voce asylum veteres Saxones significauit, & Bardengea, Cathedralis Ecclesiæ Ramesloensis, fundatæ ab Ikiā muliere piā & honestā, vt esset quasi asylum Ecclesiæ Hamburgensis, à Danis sæpius afflictæ, pagus in confirmatione Ludouici Germanici ita dictus.

Est in hac vrbe salis fons vberrimus, Dei Opt. Max. beneficium ingens & admirandum, cuius initium ignoratur quidem, verum, in historia Ottonis I. eius primum fit mentio. Defensus hic legitur in Helmoldo historico ab Henrico Leone duce Bauariæ & Saxoniæ Electore Palatinoque ac Principe Lunæburgico contra scaturigines salsas in Oldeslo repertas, quas obstrui iussit, ne Respublica Lunæburgensis quid detrimenti caperet. Sub pronepote verò eius Ioanne duce Lunæburgensi longè vberiores aquæ salsæ eruperunt nouusque fons inuētus est, priuilegiis. Ciuitas ornata & Ludi equestres in vrbe, qui solito more celebrantur feria quinta ante dies qui à Baccho nomen habent, à patritiis qui bonis salinariis frui cupiunt, instituti sunt circa A. C. MCClxix. Muria huius vberrimi fontis olim vrna ingenti pendula ad trabem mobilem antiquissimæ columnæ impositā funibus ligata per viros proceræ staturæ præcipuê duo extracta est vsque ad A. Christi M. D. lxix. quo die Margaritæ sacro, salinæ Præfecto tum temporis prudentissimo viro domino Georgio Tœbingio nunc Consule, mutatio facta est, & per Siphonem magnum ad profunditatem putei collocatum hausta in hunc vsque diem in casas distribuitur quinquaginta quatuor, quarum quælibet continet sartagine quatuor, in quibus, quod mirum, ex plumbo factis muria infusa, dies noctesq́, coquitur & binis horis maturatum sal in domibus ad hoc fabrefactis vehitur vel cuilibet ementi venditur, sartagines etiam deficientes ex ignis ardore, intra dies quatuordecim ferè, liquefactæ rursus reficiuntur. Omnibus etiam ciuibus & inquilinis muriam ad condiendas carnes petentibus, ea etiam sine pretio non denegatur. Prouentus verò salinæ huius passim distributi & ecclesiasticis contributi sunt, vt de bonis salinariis victitent non tantum Patritij: sed omnes in toto ducatu atque aliis etiam regionibus, monasteriis inclusæ vel sacris initiatæ personę, quæque literis honestis addictæ sunt, & præcipua negotiatio Ciuium ac incolarum est ex eodem beneficio diuino & maximo.

Monasteria intra mœnia quondam habuit hæc vrbs. I. ad D. Michaelem ordinis D. Benedicti, quod in monte prius situm fuit, cuius fundamenta, teste Hermanno Cornero in A. Christi incarnati. D. cccciv. iecit; Otto Magnus ille dux Saxoniæ pater Henrici Aucupis Imperatoris, exædificatum vero est ab Hermanno Bilingio duce Saxone & dynasta Lunæburgico. Secundum D. Virgini Mariæ consecratum ordinis S. Francisci. Tertium Vallis sacra nominatur Pręmonstratensium. Quartum Paulicorum, nunc in scholā redactum, in qua pueri in legendo & scribendo Germanicam linguam ac in Arithmetica instituuntur. Vnum Virginum sacrarum fuit, quę Conuentuales Cerulę sunt nominatæ. Quibus & Præpositura ad S. Ioannem ex Archidiaconatu in Medestorp facta & Collegium Conuentaliū fratrū, vulgo der Calandes Hern / annumerari possunt: Ex his quod ad D. Michaelem est, in quo & aurea conspicitur ara, sua adhuc retinet bona, reliquorum à monachis desertorum Ministris scholæ, studiosis & pauperibus distribuuntur.

Templa Augustanę Confessioni addicta, sex habet, I. ad D. Ioannem, II. D. Michaeli consecratum. III. ad D Lambertum. IV. D. Nicolao sacrum. V. ad D. Virginem ante annos quatuordecem ex fundamento exstructum. VI. S. Sancto insignitū, circa quod & domus in qua pauperes aluntur: quibus additur Domus Misericordiæ vel Nosocomiū.


Tota communio distributa est, Romano more, in Ciues, cum patritios tum plebeios & inquilinos. Viget in ea ac floret optimæ politię ratio, studia litterarum, iustitia, pax & concordia inter clerum & Gubernatores Reipub. quorum summa potestas est penes patritios.

Distat ab Hamburgo septē, Lubeca decē, Vlcena quinq;, Bergerdorffa quinq;, VVinsena ad Lunā tribus, Brunsuiga decē & sex miliaribus. In perantiquo Hansiatico fœdere inter sex primarias vrbes recensetur, ex quarū arbitratu conuentus, vel totius Hansę, vel aliquarū, pro vt res exigit, Ciuitatū præcipuarū indicantur conscribunturque. Huius vrbis elogium breui & eleganti Acrostichide M. Thomas Mavverus Pastor quondam ad D. Michaelem ita expressit.

Lunaburga D E I *Letaberis ante tribuna* L
V nanimi retinens V *erba sacrata stat* V
Nec non iustitiæ N *eruum venerabile nume* N
A Equali tribuens A *Equa cuique vic* E
Barbarus hinc aberit B *ona qui rapit vrbibus Acha* B
V sa feres larga V *i bona cuncta pen* V
R *upta tibi nunquam* R *apiet concordia robu* R
Gog procul hinc aberit G *randis & ense Mago* G.

ALIVD PETRI LINDEBERGII.

Nec tu noctiuaga, quæ gaudes nomine LVNAE,
Vrbibus es reliquis perpete laude minor.
Calcifer eximius sub mœnibus accubat ipsis,
Et gignens purum fœta salina salem.
Cætera prætereo: Nam sunt pulcherrima cuncta
Et fœdum tota prorsus in vrbe nihil.



MERIDIES
LVNEBORCH.
ORIENS
OCCIDENS
De Sult
S. Lambert
S. Iohan
Op dat Sant.
Kalckberch
Vp den berg
Fleischrang
De Ne Sult
De Kamp
Sultdor
Rode Dor
De Korff
Bardewick der Dor
De Holt Hude
Warborch
S. Tonis

RAZEBVRGVM.



RAZEBVRGVM vetus Saxoniæ opidum, cum arce elegantissima, distat Hamburgo miliaribus septem, Luneburga totidem, Lubeca tribus, Svverino sex, Schoneburgo duobus, Mulhemio, vnico. Situ oportuno & percommodo excellit, mari vndique cinctum, quod ad tria miliaria, Lubecam vsque se extendit, quibusdam in locis dimidiatum miliare, communiter verò quartam miliaris partem in latitudine obtinet. De cuius situ & conditione Dauid Chytreus prima historiæ suæ parte hunc in modum scribit.

Episcopi sedem in opido Ducis Saxoniæ Razeburga, temporibus Henrici IV. Imp. Albertus Bremensis Archiepiscopus primum instituit, loci situ amœnissimo. Totum enim opidum, colli vndiquaque circumfluo, velut insulæ, incumbit, quam ædificijs totam ferè occupat. Ripæ exteriores lacus seu maris opidum alluentis, collibus editis & syluis amœnissimis vestiti sunt. Insulæ verò, ad boreale latus opidi, Templum cathedrale & Canonicorum ædes insistunt. Austrum versus arx Principis, frequentibus ædificijs ornata, & aggeribus, muris ac vallis munita, & aquis vndique cincta opido adiacet, qua sola parte, cisijs aut equo vectis per pontem aditus in opidum. In hoc opido, sedem Episcopi crebris Henetorum incursionibus planè extinctam & deletam, Henricus Leo postea instaurauit. Quam Anno 1500. Ioannes ex familia nobili Barckentina ortus, regebat, ordine vicesimus Sextus, ab Euermodo, ex Magdeburgensi Ecclesia per Henricum Leonem, ad primam Ecclesiæ illius, penitus per Henetos vastatę renouationem, euocato, qui præmonstratensem ordinem assueuerat, Ratzeburgi etiam inter fratres collegas instituit. Qui hoc tempore primum, sub Ioanne, assensu Principis magni, authoritate Cancellarij sui Henrici Bergmeieri persuasi, & pontificia dispensatione, Canonici sæculares facti sunt. Atque hæc quidem Chytreus.

Capituli & Ciuitatis Razeburgensis diuersa & separata est iurisdictio, ingentibus passim saxis per agros & campos discreta, in quorum vno hæc verba capitalibus litteris incisa leguntur.

TEMPORIBVS CONRADI REGIS ET HENRICI DVCIS SAXONIÆ VENIT HENRICVS COMES RAZEBVRGENSIS ET IBI CHRISTIANITATEM PRIMVM FVNDAVIT. ANIMA EIVS REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Anno salutis M.CL.IV. Præsidente Ecclesiæ Hadriano Pontifice, imperante gloriosissimo Imperatore Friderico primo, fundatur Ecclesia Razeburgensis Cathedralis ab Illustrissimo altigenito Principe ac Domino Domino Henrico cognomento Leone, Henrici primi Saxoniæ & Bauariæ Ducis filio, Qui eam liberaliter dotat cum terra Boythin, & nonnullis alijs villis, cum integrali decima totius Diœcesis. Villam autem Potrauro cum censu, decima, & omni superioritate, Ecclesiæ Razeburgensi contulit, cooperante illi Hardeuico Archiepiscopo Bremensi, eo, quòd Albim cum exercitu transgressus, primam noctem sub papolione in terra inimicorum transegisset. Comitatum etiam Razeburgensem erexit, primumque creauit Comitem validum Henricum Bothvvede, vel vt alij scribunt, Henricum de Badævvide.

Cùm autem decima totius ad Episcopatus ad Episcopum pertineret, per eundem Ducem transactum, quatenus dimidiam decimam, præfecturarum & dominorum, etiam Comitatus totius Razeburgensis Gadebusch & Winterborch, idem Comes ab Episcopo in feudum haberet, Alia medietas pro vtilitate Diœcesis remaneret, tam in prœdijs nobilium & comitum, quàm in emolumentis noualium. Ita tamen, vt deficientibus hæredibus masculis, iure feudi, omnes decimæ ad Episcopum redirent. Verùm, cùm pientissimus fundator ab Imperij proceribus accusaretur, quod Episcopos taliter inuestire in Imperio præsumeret, sic hæreditatem suam, quam ex Erico Welpone in Suenia æ Bauaria habebat, ad imperium liberè transtulit. In feu dationem trium Episcopatum in recompensam ad vitam obtinuit, ne imperialis gratiæ factum Ecclesijs obesset, hęredesque etiam successores Ducatus ius ex eo, ad se competere, in futurum prætenderent. Prout plenius, in priuilegio, Archyui Ecclesiæ Razeburgensis explicatur. Fundator porrò, nouam hanc Razeburgensem Ecclesiam, multis priuilegijs, quin & reliquijs sacris, multisque ornamentis, ex destructo Bareouico, magnificè exornauit:


In turri Ecclesiæ talis inscriptio legitur.

ANNO DOMINI M. C. LIII. TERTIO IDVS AVG.
FVNDATA ET CONSECRATA EST RAZEBVRGENSIS ECCLESIA CATHEDRALIS AB ILLVSTRISS.
PRINCIPE DVCE HENRICO BAVARIÆ ET SAXONIÆ. QVI OBIIT ANNO M.C.XCV.
ORATE PRO EO.



Circa annum Christi 1066. sub imperio Henrici quarti, grauissima persequutione Wandali in Saxonia Christianos afflixerunt, in Hamburgo, & loca vicina irruptione facta, Monasteria, Ecclesias, Scholas, & omnes pietatis officinas euerterunt, omnesque istas prouincias igne & ferro demoliti sunt. Verbi Dei præcones passim trucidarunt, Et inter complures alios religione ac sanctitate præstantes, Ansuerum Razeburgensem Abbatem, religiosa vita, & generis prosapia nobilem, eum decem & octo professionis suæ confratribus, lapidibus obruerunt, In cuius martyrij memoriam, lapis, cui crux insculpta, in ipso passionis loco, inter Lubecam & Razeburgum, positus est. Sed de hac Wandalorum insania, vide Albertum Crantzium in sua Wandalia lib.3.cap.4. in Metropoli lib.3.cap.3.& 45.

Complures, varias, & mirabiles Razeburgensis Ecclesiæ conuersiones, vide in operis istius indice, prolixius explicari.



RATZEN BVRGK
Furstlich Nider Sachsisch Waffen.
Des Stiffts Ratzenburg Waffen
Der Stat Ratzenburg Waffen
Thumb Kirche
S. Peter in der Stat
S. Jorgen auffm Berge
Gerdt hane 1588

BARDOVVICVM.



ARDOVVICVM, Vetustissimum quondam Saxoniæ oppidum, & quod nomen indicat, Bardorum, vel Longobardorum gentis non tam populosæ quàm manu promptæ, quæ dextrum incoluit littus Albis, à Magdeburga, Stadam vsque asylum XVI. stadijs distat Lunaburga Septentrionem versus: ædificatum fuit super flumen Ilmenow, quod est Elmena, A. M. 2971 anno 1. Rehabeami filij Salomonis anno 1602. post Treuerim, quod indicant verbis ptoletarij peristilio templi Cathedralis insculpti, qui sic habent.

Abraham dum natus, mox Treueris incipit ortus, A. M. 1906.
Huc annis BARDVVICK *mille, lex. X. quoque quinque.*

Anno 189. post euersam Troiam, 235. vero ante Romam à Romulo Remoque conditam, quod ibidem sculptus post præcedentes, versiculus testatur.

Post BARDVVICK *Roma duo C. cum quinque triginta,* A. M. 3206.

Amplissimam, munitissimam ac celebratissimam hanc fuisse vrbem & vestigia & historiæ ostendunt. Nam post recuperatam à Filio Dei Domino nostro Iesu Christo salutem, Egistus vnus ex 70. discipulis & Marianus in ea Euangelium hoc docuerunt ac passi sunt, quod tumba Egisti (cuius tamen ossa post euersam vrbem, Roschildam in Daniam translata sunt) quæ ibidem in cœmiterio adhuc cernitur, testatur. In D. Mariani vero honorem, templū fundatum fuit circa pontem, qui littora Elmenæ iungit, vbi interfectus ab idololatris putatur. Et Carolus Magnus primus Germano. Romanus Impetator, natione Francus, post diuturna cum Saxonibus gesta, dubio Marte, bella, tandem victor, celebratis in Maio A. C. 785. Comitijs Padebornæ Bardovvicum venit, & dato saluo conductu Saxonicis Principibus, regia maiestate ornatis, VVidekindo vc 3, Albioni dynastæ Holsatorum, Ariboni Ballennetensi eiusque filio Beringero, intercedenteque pro his Henrico comite Hennenbergico, qui sororem suam Hadmutim Beringero in matrimonium dari voluit, hac conditione, si Christianam fidem religionemque & baptismum suscipere vellet, ad se accersiri ipsos iussit, clementissimeque eos habuit, ac vt abiecta ethnicā idolomana baptismum susciperent, persuasit, quo etiam aliqui illorum ibidem initiati sunt. Carolus quoque Episcopalem sedem cum cathedrali templo in hac vrbe fundauit, illa vero Verdam translata est, hoc adhuc ibi conspicitur. Deinde Carolus iunior filius prænominati Imperatoris, iussu patris in Bardevvico oppido à Nordalbingis homagium accepit, & cum Obotritis ac Vvilzis henetis colloquium instituit, A.C. 799. Obsessa etiam fuit ab Eberhardo Palatino & Danckmaro fratre Germano Ottonis I. Imperatoris & hoste, propter iuniorem eius fratrem Vterinum Henricum Rixosum, qui in hanc confugerat ciuilis belli tempore A. C. 938. superata & spoliata à militibus, ac Henricus Princeps Saxonicus ab Eberhardo ductus est in Larun, Henricus Leo autem, Dux Bauariæ & Saxoniæ Elector, dominus huius vrbis, proscriptus à Friderico Barbarossa Imperatore, cum ciues Bardovvicenses ipsum intra mœnia recipere non tantum nollent, sed contumeliosis etiam verbis insultarent, A. C. 1182. quare in Angliam fugere necesse habuit, cum inde reuerterentur A. C. 1188. auxilijs Danicis, Anglicis, Bernhardi Ratzeburgensis, Helmoldi Sucrinensis, Bernhardi Vvoelpensis Comitum & Archiepiscopi Bremensis, vrbem hanc obsidione cinxit, cumque ciues freti munitionibus ac præsidiario milite à Bernhardo Saxoniæ duce, Electore ipsis misso, dominum suum hæreditarium Henricum contemnerent, ira exardescens, & Leonino ferociens animo, eam expugnat totam: muros, turres, portas euertit, ciues militesque trucidat, qui vita donantur, ex ruderibus eius Lunæburgam ampliant & Hamburgum restaurant A. C. 1189. de quo etiam versiculi ptoletarij foribus templi cathedralis insculpti extant.

M. C. post nat. iunctis octoginta nouemque C. C. 1189.
Dum Brunuicensis dux Henricus Leo dictus
Simonis in festo BARDVVICK *subuertit ab alto.*


Ex spolijs Cathedrales Ecclesias Lubecensem & Razeburgensem, Henricus princeps ditauit. Vndecim parochialibus templis insignita fuit, quorum maxima pars iam desolata, & vix rudera huius præclarissimæ vrbis ac munitionum atque ædificiorum ipsius conspiciuntur. Itaque

Discite iustitiam moniti & non temnere diuos.

Nec quicquam de hac amplius legitur, quàm quod Henricus Rex Romanorum in absentia patris sui Friderici 2. Imp. Comitia hoc in loco celebrauit, A.C. 1229. Ciuis & inhabitatores hodie maxima ex parte cum ex Agricultura tum ex olere, rapis, pomis, herbis odoratis floribusque diuenditis viuunt.

EPIGRAMMA IN OPIDVM BARDEVVICVM.

Siue sit à Bardis siue à Bardone vocatum
BARDVVICVM, certe peruetus opidulum est.
Nam fuit, ante suam struxit quam Romulus vrbem,
Nobile deuicti qua caput Orbis erat.
BARDVVICO *facies etiam præstantior olim,*
Quam nunc destructo cernitur esse, fuit.
Namque ad splendorem fermè succreuerat vrbis
Structuris amplum, Ciuibus atque frequens.
Henricus vero captum Leo diruit illud,
Auxilio generi præsidioque sui.
Diruit, integrumque nihil, nisi templa reliquit,
Sumptibus adiecit queis Cathedrale suis.
Ex hac Bardvvici post surrexère ruinâ,
Lunæburga ferax, atque Lubeca potens.
Conuentus sedem Bardvvicum præbuit olim
Carole magne, tibi Principibusque viris.
Nunc est opidulum, quod victum quæritat ægrè.
Hortorum atque agri fructibus atque satis.
Sic, sic magna cadunt, sic euertuntur & vrbes
Munita, queis nil firmius esse putes.
Sic Reges sua fata manent, Nam Henricus & ipse
Fortunam varias sensit habere vices.
Perdidit is merita proscriptus Cæsaris ira
Penè omni populos cum ditione suos.
Quippe Albis, Mons Hercinia, & cum Balthide Rhenus
Ac Bauara quicquid nomina gentis habet.
Magnanimi sceptrum quondam agnouere Leonis
Nec vidit regno Teutonis ora parem.
Excidit imperio dum fasto tollitur alto,
Quisquis repentinas discet timere vices.



ORIENS
BARDEWICK
Typus oppidi peruetusti Saxonum BARDEWICI sumptibus illustris Et generosi Domini D. Henrici Ranzouij Producis Cimbrici ad condecorandum hunc Quintum Urbium tomum liberaliter transmissus est, Anno xpi M D XCV
SEPTENTRIO
MERIDIES
Die Elmnow fluuij
Fresdorp
S. Johannes
Vp der Slusse
Die Elmnow flu
S. Fabian
S. Wilhac
S. Nicolaus hoff
S. Vidt
Disse Wall ist langk 2412 Schrit
OCCIDENS
Daniel Frese pinxit 1588


BARDVM POMERANIAE.



Omerania à Pomesano Viduntí primi Borussiorum Regis filio nomen habens, in superiorem & inferiorem diuiditur, quarum hæc, in Orientem vergens, VVandaliam, Cassubiamq;, Illa Stetinensem, Barthiensemque, seu VVolgastensem Ducatu:, ac Rugiensem insulam complectitur, Opidis est egregijs culta, inter quæ BARDVM non infimum dignitatis locum obtinet. Præclaras enim & magnificas nobilium ædium structurasiucundam Ducibus suis residentiam præbet. Eius præmordium, in annum post Christum natum M.LXXIX. historici, & opidi Archyuum referunt. Quando à Longobardis Rugiensem insulam occupantibus, loco negotiationi peropportuno ad mare Balticum ædificatum, Bartiensi seu VVolgastensi Duci paruit. Deinde Stetinenses Pomeraniæ Duces, situs commoditate illecti, amplissimarum vrbium priuilegijs, Ducati residentia, Palatio eleganter ad normam ædificato Schola, & typographica officina, Bardense hoc opidum decenter exornarunt; quemadmodum & horto, varijs sepimentis, diuersarumque herbarum, florum, ac arborum varietate, ad delectationem spectantium venustè distincto. Appellationem & nomen vel à primis fundatoribus Longobardis, vel à præter labente fluuio Bartico obtinuisse perhibetur quem hoc loci mare absorbet. Forum haber amplum, in quo, ob agri vicini fertilitatem & maris opportunitatem, res victui, & humanæ necessitati inseruientes, tolerabili pretio veniunt. Solum enim habet, non tantum suburbanum, sed totius Ducatus vbiq; fertile, aquis irriguum, stagnis abundans, onerarijs mercatorum nauibus peruium, duces pascuis pomis, lignis, syluis, montibus, venatione, pecore, piscibus, frumentis, butyro, melle, cera, & alijs his similibus, vnde marinis & fluuiatilibus piscibus, omnis generis ferina multisq; magnarum vrbium commoditatibus, Pomeraniæ Barda abundat. Vt non immeritò Illustrissimi Pomeraniæ Duces, optatam sibi decem, vitæque domicilium in ea sibi delegerint. Ciuium opes in re pecuaria, & negotiatione consistunt quam per mare, vicinam Daniam, Noruegiam aliasque remotiores Regiones, magno quæstu exercent: Cereuisiam coquunt sapidam, quam etiam ad remotiores longius exportant, Et licet Vulcani furorem valde sibi iniquum frequentius senserint, tamen tanta situs opportunitas, tanta cura & sollicitudo Ducis in ea restauranda, & conseruanda, vt bene muniti & florentis oppidi formam modò exhibeat.

Dauid Chitreus, Dum Sundense bellum inter Pomeranos & Megapolitanos accuratius describit. Bardæ aliquoties non sine honoris, & constantiæ elogio meminit, Dum varias eius calamitates explicans, refert, quonam pacto Vratislao Pomeraniæ Duce in vrbe Sundensi rebus humanis exempto, duos filios pueros reliquerit, Bugslaum & Barnimum, & tertium Vratislaum posthumum; Quam occasionem arripientes vicini Megapolitani Principes Cismarium Rugiæ Ducatum statim hostiliter inuadunt & Bardam Grimmam, ac Lositium excepta arce, quam Reinfridus de Pense pro filijs Vratislai defendebat, occupant. A ciuitatibus vicinis Sundio, Gripsvvoldo, & Demina, euocatis consulibus, petunt, ne se bello immisceant nec in Rugia à dominis feudi legitimè sibi collata impediant. Se vicissim Vratislai filijs, de legitimo illorum, & antiquo patrimonio nihil decepturos, & perpetuam cum illis pacem, & amicitiam culturos esse.

Tanta autem fides, & constantia ciuitatum erga principes suos, Ducis Vratislai hæredes infantes fuit, vt nullis mollitæ illecebris, nullis fractæ minis aut terroribus, se defensionem principum suorum in Ducatu Regni, qui legitimò & pleno iure ad eos pertineret, integre recuperando & tuendo, intrepidè suscipere decreuerint. Præsertim cum Sundensem ciuitatem, quæ tot principum peregrinorum insultus, nuper inuicta sustinuerat, subiectionem ac fidem Vratislao iuratam, hæredibus etiam illius firmiter præstare, nec vlla ratione ab eis auelli se passuros didicissent. Interea, ex Dania Ioannes Holsatiæ Comes, cum promissis electi Daniæ Regis auxilijs 600. equitum Sundiũ appellit, & tutorio nomine in fidem receptis ciuibus, & nobilitate insulæ Rugiæ, integri Ducatus recuperationem Vratislai filijs sanctè pollicetur. Progressus autem ad opidum Lositz, & segnius expectatione omnia agens, tandẽ inducias cum hoste, inscijs, & inuitis ciuitatibus, vsque ad diem Ioannis Baptistæ anni sequentis sancit, & ineunte hyeme, in Daniam redit. Interea, qui in præsidio Lositij erant euagati, vicinarum ciuitatum prædia, & ciues tempore induciarum, spoliabant. Sundani igitur, Griphisvvaldenses, & Deminij, re, cum præfecto arcis communicata, opidum, ineunte vere, expugnant. Mense Iulio Megapolitani Deminum, irrito conatu, obsident, & progressi VVolgastum versus, rapinis & exactionibus pecuniæ, quibus incendia agricolas redimere cogebant. passim grassantur. Cum autem Gerardus Holsatiæ Dux, prætexens, inducias à se, optimo consilio sancitas, & in triennium prorogandas, per ciuitates esse, auxilia deinceps negaret Ciuitates Ottonem & Barnimum, filium adolescentem magnanimum, Duces Stetinenses hactenus quiescentes ad legitimam agnatorum tutelam & principum pupillorum defensionem suscipiendam inuitant. Quorum auxilio paulatim hostes, ne vlterius progrederentur, repressi, & amissa Regiæ continentis oppida, post viginti demum annos recuperata sunt. Nam, vt nulla calamitas sola est; Eodem tempora Ludoicus Marchio Brandenburgensis, cui pater Ludoicus Bauarus Imp Pomeraniæ feudum contulerat, (quod Duces Pomeraniæ, duobus de Imperio dimicantibus, neutri præiudicare volentes, id debito tempore petiuissent Pomeraniæ Duces bello inuadens, multa nouæ Marchiæ oppida Pomeranis adimebat. Quare robur militiæ Pomeranicæ aduersus Marchionem aliquot annis conuertendum fuit. Et quanquam Barnimi Stetinensis virtute & felicitate Marchio ad cremensem aggerem victus ac profligatus pacem postea æquis conditionibus, vt deficiente linea Ducum Pomeraniæ mascula, marchiones succederent, cum Pomeranis primum fecit, tamen occupato alijs curis, & bellis Barnimo, lentius, & infelicius omnia in continente Rugia gerebantur, & diuturniorem ac firmiorem sedem Megapolitani in ea figebant; Adeo, vt Albertus & Ioannes Henrici filij Megapolitani Anno M. CCC. XLVIII. die octauo Iulij à Canto IIII. creati, inter cætera oppida, Bardam quoque & Damgard, in fiduciariam clientelam à Cæsare nominatim acciperent. Eandem verò, circa annum Christi M.CCC.LI. redintegrato bello, Megapolitani, quos Nicolaus ducebat ad opidum Lositz, à Barnimo profligati & cum victoriæ cursum statim vrgeret, Grimma recepta, & triennio post, magnis laboribus Barda etiam recuperata, & finis bello ferè triennali de continentis Rugiæ imperio inter vicinos Principes Pomeranos & Megapolitanos gestô, impositus est. In quo eximia & singularis harum præcipuæ ciuitatum Sundij, Gryphisvvaldæ. Demini, & Bardæ erga principes suos pupillos, pietas, fides, & constantia enituit.


BARDVM POMERANIAE
Die Fürstlich Sehestat BARTH in Pomern
so nach Christi geburt 1079 von den Longobarde
welche umb die zeitt in der Insel Rüge und umblangst
sich nider gelassen, erstlich erbauwet, und darnach von
den hochlobliche Fursten, de Hertzoge zu Stetti Po:
mer privilegirt und mit ein Fürstliche Hofflager gezirtt
Daß Fürstlich Haus
Druckeri
Der klein lust garte
Wagen haus
Hunde strosse
Bar stuber stroß
Der Marckt
Fischer stros
Rhothauß
Die Kirche
Lange strosse
Heiliger Geist
Daß lange thor
Baur straße
Dam strasse

WISMARIV.



Rbis WISMARIÆ ad littus Balthicum, vnius diei itinere LVBECA versus Ortum in Ducatu Megapolitano sitæ: Originem ex alto, à Wismaro Rege Vandalorum, tempore Constantini magni florente quidam repetunt:. Alii Coloniã Gothorum ex Wisbuia Gothlandiæ metropoli eo deductam affirmant. Sed paullo ante annum Christi M.CCXL. ex ruinis vetustæ & amplæ vrbis Meckelenburgk/quæ toti ditioni nomen dedit, à Gunzelino Comite Suerinensi sub Ioanne Theologo D. Megapolitano, Henrici Burevini, conditoris Collegii Gustroviensis F. seu conditam, seu amplificatam fuisse Cranzii monumenta, & Reip. priuilegia omnia, post annum M. CC. L. data ostendunt. Primus enim Henricus Hierosolymitanus D. Megapol. Ioannis Theologi F. ius Lubecense, & iurisdictionem propriam ciuitati concessit anno Christi M.CCLXVI.

Breui autem tempore incrementa miranda ex commerciis aliarum gentium ciuitas sumpsit, portum maris commodissimum in toto hoc littore Balthico habens, oneratas naues, quantumuis capaces recipientem, & sine vllis anchoris tutas præstantem: Vnde nomen vrbi, non tam à sapiente præside, quam certitudine marini portus inditum verisimile est. Minoribus oppidis copiam rerum ad vitam tuendam necessariarum sæpissime communicantibus ac inde recipientibus velut corona vndequaq; cincta est. Agrum suburbanum habet fertilissimum, ex quo fere quingentis ciuibus domum propriam possidentibus, sorte aliquot iugera libere totum septennium fruenda tribuuntur. Vrbis frequentiam, & opes pristinas magnificentia Templorum, & maiestas augusta, & Fori, Curiæ, cellæ vinariæ, ac ædium priuatarum amplitudo & splendor adhuc demonstrant.

Nostro etiam tempore inter cæteras Balthici littoris vrbes ex præcipuis vna; non commerciis solum externarum & procul dissitarum gentium, sed domi etiam honestis legibus, iudiciis, bonis ciuium moribus ac disciplina (gubernantibus Rempubl. Henrico Schabbelio, Ioanne Hopnaccio, Georgio Platone, Rostochiensi I. V. D. Coss.) floret.


Hic quoque WISMARIAM, *quod contemplaris, amice*
Lector, id illustris monitu, virtuteque multa
Nobilis, & clari, Daniæ cui nomine Regis
Schlesuiga, Holsatia, & fortis Dithmarsia parent,
HENRICI RANTZOVV *factum esse sciesque tuasque*
Heroi grates persolue, precare salutem
Perpetuam, & placidos longæui Nestoris annos.
Et quia WISMARIAM *elogio decorauit honesto*
Perdocti Chronicon Chytræi; iungitur illud
Depictæ patriæ: quam tu Deus optime semper
Florentem serues, quam relligione salutis,
Pace, bonisque tuis cumulesque tegasque, beesque.


Iussu DN. Coss. VVismariensium.

Georgius Iule Wismariensis Senator F. & optare voluit III. Kal. Maii, Anno incarnati DN. NOSTRI IESV CHRISTI CIↃ. IↃ. XCV.

WIIS MARIA







Pöler Thor

S. Niclaus

Graw Closter

Wasser-Thor

Rathhaus

S. Maria

Der Heiliger Geist

Der Hertzogin von Mekelnburg hoff vnd pallatium

S. Jurgen

Schwartz Closter

Meckelburger Thor

MARIS BALTICI PARS



TOPOGRAPHIA VRBIS ROSTOCHII DESCRIPTIO D. PETRI LINDEBERGII. R.

ROSTOCHIVM, quæ olim Lacinium,& corrupte Rhodopolis & Laceburgium vocata, vrbs est Vandalica, Anseatica, Maritima & Megapolitana,& præ multis aliis Germaniæ, cuius hæc ad Boream limes, vrbibus præcipuis, litterario simul & mercatorio emporio clarissima. Megalespoleos Principibus semper paruit, à quorum Maioribus circa epochæ Christianæ annnm 329. leuibus initijs instar pagi ad Varnam amnem condi incepta,& postea à Godescalco Obetritarum Rege in oppidulum conuersa, ac demum anno Dei hominis 1160. à Pribislao seu Primislao II. Nicoloti filio,& Obetritarum seu Herulorum Rege Rege quadragesimo & vltimo, ex vicinæ,& tum ab Henrico Leone desolatæ, vrbis Keslini,(terræ Laciniæ metropolis) ruderibus, muro cincta, fossâ munita, inque vrbis formam est instaurata.

Nomen vrbis Vandalicum est, diuisionem seu dissolutionem aquarum significans. Et Roſtzock vel Rozock olim fuit appellatum, vt Poloniæ historiographi, qui terram vliginosam vocabulum illud interpretantur,& sigillum vrbis maius adhuc attestatur. Alii à vicino vrbi Rosarnm hotto & fragrantibus rosis, nomen deducunt, vt esset Roſtock q: Roſenſtock. Quibus ego non subscribo, quòd sententia eorundem nec authoritate nitatur nec rationibus,& vrbs antiqua longè ante Rosarum hortum sit condita. Alii, vt laudatissimæ vrbis Massiliæ Græcum nomen à piscatoriâ naue & portus commoditate ortum, ita hanc vrbem nominatam existimant à columnâ rubeis insignibus notatâ, ad quam piscatores propter fluminis & propinqui maris vbertatem in vicinia habitantes vsitato more soliti sunt conuenire. Vt esset Roſtock q: Rodeſtock. Alii alias vocabuli comminiscuntur interpretationes, quas lubens prætereo.

Vrbis partes tres sunt, Antiqua, quæ tribus templis, nimirum D. Petri, D. Nicolai,& D. Catharinæ, necnon Iurisconsultorum collegio insignis est, Media, quæ brachio Varnæ ab Antiqua separata, templis D. Mariæ, D. Ioannis, nec non Curia & Grapheo, pulcherrimisque ædificiis & ciuium flore splendet. Et Noua, quæ collegiata D. Iacobi Ecclesia, tribusque aliis Spiritui Sancto, D. Michaeli,& S. Cruci dicatis templis, nec non Academiæ Collegiis octo exornatur.

Longitudo vrbis 2166. passuum est, latitudo, 825. ambitus 5500. si passum vlnæ æquipares. Ac parum distat longitudine sua ab Imperiali Lubeca, quæ 2150. passus longa,& 1300. fermè lata est.

Fora vrbis tria sunt. Forum Vetus, in quo cum plaustris rustici, lignis, carbonibus, hordeo,& id genus mercimoniis diuenditis, meridiari solent. Forum medium, in quo semel quotannis, exactis Pentecostes feriis nundinæ expediuntur,& quotidie omnis generis merces,& quæ ad quotidianum vsum necessaria sunt, venalia habentur. Et Forum Lupuli, quod & Forum Equarium,& Forum latinum dicitur. Lupuli: à lupulo, qui in eo mercede inscribitur. Equarium: ab equis, qui stato tempore in eo venduntur. Latinum: à circumiacentibus collegiis, in quibus Latina & Græca linguæ traduntur.

Ædificiorum, pro more harum regionum, vltra mille sunt fastigiata, reliqua numero innumero innumera transuersa omnia, ac ex hisce coniunctis 250. Zythi coquendi priuilegio donata.

Vici seu Plateæ, ab vno angulo ad alterum computando, centum & quadraginta ferè numerantur. Quarum nonnullæ à portis vicinis nomen acceperunt, vt Lapidea, Cygnea, Bramouiensis &c. Quædam ab inhabitatoribus, vt platea Piscatorum, Fabrorum, Carnificũ, &c. Quædam à familiis vrbis principibus, quæ eas aut primitus incoluerunt, aut etiam magna ex parte excitarunt, vt platea Monachorũ, Cosfeldiorum, Lagestratorum, VVokrendiorum, Eselfororum,& Snickmannorum. Quædam à situ & euentu, aliisque nescio quibus rebus, nomenclaturas ad posteros transmiserunt, vt platea longa, lata, aspera, angusta, vaccinea, sanguinea, aquatica, rutea,&c.

Portæ vrbis, quæ vehicula admittunt, olim septem fuerunt, hodie duabus obturatis quinque restant. D. Petri, qua in Pomeraneam itur. Molitorũ, quâ in Marchiam profectio instituitur. Lapidea, qua Cygneam & Bucephaleam, Kropelinensis, qua VVismariam ac Lubecum, & Bramouiensis, qua Varnæmundam proficiscitur. Præter has sunt qnatuordecim aliæ singulæ à plateis suis & Varno fluuio, qua ducunt, nomenclationem meruêre.

Pontium extra vrbem negotiationis & apricationis gratia supra Varnam eductorum, consumpto vetustate vno, sex supersunt, & totidem intra vrbem, qui è noua in veterem ciuitatem commeantibus sunt superandi.

Ciues seu incolæ Vrbis, etsi ad seditionem admodum proni, tamen plerique sunt culti multoque multis mediterraneis cultiores, cùm quia iuuenes in aliis etiam longinquis Academiis bonis litteris operam dederunt, tùm quia longissimè nauigant, non solum ad Septentriones, vbi omnia putantur esse horridiora, sed etiam ad ea loca, in quibus alii aliis sunt politiores. Quod autem iudicia quorundam κυκλωπικά, à literatis ad literas sint alieniora, id paucorum tenebrionum culpa accidit, qui petulantiâ suâ & nocturnis tumultibus bonos homines sæpe offendunt. Sanè præcipuorum Ciuium eximia est erga litteratos beneuolentia,& plerique suos liberos nullis parcentes sumptibus ad studia literarum adhibent. Cuius rei testes sunt tot præstantes & clarissimi viri, hac in Vrbe nati, qui partim in hac republica patria & vicinis, partim in potentissimorum Regum & Principũ aulis, consilia gubernationis regunt, partim Ecclesias & Scholas gubernãt.

Mercatura seu negotiatio maritima magna dedit Vrbi huic incrementa,& ciuium multos ad insolitam opulentiam euexit, qui farinam & cereuisiam in Daniam, Norvvegiam, Islandiam & Sueciam: Olyram, triticum & asseres Noricos in Belgicnm, Scotiam, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, aliasque amplissimas Europæ regiones summa copia important,& viciſſim ex illis butyrum, pecudes, pisces muriaticos & induratos, ligna, trabes, tabulas quercinas, pineasque, ferreas laminas &c. Ex his sal, aromata, pannum, varia vina, eaque pretiosissima reducunt & magno cum lucro diuendunt.

Ceruisia Rostochiensis, cuius plus minus 250000. tonnæ, ab 250. certis tantum Zythepsis quotannis coquuntur,& longè lateque nauigiis auehuntur, cunctis septentrionalibus, ob bonitatem & excellentiam saporis, præstantior & salubrior est. Ac vt inter vina Germanica Rhenense, sic hæc ferè omnibus aliis antecellit, optime nutrit, vires corporibus addit, robustos efficit, aliquot annos præsertim Martiana durat,& si modicè; quantum nimirum cuiusuis natura non gula expetit, bibatur, mirificè principalia membra corroborat, confortatq;.

Numerum septenarium apud priscos huius Vrbis incolas in summa fuisse veneratione, præter vulgus hi Germanici, de septem rebus celebrioribus, quibus gloriari antiquitus incolæ solebant, rhythmi attestantur.

Söuen Doren tho S. Marien Karcke
Söuen straten van den groten marckde/
Söuen dhöre so dar gohn tho Lande/
Söuen kopmans brüggen by dem strande/
Söuen törne so vp dem Radthuß staan/
Söuen klocken de dar daalyken schlann/
Söuen Linden vp dem Rosengarden/
Dat syn der Rostocker kennewarten.

Insignia vrbis, pinguntur quadrupliciter. Aut gryphe solo: aut gryphe in campo, Si ita loqui liceat vt vulgus loquitur aut brucano solo: aut ex tribus hisce coniunctis, quibus aurea corona & nouem vexilla superadduntur. Gryps vel gryphus: qui omnia fere animalia superare dicitur animum magnanimnm & fortitudinem. Bucranum, fidelitatem & fidẽ, quam Bucephalus Alexandro Magno domino suo (à quo hodierni Megapolitani Principes orti.) egregiè nauauit. Deauratum diadema, Regem conditorem. Vexilla, victoriæ præmia denotant. Galea clausa; maiorum antiquitatem & simplicitatem, in ipsis etiam tenebris rectum & iustum (quod multi clathratis & apertis galeis hodie vix possunt) cernenti, subindicat. Color clypei rubens; studium erga religionem: Candidus: fidei exordia animorum puritate dilatata. Cæruleus: cælum sic mereri, tacitè arguit. Atque hæc insignia sua fide, industria & labore, quemadmodum & amplissima priuilegia multa ab illustrissimis & clementissimis suis Principibus promeruêre.

TOPOGRAPHIA VRBIS ROSTOCHII DESCRIPTIO D. PETRI LINDEBERGII. R.



OSTOCHIVM, quæ olim Lacinium, & corrupte Rhodopolis & Laceburgium vocata, vrbs est Vandalica, Anseatica, Maritima & Megapolitana, & præ multis aliis Germaniæ, cuius hæc ad Boream limes, vrbibus præcipuis, litterario simul & mercatorio emporio clarissima. Megales' poleos Principibus semper paruit, à quorum Maioribus circa epochæ Christianæ annum 329. lembus initijs instar pagi ad Varnam amnem condi incepta, & postea à Godescalco Obetritarum Rege in oppidulum conuersa, ac demum anno Dei hominis 1160. à Pribislao seu Primislao II. Nicoloti filio, & Obetritarum seu Herulorum Rege Rege quadragesimo & vltimo, ex vicinæ, & tum ab Henrico Leone desolatæ, vrbis Keslini, (terræ Laciniæ metropolis) ruderibus, muro cincta, fossâ munita, inque vrbis formam est instaurata.

Nomen vrbis Vandalicum est, diuisionem seu dissolutionem aquarum significans. Et Roſtzock vel Roſzock olim fuit appellatum, vt Poloniæ historiographi, qui terram vliginosam vocabulum illud interpretantur, & sigillum vrbis maius adhuc attestatur. Alii à vicino vrbi Rosarum horto & fragantibus rosis, nomen deducunt, vt esset Roſtock q: Roſenſtock. Quibus ego non subscribo, quòd sententia eorundem nec authoritate nitatur nec rationibus, & vrbs antiqua longè ante Rosarum hortum sit condita. Alii, vt laudatissimæ vrbis Massiliæ Græcum nomen à piscatoriâ naue & portus commoditate ortum, ita hanc vrbem nominatam existimant à columnâ rubeis in signibus notatâ, ad quam piscatores propter fluminis & propinqui maris vbertatem in vicinia habitantes vsitato more soliti sunt conuenire. Vt esset Roſtock q: Rodeſtock. Alii alias vocabuli comminiscuntur interpretationes, quas lubens prætereo.

Vrbis partes tres sunt. Antiqua, quæ tribus templis, nimirum D. Petri, D. Nicolai, & D. Catharinæ, necnon Iurisconsultorum collegio insignis est, Media, quæ brachio Varnæ ab Antiqua separata, templis D. Mariæ, D. Ioannis, nec non Curia & Grapheo, pulcherrimisque ædificiis & ciuium flore splendet. Et Noua, quæ collegiata D. Iacobi Ecclesia, tribusque aliis Spiritui Sancto, D. Michaeli, & S. Cruci dicatis templis, nec non Academiæ Collegiis octo exornatur.

Longitudo vrbis 2166. passuum est, latitudo, 825. ambitus 5500. si passum vlnæ æquipares. Ac patum distat longitudine sua ab Imperiali Lubeca, quæ 2150. passus longa, & 1300. fermè lata est.

Fora vrbis tria sunt. Forum Vetus, in quo cum plaustris rustici, lignis, carbonibus, hordeo, & id genus mercimoniis diuenditis, meridiari solent. Forum medium, in quo semel quotannis, exactis Pentecostes feriis nundinæ expediuntur, & quotidie omnis generis merces, & quæ ad quotidianum vsum necessaria sunt, venalia habentur. Et Forum Lupuli, quod & Forum Equarium, & Forum latinum dicitur. Lupuli: à lupulo, qui in eo mercede inscribitur. Equarium: ab equis, qui stato tempore in eo venduntur. Latinum: à circumiacentibus collegiis, in quibus Latina & Græca linguæ traduntur.

Ædificiorum, pro more harum regionum, vltra mille sunt fastigiata, reliqua numero innumero innumera transuersa omnia, ac ex hisce coniunctis 250. Zythi coquendi priuilegio donata.

Vici seu Plateæ, ab vno angulo ad alterum computando, centum & quadraginta ferè numerantur. Quarum nonnullæ à portis vicinis nomen acceperunt, vt Lapidea, Cygnea, Bramouiensis &c. Quædam ab inhabitatoribus, vt platea Piscatorum, Fabrorum, Carnificū, &c. Quædam à familiis vrbis principibus, quæ eas aut primitus incoluerunt, aut etiam magna ex parte excitarunt, vt platea Monachorū, Cosfeldiorum, Lagesttatorum, VVokrendiorum, Eselforotum, & Snickmannorum. Quædam à situ & euentu, aliisque nescio quibus rebus, nomenclaturas ad posteros transmiserunt, vt platea longa, lata, aspera, angusta, vaccinea, sanguinea, aquatica, turea, &c.

Portæ vrbis, quæ vehicula admittunt, olim septem fuerunt, hodie duabus obturatis quinque restant. D. Petri, qua in Pomeraneam itur. Molitorū, quâ in Marchiam profectio instituitur. Lapidea qua Cygneam & Bucephaleam, Kropelinensis, qua VVismariam ac Lubecum, & Bramouiensis, qua Varnæmundam proficiscitur. Præter has sunt quatuordecim aliæ singulæ à plateis suis & Varno fluuio, qua ducunt, nomenclationem meruêre.

Pontium extra vrbem negotiationis & apricationis gratia supra Varnam eductorum, consumpto vetustate vno, sex supersunt, & totidem intra vrbem, qui è noua in veterem ciuitatem commeantibus sunt superandi.

Ciues seu incolæ Vrbis, etsi ad seditionem admodum proni, tamen plerique sunt culti multoque multis mediterraneis cultiores, cùm quia iuuenes in aliis etiam longinquis Academiis bonis litteris operam dederunt, tùm quia longissimè nauigant, non solum ad Septentriones, vbi omnia putantur esse horridiora, sed etiam ad ea loca, in quibus alii aliis sunt politiores. Quod autem iudicia quorundam κυκλωπικὰ, à literatis ad literas sint alieniora, id paucorum tenebrionum culpa accidit, qui petulantiâ suâ & nocturnis tumultibus bonos homines sæpe offendunt. Sanè præcipuorum Ciuium eximia est erga litteratos beneuolentia, & plerique suos liberos nullis parcentes sumptibus ad studia literarum adhibent. Cuius rei testes sunt tot præstantes & clarissimi viri, hac in Vrbe nati, qui partim in hac republica patria & vicinis, partim in potentissimorum Regum & Principū aulis, consilia gubernationis regunt, partim Ecclesias & Scholas gubernāt.

Mercatura seu negotiatio maritima magna dedit Vrbi huic incrementa, & ciuium multos ad insolitam opulentiam euexit, qui farinam & cereuisiam in Daniam, Noruvegiam, Islandiam & Sueciam: Olyram, triticum & asseres Noricos in Belgicum, Scotiam, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, aliasque amplissimas Europæ regiones summa copia important, & vicissim ex illis butyrum, pecudes, pisces muriaticos & induratos, ligna, trabes, tabulas quercinas, pineasque, ferreas laminas &c. Ex his sal, aromata, pannum, varia vina, eaque pretiosissima reducunt & magno cum lucro diuendunt.

Ceruisia Rostochiensis, cuius plus minus 250000. tonnæ, ab 250. certis tantum Zythepsis quotannis coquuntur, & longè lateque nauigiis auehuntur, cunctis septentrionalibus, ob bonitatem & excellentiam saporis, præstantior & salubrior est. Ac vt inter vina Germanica Rhenense, sic hæc ferè omnibus aliis antecellit, optime nutrit, vires corporibus addit, robustos efficit, aliquot annos præsertim Martiana durat, & si modicè, quantum nimirum cuiusuis natura non gula expetit, bibatur, mirificè principalia membra corroborat, confortatq;.

Numerum septenarium apud priscos huius Vrbis incolas in summa fuisse veneratione, præter vulgus hi Germanici, de septem rebus celebrioribus, quibus gloriari antiquitus incolæ solebant, rhythmi attestantur.

Söuen Dören tho S. Marien Karcke
Söuen straten van den groten marckde/
Söuen dhöre so dar gohn tho Lande/
Söuen kopmans brüggen by dem strande/
Söuen törne so vp dem Radthuß staan/
Söuen klocken de dar daalyken schlann/
Söuen Linden vp dem Rosengarden/
Dat syn der Rostocker kennewarten.

Insignia vrbis, pinguntur quadrupliciter. Aut gryphe solo: aut gryphe in campo, Si ita loqui liceat vt vulgus loquitur aut brucano solo: aut ex tribus hisce coniunctis, quibus aurea corona & nouem vexilla superadduntur. Gryps vel gryphus: qui omnia fere animalia superare dicitur animum magnanimum & fortitudinem. Bucranum, fidelitatem & fidē, quam Bucephalus Alexandro Magno domino suo (à quo hodierni Megapolitani Principes orti,) egregiè nauauit. Deauratum diadema, Regem conditorem. Vexilla, victoriæ præmia denotant. Galea clausa; maiorum antiquitatem & simplicitatem, in ipsis etiam tenebris rectum & iustum (quod multi clathratis & apertis galeis hodie vix possunt) cernenti, subindicat. Color clypei rubens; studium erga religionem: Candidus: fidei exordia animorum puritate dilatata. Cæruleus: cælum sic mereri, tacitè arguit. Atque hæc insignia sua fide, industria & labore, quemadmodum & amplissima priuilegia multa ab illustrissimis & clementissimis suis Principibus promeruêre.



ROSTOCHIVM VRBS VANDALICA



ANSEATICA ET MEGAPOLITANA



Templum D. Petri
D. Nicolai
D. Mariae
Porta lapidea
S. Joannis
S. Jacobi
Porta D. Petri
D. Catharinae
Collegium jurisconsultorum
Porta molitoru
Curia
Templum S. Spiritus
D. Michaëlis
Collegium philosophicum
Auditorium magnum
S. Crucis
Porta Kroepelinensis
Porta Bramoriensis

VARNVS FLVVIVS

Rusticorum
habitus Consulis Rostochiensis
Ciuis
Mulieris
Virginis
Ancillae

Familiæ perpetua successione, & generis claritudine felices, fuerunt olim hac in vrbe plurimæ, nimirum de Möncken/de Cosfelder/Wokrente/Fresen/Nachtrauen/Lowen/Wysen/Krusen/Roden/van Zelowen/van Otbergen/van Zeinen/van Aa/Witwen/ Kröne/ Kröpelin/ Kerckhöuen van Baggen/Büke/Kazow/Macken/Grenzen/&c. quarum posteriores, longa annorum serie transmissa, ad patrum vsque nostrorum memoriã peruenere, qui eas hisce Germanicis iisq; rudibus rhythmis, quos vetustatis non venustatis gratia appono, incluserũt.

Die WJTten/WJEde/WVEff/hebben HOElogen/
Vnd SCHWEMmen tho GREnz auer de AA/
Dat erföhren de van BAGGEN/BVKE/
Vnd BLESEN int horn/dat men ydt hörde/
Tho KROPELJN vp dem KERCKHAVE/
Do quam KAZOW tho MAKEN.

Vt ferê omnes Balthici littoris maiores ciuitates, Sic etiam Rostochium, in quatuor parochias diuisa est. Ex quibus olim collegiata versus Solis occasum Ecclesia D. Iacobo Templum, quod in vrbis meditullio situm, D. Mariæ, Quod ortum solstitialem spectat, D. Petro: Et quod Soli in Bruma exorienti exponitur, D. Nicolao consecratum est. Præter nominatas quatuor parochias alia quinq; in vrbe sunt templa, quorũ vni, nempè S. Spiritus, opulentum ptochodochiũ, reliquis quatuor Monasteria adiuncta sunt. Cœnobium D. Catharinæ, quod olim Franciscanis Monachis hospitium præbebat, hodie in nosocomium 80. pauperum conuersum est. D. Ioannis quod olim Dominicanorum fratrum erat domicilium, nunc scholæ triuiali, communi pauperum studiosorum mensæ: Sicuti D. Michaelis seu fratrum minorũ, Academiæ Concilio & studiosorum habitationi, antequam incendio deformaretur, destinatum est. S. Crucis, virginum Vestalium ad Deum conuersatum, etiamnum conuenticulum manet duorum extra vrbis mœnia templorum, alterum D. Gregorio inauguratum, perquam diti leprosorum nosodochio adhuc floret. Alterum D. Gertrudis patrocinio sacratum, tempore imminentis belli desolatum & dirutum est, remanente eiusdem cœmiterio, in quod, etsi aliquot centena hominum cadauera quotannis condantur, prorsus tamen nulla caluariarum, ossium, sarcophagorumque reperiuntur vestigia tellure intra spacium semestre, vel etiam citius omnia consumente. Cui non dissimilem ipsimet Romæ vidimus terram, in qua viginti quatuor horarum interstitio ossibus exceptis, totus homo consumitur.

Magistratus Vrbis duplex est: Vrbanus, & Academicus. Vrbanus, qui ex viginti quatuor viris constat, iterum quadruplex est. Primum obtinent Consules, alterum Cameratii, tertium Præfecti opificum, qui vernacula lingua die weddtheren appellantur, vltimum Prætores seu iudices.

Consulum quatuor numero sunt, nimirum Iacobus Lemmichius, Henricus Rungius, Fridericus Heinius I. V. D. & Ioannes Kellermannus. Hi summam præ cæteris potestatem habent, eorundemque vnus, quem Regentem seu verbi potentem dixeris, per vices & menses præsidet, partium querimonias audit, supplices libellos excipit, Senatum cogit, rem concilio proponit, & nomine eiusdem decreta pronuncians respondet.

Camerarii tabulis publicis præsunt, census oblationesque ciuium colligunt, vrbis munitionem, locorum communium renouationem, ædificationemque, & quæ extra vrbem terra fiunt, curæ habent. Præfecti opificum portus & maris inspectione, opificumque qui maximam vrbis partem colunt, intricatissimis causis distringuntur. Iudices creditorias debitoriasque caussas omnesque actiones criminales & ciuiles distinguunt, & facinorosos quæstioni subiectos morte condemnant. Præter nominatos, Senatorum alii *tabernæ Vinariæ & pharmacopolio, alii telonio & molendinis, alii domui tributariæ & monetariæ* præfecti sunt. Habent enim Rostochienses, Imper. Rom. & Principum suorum indulgentia, ius signandi argentum seu monetam cudendi, quamcunq; velint, aureos nimirum Vngaricos Rhenanos, Portugalenses, Ducatos, Ioachimicos argenteos, drachmas, semidrachmas, solidos, semisses, nummos, obulos, teruncios, &c. quemadmodum imperiales ciuitates. Magistratum Academicum sustinet Professorum vnus, Gymnasiarcha seu Rector dictus, qui supremam Vniuersitatis inspectionem habet, eiusdemque dignitatem. Iura & statuta fideliter tuetur, Studiosos regit, & omnia pro auctoritate sua exceptis arduis in negotiis dispensat. Quibus incidentibus Concilium, quod ex certo Professorum constat numero, cogit. In eo ipse Rector & Professores Theologi principem obtinent locum, alterum Iuris antistites, tertium Medici, infimum Philosophi, & cæteri artium doctores. Cancellarius Academiæ perpetuus est Episcopus Suerinensis, qui ex Professoribus alicui in publicis promotionibus, cum ipse interesse nequit, officium suum demandat. Sunt itidem Academiæ duo Professorum Collegia. Suum est Collegium Professoribus Principum: suum professorib. Senatus. Vtrunque suam vtilitatem sic procurat, vt vtilitati & dignitati alterius non officiat. Ipsam verò Academiam communi auspicio, Illustrissimi Principes Megapolitani & amplissimus vrbis Senatus, Anno 1419. duodecima Nouembris die aperuerunt, & communi adhuc iure eandem fouent & sustentant. Dimidiam Professorum partem Principes Megapolitani, dimidiam Senatus suis sumptibus alunt, qui coniunctim vnum corpus constituunt, & suo de numero alternatim, & bis quotannis, Rectorem eligunt.

Collegia Academiæ, excepto Auditorio magno, nouem sunt. Iuridicum, Philosophicum, Mediæ Lunæ, Aquilæ, Rubei leonis, Vniconis, Syluani, Portæ cœli, & D. Michaelis seu fratrum, quod iam Volcani violentia quorundam nebulonum incuria absorptum est.

PETRI LINDEBERGII R. IN Patriam suam Epigramma.

Vrbs generosa rosis, ROSEA, & generosa Roseto.
Est pandora Deûm, Teutoniæque decus.
Vrbs præclara rosis ROSEA, & præclara Roseto.
Est fœcunda sophis, & populosa viris.
Vandaliæ lumen, Phœbi rosa, balsamus Ansæ,
Sortis & omnigenis condecorata bonis.
Alma parens & nata simul Megalapolis oræ
Qui pote? natura filia, dote parens.
Iuppiter hâc olim faustus vixisset in vrbe,
Hæc si forsitan ei nota fuisset humus.

IDEM LINDEBERGIVS IN Hodœporico suo Italico.

Sed quid ego hæc? patriam tandem complectimur vrbem,
ROSTOCHIVM, quâ non alia oportunior vsquam
Perè situ est. si quis vel flumina pulcra, secundos
Nauigiis portus & opimas piscibus vndas
Inspiciat rectè. fœcundaue prædia cernat:
Seu mores hominum cultos, magnumque senatum.
Ardua templa, scholæ formam, collegiaque ampla.
Seu turbam spectet doctorum, ex asse virorum:
Hîc victus ratio est facilis, facilisque locorum
Temperies, tenui venduntur que omnia nummo.
Heic suauis terræ genius, potusque salubris,
Rostochiensis enim passim cereuisia cunctis
Laudatur populis, petiturque hinc inde frequenter.
Heic Musarum Helicon, quo se, seu fonte, iuuentus
Abluit, ac puris abstergit barbara lymphis.
Heic variæ naues, heic merces vnde paterna
Vrbs, Pandora Deum sine crimine, & altera Athenæ,
Possitq; Arctoa paradisus dicier Ansæ:
Falsa tenet Momus, quæ sunt verissima, Dixi.

HALLA SAXONVM.

HALLA SAXONVM, Etymologia græca; siue vt Geropius Becanus in suis Hyperboreis, non græca, sed cymbrica deriuatione à salis prouentu nominata, quemadmodum & Halla Sueuica, Halla in Rhetiis, & Halla, nobile in Hermunduris opidum. Et Hals, siue Halis in Comitatu Tyrolensi, vbi plurimum coquitur salis. Et, in Armenia Halis fluuius, græca voce, salsus, vt Straboni Geograpbo placet. Et demum & Halla Brabantia peregrinatione sacra illustris. Ita Halla ad Salam non ignobile Saxoniæ flumen (quod in celebri illo Pinifero monte, cum aliis tribus fluminibus ortum, quæ mirabili naturæ maiestate, ad quatuor cardines mundi promanant, vt Egra, Mœnus, & Naba) præclaras Saxoniæ vrbes, & inter eas Hallam, grata vicinitate salutans, in Albim se tandem exonerat. Quam à salis prouentu, nomen habere putamus. Cuius quidem salis fontes, admodum fructuosi & salutares, primum inuenti sunt, ante Christi natalem à Wendis, quos Hermunduros vocamus, quorum vbertas, vbi viciuis gentibus innotuisset, haud secus, quàm aureis fodinis, magnis conatibus ijs insidiati fuerunt. Hinc Catti anno Christi LX. eos, vt suos facerent, Hermundutos bello tentarunt, à quibus victi sunt & profligati. Multo post tempore, vt Crantzius lib. XI. Saxoniæ, cap. 15. refert, Guntherus Magdeburgensis Archiepisc. Hallensibus multa incommoda intulit, quia Salinarum prouentus, sibi, tanquam terræ domino, pro iusta parte deberi contendebat. Rursus, Anno 1478. Halenses, Salinarum causa, mutua seditione, non sine graui incommodo fuerunt dissecti, quod idem Crantzius libr. Saxoniæ 12. cap. 22. commemorat. Et in sua Metropoli libr. 12. cap. 14. Tumultuatum inquit, in ciuitate Hallensi, proprietarii Sartaginum in salina eius vrbis, honestum diu collegium, sed per opulentiam insolescens: non videbantur quiescere in opibus & vitæ deliciis, nisi etiam aduersus plebem superbirent, omnia in sua commoda vertere videbantur. Id cum boni viri ex plebe ferrent indignè, opposuere se maioribus: & indignatione concepta, armis correptis, libertatem defensitabant. Stabat diuisa ciuitas, Archiepiscopus imploratus à plebe, superuenit. & quod Æsopiana habet fabula, murem ac ranam colligatos, vt tranarent, pariter abduxit, hoc est, proprietariis & plebi durus erat. Magnã Salinæ partem in Ecclesiæ opus conuertit, constituitque à se peti vacuatarum possessionem. Ita per ipsorum ciuium instantiam & propriam inter se tumultuationem, libertas vtrorumque magna ex parte est correpta: cœpitque extruere ad mœnia insuperabilem arcem, domatricem in futurum insolescentia excrescentis, cum arx Ecclesiæ altera non inde longè permaneat, ex antiquis temporibus ibi firmata, cui nomen Gebekensten.

Harum Salinarum occasione, ex pago Doberabora, præclara hæc vrbs Halla excitata, abs Ottone eius nominis secundo, ciuilibus est priuilegiis dotata. Nunc administratoris Magdeburgici Marchionis Brandeburgensis sedes. Cuius elogium ex Georgio Sabino, clarissimo sui temporis poëta, hic latius commemorare libet.

Fumantibus Halla Salinis
Cernitur, vrbs oculis facta propinqua meis:
Cuius amœna virent, vt Tempe, pascua: cuius
Seminibus multis fœtus abundat ager.
Huc vbi peruentum: consulti tecta subibam,
Hospitio cuius non semel vsus eram.
Dulcia securis hic ocia rebus agentem
Continuos tenuit me mora quinque dies.
Interea templum memorabile, celsáq; vidi
Principis egregium regia quicquid habet.
Scilicet ad Zephyri flatus, solemque cadentem
Qua Sala contiguis mœnia stringit aquis.
Erigitur miris lapidum compagibus ædes,
Condidit Albertus nobile præsul opus,
Mauritio, diuæque sacrum, quæ vidit adorans
Prima, resurgentis numen & ora Dei,
Quando sub hortorum cultoris imagine Christus
Ad tumulum flenti, quid lacrymatis? ait.
Vestibulum sculptis insignibus, area templi
Strata pauimento versicolore nitet,
Cingitur aulæis paries festisque tapetis,
Quæ gens artifici Belgica pinxit acu:
In quibus elucent fuluo radiante metallo,
Aurea solerti stamina ducta manu.
Organa marmoreo pendent sub fornicis arcu:
Æmula cantantes hæc imitantur aues:
Ac sic vere nouo frondentibus abdita syluis,
Mille daret volucrum turba canora modos.
Hæc eadem raucis clangoribus æra tubarum,
Et referunt sonitu tergora tensa boum,
Tergora tensa, quibus violentos incitat hostes,
Bellicus insani Martis ad arma furor.
Quid loquar insignes, ad quas collata, tabellas,
Cedat Apellæo picta colore Venus?
Nulla sed effigies istic obscœna, nec vllum
Spurca locum turpis mater amoris habet.
Casta repræsentat tabulis pictura, luerunt
Quam graue supplicium turba professa fidem
Vtque pia natus de virgine rector Olympi
Nos docuit summi iussa verenda patris.
Et datus ipse neci genus hoc mortale redemit,
Quod voluit precium sanguinis esse sui.
Qualis & extremo venturus tempore mundi,
Ad nigra damnatos tartara Christus aget.
Nec quod imaginibus tantũmodo lumina pascit,
Diues in hunc vsum talia præsul habet:
Inde sed vt discant exempla sequenda piorum,
Historiæ si qui cognitione carent.
Est locus in medio qua iactat ad æthera templo
Sedulus alterna carmina voce chorus,
Ferrea cancellis ignobile ianua vulgus
Arcet, ibi magnæ conspiciuntur opes.
Plenaque collucent rutilis altaria flammis;
Fulget vt astrorum lucidus igne polus.
Omne quod argentũ fodit, omne quod eruit aurũ
Tota metalliferis Pannonis ora iugis:
Quodque Tagus, diuesq; vehit Pactolus: in vnum
Hoc tibi congestum dixeris esse locum.
Aurea nam gazas & opes æquantia Crœsi,
Stant super extructis hic simulachra tholis.
Carolus insigni spectandus imagine Cæsar.
Hic stat, & Augustum fert diadema comis,
Quale gerit summa cum maiestate verendus,
Regia principibus dicere iura solet:
Fulgentemque manu gladium, suspensaque collo
Aurea Phryxeæ vellera gestat ouis.
Astat & Albertus, qui talia sumptibus emit,
Hæc quibus est ædes condecorata, suis
Grandibus. hic duplicem gemmis auroq; coronã
Fronte gerit, dextra pontificale pedum.
Talibus innumeris simulachris ara repletur:
Ara ter excelsos quatuor alta gradus.
At super effigies argenteus eminet omnes,
Qui patrio ritu stat cataphractus eques.
Mauritiique refert procero corpore formam,
Cuius clausa pii militis ossa tenet.
Multus & extremo lapis hic Oriente petitus
Est, in Erythreis lectaque gemma vadis.
Ictibus infragiles Adamantes: totq; Smaragdi,
Quot vix diue tuus Marce senatus habet.
Albaque concharum pretiosæ germina baccæ,
Est quibus ingentis forma rotunda globi.
Hæc ego defixis oculis dum singula lustro,
Miror & immensas destupefactus opes:
Principe magnificam pompam ducẽte sacrorum,
Tympana cum lituis mota dedere sonos.
Festus agebatur, qui te paritura tonantem
Edidit in lucem, virgo beata, dies.
Longa sacerdotum qua templum turba subibat,
Lato pandebat limite vulgus iter.
Ipse sub insigni preciosis tegmine gemmis,
Ductus regali præses honore fuit.
Intertexta, genus patrium trahit vnde, nitebant
Inclyta Marchiacæ signa videnda domus;
Terribiles aquilæ, formidandique Leones,
Et quos semiferos India Gryphas alit.
Magnanimos inter proceres, equitesque secutos,
Quorum turba frequens ac populosa fuit:
Principis orando qui summa negotia tractat,
Vir celebri dictus nomine Turons erat,
Cuius ab ore velut resoluti nubibus imbres
Verba Pericleo culta lepore fluunt.
Iste mihi vacuum monstrans ex ære sepulchrum,
Hæc ea sunt, dixit, quæ monimenta vides,
In quibus Antistes post vltima fata quiescet,
Tunc vbi ventura morte solutus erit.
Digna sacro tumbam sententia præsule signat
Quæ quod vita breuis sitque caduca, docet:
Morte nec intereat virtus, quæ sola perennis
Effugit extremi tristia fata rogi.
Talia iussit enim, VIVIT POST FVNERA VIRTVS,
Grandibus inscribi verba legenda notis:
Hæc vbi vidissem, culti sacraria templi
Ingredior docto me comitante viro:
Pharmaca quo nemo miscente peritius ægris
Pæonia medicas applicat arte manus.
Innumeros calices hic aurea vasaque vidi,
Apta ministeriis, vsibus apta piis.
Ac plures chlamides gemmis auroque rigentes,
Quam quot luciferos integer annus habet.
Mollia prætereo quæ Seres vellera quondam
Nere, sed Ausonides iam didicere nurus.
Nec refero tinctas concha Sidonide vestes:
Nemo sacerdotum quas numerare potest.
Æditunus decies centenis millibus auri
Æstimat, hoc templum nobile quicquid habet.
At nihil in tantis opibus conspectius ipso
Præsule, rem sacram dum faciebat, erat.
Is pia solenni seu carmina voce canebat,
Siue precabatur supplice mente Deum:
Omnes quotquot erant magnates, omne videre:
Vulgus ad hunc oculos composuisse suos:
Nam quas principibus multis natura negauit,
Innumeras dotes corporis vnus habet.
Grandibus accedit facies heroica membris,
Qua vetus Heroum se genus esse probat:
Et patriis magnum virtutibus æquat Achillem,
Egregia cuius laude superbit aui:
Elucet pietas vultu: certissimus index
Vultus enim taciti pectoris esse solet.
Nulla parent oculis metuendi signa tyranni:
Mitior hoc vnquam principe nemo fuit.
Ipse suos populos sine vi, sine cæde gubernat:
Aspera nec præfert laudibus arma togæ.
Huius adhuc semper ciuilia bella diremit
Cognitus in dubio tempore pacis amor,
Nec sibi diuitias & auarus possidet aurum:
Largus habet promptas ad pia dona manus.
Fœlices ô Roma tuos omnesque futuros,
Ausonium quotquot nomen in orbe colunt:
Tempora triplicibus gesturus cincta coronis,
Si regat hic lacerum pastor ouile Dei.
Quæ modo palantes sine curatoribus errant,
Nullæ præda lupo destituentur oues.
Dura coercebunt inclusum vincula Ianum,
Ne tristi reseret condita bella manu.
Aurea restituet solidam concordia pacem:
Priscaque fulciferi secula regis erunt,
Et prope delubrum fossis munita profundis
Arx stat, & aerium tollit in astra caput.
Bucchemerus erat qui me comitatus euntem,
Hanc quoque visuri, nunquid eamus? ait.
Nec mora, festino me duxit in atria gressu,
In foribus quorum picta tabella fuit,
Ambigua referens ipsius imagine vultus,
Qui regit immensi Carolus orbis opes.
Per teres inspicias nisi luminis orbe foramen,
Hanc similem curuæ dixeris esse rati.
Quin etiam nostris ignotam vidimus oris
Exiguam pennæ versicoloris auem.
Hæc allata procul Nabathæis venit ab Indis:
A pedibus quibus est orba, vocatur Apus.
Ipse gerit simili raras ex alite pennas
Thracius in coni vertice Turca sui.
In mediis aulæ penetralibus, ænea moles,
Pyramidis factum surgit & instar opus:
Id septena mouet reuolutis sydera sphæris,
Quę vagus ambiguis cursibus error agit,
Talis erat stellas imitataque machina cœlum,
Facta Syracusii quæ fuit arte senis.
Quid memorãda tibi referam simulachra deorũ,
Quæ vetus artificum duxit in ære labor?
Et quibus exhibuit sacrum rude vulgus honorem,
Mundus adhuc expers cum pietatis erat?
Extrahit hærentem mœrens è vulnere spinam,
Indoluit fixum qua Cytheræa pedem,
Tunc vbi purpureum rosa, quæ fuit alba, colorem,
Duxit, Acidaliæ sanguine tincta deæ.
Prompta pharetratus iaculatur tela Cupido:
Ægida cœlatum Gorgone Pallas habet.
Thyrsifero pendent Lenæo fronte corymbi:
Mercurius loculis condita lucra gerit:

ORIENS SALINAE SAXONICAE ORIENS

Hall in Sachsen

SEPTENTRIO

MERIDIES

der new Marck

Die Moritzburg das Schlos

Das Barfüsser Closter, vbi Schola particularis celebris

Der Thum

Das new gebew

Der rote Thurn

Unser lieben Frawen Pfarkirch

Rathaus

Kornhaus

Sanct Uldrich

Sanct Mauritz

Sanct Georgen

Ziegel hutten

Sala fluuius

Die kleine Pfingst wiesen

A Die Salpeter hutten

OCCIDENS

Delineatum opera Johannis Mellingeri Halensis

ORIENS

HILDESHEIM

SEPTENTRIO

MERIDIES

S. Michaels Closter

Sanct Jacob

Das Rathaus

S. Georg

Sanct Andreas Pfarkirch

b Sanct Martin

c des Bischofs Hoff

Der Thum

Zum Heilgen Creutz

Sanct Paul

S. Lambert

S. Gotharts Closter

der Weidenberg

S. Nicolas

Das Carthuser Closter

OCCIDENS

Delineatum opera Johannis Mellingeri

Amplexiq; ligant spiris ingentibus angues,
Troia sacerdotem Laocoonta tnum:
Iliacos intra muros arcemque locari,
Completum Danais qui prohibebat equum.
Aurea conspicias nec non Idola neparum,
Quæ leuis aut formam papilionis habent:
Aut imitantur aues, dapibus quæ Phinea frandāt.
Hæc Anthropophagum gens simulachra colit.
Vidimus Arminii gladios ensesque verustos,
Quintilio Varo quæ peperere necem.
Deque rudi saxo factas lothoque secures,
Dura quibus nudum prælia vulgus init.
Belliger extremo quod Iberus in orbe subegit,
Vltra gemmiferæ littora Taprobanes.
Ramus & Assyrii mihi monstrabatur Amonii:
Longaque Niliaco canna resecta lacu,
Dulcia producens quæ condimenta ciborum
Intus natiui semina mellis habet.

Tum quibus vnguntur magnorum corpora regū,
Pinguia Iudæo Balsama nata solo:
Eximiæque leues auium, qnibus India vestit,
Membraque feruenti sole perusta tegit.
Et quæ proueninnt hibernis poma diebus,
Tempore quo nullas educat hortus opes.
Scilicet extremo cum Bruma decembre reducit,
Annua natalis tempora Christe tui:
Nudaque rigoribus pomaria Taurus adurit,
Aruaque candenti sub niue tecta latent:
Qua vicina iacet lato Maguntia Rheno,
Fructus insolito crescere more solent.
Præterea clypeum cœlatum mille lapillis
Vidimus, ipse quibus nomina Turca dedit.
Is fuit Eoi gestamen nobile Regis,
Diues vbi Phariam Nilus inundat humum.
Nautilon & rarum sub nauis imagine piscem
Qui secat æquoreas more triremis aquas:

Quæq; gerunt instar pictarum rostra volucrum,
Nata procelloso monstra stupenda mari.
Regis Amanthiadæ quid prisca numismata dicam
Ac tua, cornigero qui Ione natus eras?
Quidque figuratam curuo delphine tabellam,
Cnius tale lapis carmen adesus habet?
Dedicat æquoreis ereptus Lucius vndis
Scæuola, Neptuno munera vota Deo.
Est quoque gemma, potest in qua depicta videri
Vrbs vetus, à Drusi coniuge dicta ducis.
Olim visa fuit res mira, quod esset Homeri
Ilias exiguo tegmine clausa nucis.
Tanta sed ingeniis nunc est solertia nostris,
Ampla quod angustum mœnia claudit opus.

HILDESHEIMIVM.



ILDESHEIMIVM, siue Hildesium, Ascalingium Ptolomei, Irenicus perhibet, qui istius etiam loci Episcopos recenset, quod & Crantzius in sua Metropoli, & paulo accuratius Antonius Monchiacinus libr. 2. de primis Christianæ Religionis initiis præstat. Ex cuius quidem narratione constabit, diuersa & plurima ædificiorum & libertatum ornamenta, per suos Antistites, & auitam Religionem Hildesheimenses consequntos. Fuit quidem Episcopatus Hildesheimensis primùm in Saxonibus fundatus ac institutus à Carolo Magno Galliarum Rege, ac Imperatore potentissimo, Christianissimo, qui deuicto Saxonum Duce Widicindo, vt Religionem Christianam, per totam Saxoniam plantaret, & ab infidelitate ac idololatria, ad vnum ac verum Dei cultum conuerteret, studuit hunc episcopatum erigere apud Elzium, vel Aulam Regiam, pagum amœnissimum in concursu Sabæ & Linii fluuiorum situm ibi construxit basilicam futuro Episcopatui in honorem Principis Apostolorum S. Petri. Ob id Episcopatus primùm loco, Aulicensis dictus est. Translatus verò est tandem ab Imperatore Ludouico Pio, huius filio ex Aula Regia, trans fluuium Linensem, in locum, quem celitus missa niue, Hildeschne vel Hilgenschneæ, niuem sanctam, olim, nunc verò, parum immutata voce, Hildesheim appellamus. Vbi condidit Imperator prius templū D. Virgini sacrum. Et hîc cœpit Episcopus Guntarius à Carolo Magno antea designatus, primus Hildesheimensis dici: qui antea Aulicensis dicebatur. Id autem factum est Anno Domini DCCCXIV. Huius sedis & Ecclesiæ Cathedralis Antistites, ad hæc nostra vsque tempora, tali serie numerantur.

1. Primus Gunthariús, siue Guntherus, Episcopus Hildesianus anno 814. imperante Ludouico pio, præfuit annis 21. Condidit templum S. Ceciliæ prope prius inchoatum à Ludouico Imperatore D. Virginis sacellum arcis à se constructæ anno 835.

2. Rembertus, vel Erombertus, siue Erembertus, paucis mensibus præfuit, sepelitur in sacello arcis prope Antecessorem.

3. Ebtio, vel Eppo, Gallus natione Remensis Archiepiscopus, Danos ad fidem Christianā conuertit; hic constitutus est ab Ansgario Archiepiscopo Hamburgensi, ad quem confugerat, Archiepiscopatu Remensi deiectus. Præfuit annis 12. obijt anno 847.

4. S. Alefridus, siue Alfridus, Monachus Corbiensis Benedictini ordinis, Præfuit annis 18. Construxit Ecclesiam Cathedralem in honorem Dei Opt. Max. & B. Virginis. Ex propriis etiam & paternis redditibus fundauit Essendiense, illustrium & nobilium virginum Collegium, nunc libera est & Imperialis Abbatia: vbi honorificè sepultus, vniuersalem retributionis diem expectat: Fundauit etiam monasterium Selgenstadense, & Assurdense. Obiit anno 877.

5. Marquardus, præfuit annis tribus, trucidatur Hamburgi in grauissima afflictione Ecclesiastica, quæ Slaui & Dani per vniuersam Saxoniam, Wandaliam, & Nordalbingiam erumpentes, Episcopos cum fideli grege interfecerunt, Ecclesias cum Christianis incendentes, solo adæquarunt, & nullum trans Albim Christianitatis reliquerunt vestigium, quorum efferata barbaries, in ipsam Agrippinam Coloniam, & Aquisgranum peruenit.

6. Wigebertus, Medicus, ab aliis religiosus dictus, pręfuit annis quatuor, absoluit templum Gandisheimensis cœnobii, obiit, & sepelitur in Aulæ Episcopalis Sacello, anno 884. Albertus Crantzius, libr. 2. in sua Saxonia, huic tantum vnum regiminis annum tribuit.

7. Waldobertus, siue Walbertus præfuit annis XIX. obiit anno 903. Sepelitur in Basilica Cathedrali Hildesheimensi, iuxta Aram S. Ceciliæ. Is fundauit & constituit primum Ecclesiæ suæ Prælatum, Præpositum.

8. Gebhardus, siue Sigehardus, eligitur anno 903. Præfuit annis 25. Cathedralis Ecclesiæ suggestum laminis argenteis ornauit: humatus ante altare S. Ceciliæ.

9.	Diethardus, Monachus Hirsaugiensis. 28.	956
10.	Ochvvinus, Abbas Pergensis 30.	986
11.	Osdachus, diuitis Augiæ Monachus, 40.	990.
12.	Gerhardus, siue Gerlacus, 3.	993.
13.	S. Bernhardus Comes de Sommersburch, 3.	1014.
14.	S. Gothardus, 14.	1038.
15.	Dithmarus, Conradi Saliqui Sacellanus, 6.	1044.
16.	Aselmus, Henrico tertio Imperatore promouente, 10.	1054.
17.	Echilo, Gossariensis Præpositus, 25.	1079.
18.	Vdo, Comes de Aluenslene, 35.	1114.
19.	Bertholdus, Præpositus Ecclesiæ, 15.	1130.
20.	Bernardus, Comes Rottenburgius, 23.	1153.
21.	Bruno, 7.	1160.
22.	Hermanus Præpositus S. Crucis, 16.	1174.
23.	Adologus, siue Adelgadus, Goslariensis, 15.	1190.
24.	Berno, Ecclesiæ Decanus, 8.	1198.
25.	Conradus, ante Lubecensis Episcopus. 1. Resignat.	1199.
26.	Habordus, 9.	1208.
27.	Sifridus, siue Sigefridus, Fuldensis monachus, 1r.	1221.
28.	Conradus secundus. Sex Monasteria construxit atq; dotauit, 24.	1245.
29.	Henricus, Præpositus Herlgenstadensis, 20.	1257.
30.	Ioannes, tempore Innocentii Papæ, 4.	1261.
31.	Otho, Dux Braunsvvicensis, 19.	1279.
32	Siftidus, Comes de Quarfordt, 30.	1310.
33.	Henricus, Comes de Woldenberge: Comitatum Dassellensem Episcopatui donauit, 1310. præfuit annis 8.	1318.
34.	Otho, Comes de Woldenberge, 18.	1334.
35.	Schisma { Ericus, Comes de Schouvvenberg. Henricus Dux Braunsvvicensis.	1360.
36.	Ioannes, frater ordinis Prædicatorum, 2. Resignat.	1362.
37.	Gerardus de Monte, Prius Verdensis Episcopus, 33.	1398
38.	Ioannes, Comes de Hoia, Prius Paderbornensis Episcopus, 26.	1424.
39.	Magnus, Dux Saxoniæ inferioris, 28.	1452.
40.	Bernardus, Dux Braunsvvicensis, 7.	1459.
41.	Ernestus de Schonvvenburch, 11.	1471.
42.	Schisma { Hermanus de Hassia Archiepiscopus Colonien. Henningus de domo Balthasaris Ducis Megapolensis, 7.	1481.

43. Bertholdus de Landsperg ex illustri familia comitum de Schouvvenberch, Episcopus etiam Verdensis, vir animi & corporis dotibus excellens, in magnam controuersiam & bellum cum Hildesiensibus incidit, ob noua rerum venalium vectigalia ciuibus imposita. Id bellum vltra biennium protractum tandem vicinorum principum interuentu compositum est 22, 1503.

44. Ericius Dux inferioris Saxoniæ, cum vix vno anno præfuisset, resignat, 1. 1504.

45. Ericus quietis & otii amans, ad Metropolitanum Coloniense Collegiū Canonicus redit, & fratri Ioanni Duci Saxoniæ, Diœcesim Hildesimensem cedit, qui ab initio aliquot annis in summa tranquillitate & opulentia, adspirantis fortunæ, ventis secundissimis vsus est. Postea verò in extremas calamitates se, & totam Diœcesim moto aduersus Episcopum Mindensem & Duces Braunsvvicenses, bello, coniecit. In quo ab Imperatore Carolo V. proscriptus, omnibus ferè arcibus, opidis & præfecturis totius Diœcesis, sola Hildesia, Peina, Mariæberga, & Sturevvaldo exceptis, priuatur. In quo socius Episcopi Hildesiensis fœliciter initio bellum gerentis Henricus Dux Luneburgensis fuit. Durauit hoc bellum annos quatuor, quo finito, Episcopus, ordinaria iuris via se spoliatum restitui petiit coram Adriano Pontifice, qui causam commisit in Rota. Post, Braunsvvicenses Duces apud Clementem VII obtinuerunt, vt causæ cognitio Petro Cardinali Anconitano committeretur. Subsequitur deinde Vrbis Romanæ direptio & mors Commissarii, quæ Processum retardauit. Quem deinde Valentinus à Totleben, vlterius prosequutus fuit.

Balthasar.
Otho.
Valentinus à Tetleben.
N. Ab Obergen.
Ernestus. Dux Bauariæ, Archiepiscopus Coloniensis.

PRAGA.



N Germania sita est Boiemia. Ea fines ab ortu solis ad Marcomannos & Quados, ab occasu ad Noricos protendit; Meridionalem eius plagam Pannonia superior, nūc Austria dicta, occupat, sicut Saxonica & Misnia Septentrionalem. Vniuersam Hercynia sylua perpetuo ambitu cingit, clauditque circum vndique ad Amphitheatri faciem. Vrbes habet immediatè regno subiectas vltra triginta, reliquas autem Principes regni, primates, Barones, Comites, atque nobiles sibi vendicant. Praga, Casurgis Ptolomæo, Regni caput est. Vrbs amplissima, Præsulum, Principum, & Regum inclyta sedes, Imperatoris Caroli Quarti patria, ad ripam Muldauiæ fluminis, in amœnissima & patentissima valle, inter colles & vineta, cœlo saluberrimo sita, tanta magnitudine, vt vna tres amplissimas vrbes complectatur, Veterem, Nouam, & Tertiam, quam paruam vocant, à duabus prioribus flumine Muldauia, disiunctam, quæ singulæ suam peculiarem habent iurisdictionem, suumque proprium Senatum. Praga vetus dextrum latus Muldauiæ occupat: in ipsa vallis planicie, vniuersa magnificis adornata operibus, inter quæ celebriora habentur, Prætorium, seu Senatoria domus, cum turri: læta curia, cum templo Deiparæ virginis: Academia Imperatoris Caroli Quarti, cum aliis nonnullis Collegiis: Emporium Pannicidarum & pellionum: Curia vetus, vulgo Ruchta: Duæ domus, quondam regiæ, in quarum vna iam cuditur moneta: Xenodochium apud pontem. Taceo multa templa, suos habentia parochos. Scholas, quæ in huius libri typo, suis insignita nominibus, sese lectori diligenti, ob oculos statuunt. In turri Prætoriana, est insigne horologium, cui par vix in toto orbe terrarum reperiri, multi, & quidem præstantes artifices, putant, quantum ad artis excellentiam attinet: nam, si externa spectetur forma, elegantiora multa alia inueniri non negant. Cōtinet autem hoc horologium reuolutionem totius anni, cum recto cursu Solis & Lunæ, numeroque certo mensium atque dierum & assignatione calendarii, seu festorum integri anni, habens item ortum & occasum, meridiemq;, altitudinem Solis & Lunæ, solstitia, æquationes, quantitates dierum ac noctium, incensiones, oppositiones, & quadras Lunæ, cum cœlesti cursu congruentes iuxta motum non solùm naturalem, sed violentum quoque, similiter ortum atque occasum 12. signorum Zodiaci, numerum item horarum triplicium, videlicet, integri, & dimidii horologii, atque horarum inæqualium, seu planetarum omni tempore concordantium, quas horas ostendit vna & eadem manus seu index, qui mobilis existens, cum ipso sole, de vno signo Zodiaci in aliud per vnum gradum singulis totius anni diebus, transit. Infra sphæram horologii forinsecus est alia grandis sphæra, cui inscriptum est diarium, seu calendarium, vbi angelus à latere collocatus, quotidiè præsentem diem, virgula longa demonstrat. Parte ea, quæ magis vergit ad flumen inflexum, versus septentrionem, Iudæi suas fixerunt sedes, quæ magnitudine iustum opidum æquare possunt. Nouam Pragam à veteri, distinguit fossa quædam, olim quidem profunda, & vtrinque munita muro, sed quæ iam labefactatis mœnibus magna ex parte complanata, in areas & hortos cessit. Hæc quoque ciuitas, ampla est, & vltra aliquot nobiles colles protenditur, quorum vnum S. Caroli, alterum S. Catharinæ, illum Monachorum, hunc monialium sedem, tertium S. Apollinaris, quartum Monasterium Slauorum: quintum Visseh radum appellant, in quo ruinæ veteris Arcis hodie conspiciuntur, quæ quondam Regum Boiemiæ sedes fuit, nunc bellorum ciuilium iniuria, vasta & penè desolata. Nouam hanc Pragam Carolus quartus Imperator Boiemiæ Rex (Venceslaus in Baptismate primùm nuncupatus, in Confirmatione post à Rege Franciæ Carolo, apud quem pueritię rudimenta exegit, Carolus cognominatus) primùm excitauit, nouis illam templis, nouisque Sacerdotiis & omnib. rebus vitæ necessariis instruens. Nam & quos vocant Canonicos Regulares, & Carmelitas, & Ambrosianos, & Augustinianos, per singula contubernia distributos, in illam inuexit. Legit item seorsim contubernales, qui se Sclauos cognominabant, authorem religionis suæ D. Hieronymum cientes, quem hoc nomine Carolus peculiariter veneratus est, quòd in Illiria natus fuerit, vnde Boiemi originem trahunt. Mox sub nomine Caroli collegium præterea Sacerdotum constituit, & alterum ad Diuum Apollinarem, ex doctoribus, Sacerdotibus, qui alios quoque sacras literas docere possent. Ab vtroque non longè abest arx Vice Gradensis, quam ille denuò, muro, propugnaculis, crebris turribus cinxit. Quanquam vna illa turris, quam ponti Pragensi superposuit, facilè alias vincat omnes decore, elegantia, & artificio. Huius Caroli Regis virtutibus & conuersatione Magnates ac Principes illecti, nouis ædificijs & egregijs domiciliis Pragam exornarunt. Ipse Saxoniæ Dux, occupata iuxta Pontem Pragensem, de consensu Caroli area, domum sibi à fundamentis excitauit, præter cætera, viuariis vitreis vsque ad supremam contignationem subductis, vt pisces in illis natantes, commodius à prætereuntibus conspici possent, adornatam. Fridericus item Burgundiæ Princeps, domum sibi insignem Pragæ ædificauit, cui sacellum D Martini coniunxit. Nonnulli autem Ducum ædificatas domus mercabantur, vt in suo potiùs, quam in alieno Pragam sæpissimè venientes, habitarent cum eo Cæsare, qui cum illis seria iocosque, qui venationes & conuiuia, non minore familiaritate, quàm liberalitate & comitate exercebat. Habet quoque insignem curiam, & sacras ædes multas. Parua Praga sinistrum Muldauiæ latus tenet. Est autem à veteri Praga, in minorem, pons amplissimus, supra Muldauiam quadrato saxo constructus, in sedecim magnos arcus, seu fornices porrectas, habens in aditu, & in exitu duas insignes turres peruias, quo ponte, in tota Europa vix est celebrior alter, si robur spectes. Longitudo huius est 872. cubitorum Pragensium, latitudo, quantum quatuor currus, iuxta se collocati, occupare possunt. Minori Pragæ ab vna parte coniungitur opidulum Augezd: ab altera parte collis, in quo, præter opidum Hradezan, sita est arx S. Venceslai, quæ quemadmodum dicitur, ita iure optimo haberi debet, Regia, quippe, non Arcis modò, sed vrbis potiùs speciem repræsentare videtur, tantum videlicet loci mœnibus ædificiisque occupat, dignum & tutum Regibus domicilium præbet. Palatium est amplissimum, in longitudine 212. in latitudine 30 pedes continens: Supernè, miro artificio est cameratum nulla interim columnari basi: seu fulcro sustentatum. Infernè pauimentum tam firmum habet, vt aliquot centuriæ equitum in eo consistere, & hastis concurrere possint, quale certamen, seu torneamen, eo in loco exercebatur anno 1549. præsente Mauritio, Saxoniæ Electore. E sublimi, pendent quatuor candelabra, ex Aurichalco fabrefacta, magnitudine & opere illustria, Senatus Nurimburgensis ad Cæsarem Ferdinandum honorarium munus. Hic augustissimum est S. Viti templum, in cuius aditu talis habetur inscriptio: Anno Iesu Christ. salutis 923. Sanctus Ven-



PRAGA
Regni Bohemiæ metropolis

ctus Venceslaus martyr, & Dux patriæ: post martyrium auiæ suæ, Ludmillæ, primùm hic Beato Vito Martyri templum ædificauit: quod S. VVolffgangus, Episcopus Ratisponensis, consecrauit, anno 908. Boleslaus Pius, Episcopi sedem fecit, cuius secundus Episcopus S. Adelbertus Anno 996. apud Prutenos martyrio coronatus, & ex Gnesna ciuitate huc translatus, peculiare sacellum adeptus est. Atqui Spitigneus II. Dux, Anno 1060. post S. Procopii obitum, annis septem, è templo S. Viti, ac item S. Adelberti vnum, idque augustum, cōstruxit, sed cùm hæc omnia Anno 1142. hostili arcis direptione corruissent, Rex Ioannes primus Anno 1344. chori huius fundamenta iecit, atque in Metropolitanam Ecclesiam erexit. Filius autem Carolus 4. Rom. Imperator, etiam S. Sigismundi Regis, & martyris, multorumque sanctorum reliquiis, anno 1366. ditauit, & muneribus auxit. Quibus Rex Venceslaus, eiusdem Caroli filius, Anno 1392. Posteriorem templi huius partem adiecit: deinde casu publico Anno 1541. exusta, Ferdinandus I. Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Anno 1555. eadem hæc & instaurauit, & ornauit: Hactenus inscriptio. In hoc templo videre est busta regia, in quibus iacent Imperator Carolus 4. eiusq; coniuges, Blanca Anna vna, & altera Elisabet, & filius Venceslaus, Romanorum, ac Bohemiæ Rex, nec non Ladislaus, & Georgius, Bohemiæ Reges, denique Maximilianus II. Anno salutis 1577. Ratispona huc translatus. Regina Anna, inuictissimi Cæsaris Ferdinandi coniunx. Et hæc conditoria sunt contigua. In aliis autem sacellis, & diuersis locis, eiusdem templi extant varia monumenta Episcoporum, Principum, & Regum, & in his quoque Ottagari Regis, qui cum Imperatore Rodolpho prælio decertans, victus & trucidatus est. Animosus sanè Rex qui maluit cadere, quam cedere illi, quem antea habuit ministrum aulæ suæ præfectum. Adde tumulum Barbaræ, coniugis Sigismundi Cæsaris, iuxta quem visitur sacellum, memoratu dignum, ab Imperatore Carolo, 4. munitissimè extructum, lapidibus viridibus, & puniceis, instar gemmarum, relucentibus, & auro intertexto, ornatissimè variegatum, in quo sacello corpus S. Venceslai, Bohemiæ Ducis, & martyris tumulatum, quiescit. Et tanta priscorum regum in hunc Diuum tutelarem fuit obseruantia, & religio, vt corona Regni, non alio loco, quam in sepulchro, & super capite huius Sancti Martyris reposita seruaretur. Atque hæc consuetudo, ab aliquot sæculorum serie perstitit immota, vsq; ad turbulentissima Ziscę tempora, vbi cùm propter ciuiles factiones, tumultus tumultu cumularetur, corona in arcem Karlstein/ vtpote in tutiorem custodiam translata est. Plura insuper sunt vrbis Pragensis ornamenta, quæ breui oratione commemorari nequeunt, vt, quod Antistitem sacrorum ministrum habeat, qui ArchiEpiscopali dignitate præfulget, Et id quidem Caroli Regis & pii parentis singulari beneficio, qui Ecclesiam Pragensem à Moguntino eximens, in Metropolitanam erigi impetrauit à Clemente VI. Dehinc ab Vrbano quinto, ArchiEpiscopum Pragensem Legatum natum creari procurauit. Cuius Legationi Ratisponensis, Bambirgensis, Misnensis, Olumucensis, & Litomislíensis Ecclesias Episcopos, clerum & populum subiugauit. Ad hæc, idem Imperator Carolus, vniuersitatem & Generale Studium Pragæ instituit, artiumque professoribus stipendia, libertates, domus insignes, magnificè largitus est, ac per Innocentium sextum corroborauit. Æneas Syluius scribit, quod Imperator aliquoties in Scholam hanc suam ingressus, quatuor integras horas magistrorum disputationes auscultarit, cumq; id purpurati molestè ferrent, & tempus cœnæ adesse inclamarent, responderit, mihi tempus est, vobis minimè, nam cœna mea hæc est. Egregium præterea hic idem Carolus Imp. Collegium extruxit, atque insignem bibliothecā, quam Hussitæ per summam impietatem diripuerunt. Similiter Heluigis Polonorum Regina, circa annum Domini M.CCCC Collegium addidit Lituanorum quod Reginæ collegium vocabatur, & liberaliter possessionibus multis dotauit, vt in eo Lituani sui erudirentur, sed iam intercidit, per crudelissimam Hussitarum immanitatem. Sed Ferdinandus primus, & Maximilianus II. Romanorum Imperatores, per ordinem Societatis Iesu, accuratissimè eam restaurarunt. Cuius quidem ordinis Professores iuuentutem ac plebem tantā diligentia erudiunt, vt ex Hussitarum reliquiis plurimi ad veram sapientiam, hoc est, ad vniuersalem Romanam Ecclesiam redeant, Et Ecclesiastica bona, quæ iniqua successione à maioribus Hussitica lue infectis acceperunt, restituant.

Anno M.D.XVI. sub Ludouico, qui paternum Hungariæ & Boiemiæ regnorum decus, Legitima successione acceperat, per ætatem nondum regimini idoneo, diuersis in Boiemia factionibus ortis, Pragenses, vt talibus occasionibus fieri solet, suas quoque res non negligenter curarunt, Id agere cœperunt, vt ex duabus ciuitatibus vnam facerent, serius licet secum reputantes, quod adunata, quàm diuisa virtus, & fortior & tutior esset. Vnum igitur ius, vnumque Magistratum in vtraque ciuitate constituunt, fossas complanant, portas reserant, pœnamque exilii perpetui contra eum sanciunt, quisquis constituta turbare ausus fuerit.

SVIBVSIVM.



SVIBVSIVM, etsi vetus Silesiæ opidum, tamen rara in historiis eius fit mentio. Sonus appellationis non est alienus à nomine Sueuorũ, vel, Siciorum. Possibile est igitur hæsisse in hoc loco veterem appellationem: Situm est vltra Viadrum versus Aquilonem & Poloniam.

Acerrime dimicarunt de hoc opido Marchiones Brandeburgenses & Poloni. Posteaquam enim Polonia fuit distributa inter multos, eosque discordes Principes, non fuit par Prutenis & Pomeranis, qui subinde totam illam oram hostiliter ferro & flamma percurrebant: Accersiti sunt igitur Germani ex Saxonia & aliunde, illisque datæ sedes, vt arcerent illos prædones ethnicos: collocatus est etiam eo ordo militum teutonicorum, qui nominantur S. Mariæ. Illi homines equestres & militares optimam operam nauarunt Poloniæ, & tandem ita illas gentes afflixerunt, vt fidem & imperium Christianorum acciperent. Sed demum parta victoria Poloni cœperunt litigare de finibus cum Germanis; & repetebant tractus illos, quos Germani suo sanguine emerant, tanquam suos. Inde orta sunt sæua & diuturna bella quæ nostra ætate sunt vix sedata.

Acerrime autem dimicarunt de parte illa, quæ nominatur Marchia noua, cum ducibus Poloniȩ maioris, Marchiones Brandeburgenses; & anno 1296. Primislaum Posnaniensem, cui ex longo interuallo imposita erat corona regni Poloniæ; nocte oppressum vicerunt & trucidarunt. Anno tricesimo post, Vladislaus Coctiuce Rex, adiutus à Scythis & Moschis, rursus crudeliter vastauit Marchiam & Silesiam.

Ita tunc variæ fuerunt vices huius etiam vrbis, quæ erat limitanea; & modo fuit in possessione Marchionum, modo Polonorum. Tandem vero opera regum Bohemiæ, qui erant recentes Domini Silesiæ, constitutis limitibus, attributa est duci Glogouiensi, & illius fit mentio sub annum Christi 1380. Iam tunc enim paruit Principi Saganensi.

Hæc fuit caussa, cur opidum minus cito creuerit, cum enim propter propinquam Poloniam semper esset in metu: propter loci tamen oportunitatem magna copia est ibi omniũ rerum necessariarum. Abest à Glogouia versus occasum solstitialem milliaribus decem.

Fuerunt olim cum ducatu Glogouiense coniuncta alia oppida plura, ditio tota Saganensis, quæ complectitur præter Saganum, Pribusium & Naumburgum, præterea Stinauia, Crosna, Zulichium: imo magna pars Poloniæ maioris, sed illi tractus iniquitate temporum sunt auulsi & distracti.

Sunt in ducatu isto adhuc alia opidula ignobilia & parua, partim vetusta partim recentia, inter quæ primum locum tenet Bethania, quam veteres nominarunt Bythoniam. Habuit olim arcem satis munitam, quæ anno 1109. sustinuit oppugnationem Henrici Quinti Cæsaris, sed ea tunc sita fuit in colle quodam excelso prope ripam Viadri, quem iam in vineam conuertit vir nobilis & optimus, dominus loci, Wolffgangus Glaubisius. Distat spatio ferme medii milliaris ab eo loco, vbi nunc est Bethania.

Nam posteaquam vetus oppidum in motibus bellicis fuit intonsum, incolæ migrarunt in ripam paulo inferiorem & magis occidentalem. Sed cum Glogouia subinde augeretur, Bythonia non potuit coalescere, & collegium virginum migrauit Sprottam. In locum vero Virginum immigrarunt Monachi Saganenses, quos tunc Principes locupletabant. Nunc dominus opiduli est D. Fabianus Schoneichius.


In eodem territorio Glogouiense, est aliud opidulum Polcouicium etiam vetus, quod multis seculis paruit principibus Glogouiensibus. Prope Curam est Cœbena, quæ cœpit sub Henrico Barbato. Ad Freistadium sunt opidula recentia Neustadia & Vartenberga. Vbicumque enim nomina sunt Germanica, structuræ sunt nouæ. Ad Sprottam est Primislauia, sic nominata à principe Sprottensi, qui celebratur hoc nomine, quod fuerit diligens in augenda & ornanda sua ditione. Hæc ex gentis Silesiæ annalibus Ioachim Curei Mathematici & medici Glogouiensis.



Maximilian von Knobelsdorff
Hauptman vnd Landsher
auff Swübuschin, Rom. Kai. Mait.
Camerat in Schlesien.

Die Stat SWYBVSCHIN in nider Schlesien





a. Pastej.
b. zu Glogischn thor.
c. Lustgarten.
d. Schutzengartn.
c. Gross pastej.
f. Zeughaus.
g. Buttelej
h. Vnser lieben Frawe (kirche.
i. Weidtfarbe haus
k. Spital zum Heiligen Geist.

RATISPONA.



Atiſpona, vetuſta Rhetiæ ſecundæ, Danubiana,& Imperialis vrbs, cui varia nomina ſcriptores tribuerunt. Tradunt enim Auguſtam Tiberii, & Tiberinam appellatam à Tiberio conditore,cuius memoriam in antiquo lapide extare,ſcribit Onuphrius. Goltzius adducit nummum Tiberii cum huius inſcriptione. COL. AVG. TIB. Regenſpurg / vt Auentinus ſcribit. Hanc Regensburgium ſcribit Simlerus Regium Antonini eſſe. Et in libro Notitiarum Caſtra Regina dici. Tradunt alii Reginoburgium à Reginopyrga vxore Theodonis,primi Baiorum reguli,ſeu potius Rego flumine, Rhetabonnam, & Rhetopolim à Rhetis. Hiaspolim ob ruditatem populorum agreſtium. Imbripolim,ab imbre. Rehinopolim,& Germanis heim, à Regni Germanici conuentu, qui frequenter ibi celebratur. Tetrapolim, & Quadratam,à forma: Ratiſponam, quòd ratibus apta ſit. De hac,quæ ſequuntur,ſcribit Munſterus. Ratiſpona,inquit,inſignis & vetuſta Bauariæ vrbs,ad ripas Danubii ſita,iacet in commodiſſimo loco, vbi quatuor concurrunt flumina. Supra enim vrbem, Labar & Nab ingrediuntur Danubium,& infra, amnis Regen. Abundat Labar optimis piſcibus, præſertim truttis & cancris. Deſcendunt autem omnes tres ex ſylua Bohemica, ſicut Danubius ex nigra ſylua originem ducit. Cùm olim Cæſar Auguſtus contenderet ſibi ſubiicere Germaniam, miſiſſetque numeroſum exercitum ad ripam Danubii, præfecit illi duos priuignos ſuos Tiberium & Druſum, qui venientes vltra Alpes in Rhetiam primam & ſecundam, cœperunt paſſim populos ſubigere, ciuitates & munitiones more Romanorum in locis natura munitis conſtruere, militumque præſidiis firmare. Iuxta Lycum condiderunt, aut potius inſtaurarunt Auguſtam, appellantes eam ita ab Auguſto Cæſare. In ripa Danubii aliam conſtruxerunt vrbem, quam appellarunt Auguſtam Tiberii, ſicut prior nuncupata fuit Auguſta Druſi. Ordinarunt autem in Auguſta Tiberina certum & ſtatutum numerum electorum militum, nempe, ſex millia peditum, & quingentos equites, vocatique ſunt Legio Quarta Italica, quod ex vetuſta lapidum inſcriptione confirmari poteſt. Hi ſtationarii milites in legibus Imperialibus Limitanei vocantur, & Riparii. Patet igitur, proprium nomen vrbis Ratiſponenſis, eſſe, Auguſtam Tiberiam, ſiue Tiberinam, eamque olim fuiſſe Metropolim & refugium Romanorum militum, excubantium in limitibus Romani Imperii, vnde & in antiquis hiſtoriis appellatur Colonia Quartanorum, quod quarta Legio Romanorum in ea ciuitate ſtationem firmam haberet, & metropolis Ripariolorum. An verò ciuitas aliqua in hoc loco, priuſquàm Romani Imperii ſui limitem extenderunt ad Danubium, fuerit, Ioannes Auentinus ſcribit incertum eſſe, ſeque nihil de hoc inueniſſe. Incoluerunt Romani hanc vrbem, & adiacentem regionem citra Danubium annis quingentis, vno, atque viginti, habentes ibi belli duces, quorum primus poſt Tiberium & Druſum fuit Lucius Piſo. Dum verò Theodo dux Nortgoiæ, Bauariæ ſcilicet Tranſdanubianæ, Anno Chriſti D.LXXX. magnis copiis ex ſylua Bohemica ad Danubium ſe transfunderet, & Chriſtianos vnà cum Romanis militibus interficeret, regionem omnem diriperet & exureret, omneſque ad Auguſtam Tiberii confugerent, oppugnans Theodo ciuitatem, eam expugnauit, magnaque crudelitate omnes interfecit, etiam Lupum Epiſcopum, fœminas, & pueros, qui ad eccleſiam confugerant, nemini pepercit, præterquam paucis ruricolis, quorum opera in agris vicinis colendis vteretur. Inſtaurata autem rurſus ciuitate, vocauit eam ex nomine vxoris ſuæ Regenſpurgum. Sunt tamen alii, qui putant, vrbi hoc nomen datum à fluuiolo quodam, Regen dicto, qui à Septentrione meridiem verſus deuolutus, haud procul ab hac vrbe Danubio miſcetur. Ratiſponæ verò nomen omnium recentius eſt, quum in veteribus Romanorum literis nulla eius fiat mentio. Carolus Magnus in priuilegiis Monaſterio S. Emerani datis, vocat ipſam, Reginoburgium, & ſanctus VVilboldus primus Eiſtettenſis Epiſcopus, Reginam. At Ratiſponæ nomen, putant acceſſiſſe ex ratibus, quibus pontis loco ante conſtructionem pontis vſi ſunt ciues, Vel vt alii ſcribunt, quòd rates propter mercimonia illuc frequentes per Danubium deducerentur. Hæc quidem Munſterus, & alii auctores non contemnendi hactenus. Cæterùm, VVolfgangus Lazius rerum Viennenſium libro primo, dum Vindobonnæ, Aurobonnæ, Terbonnæ & Bonnæ ad Rhenum ſupra Agrippinam Coloniam, ſignificationem explicat, Romanis eam conſuetudinem fuiſſe aſſerit, vt cùm ea à Teutonicis nationibus loca adſeruiſſent, vt earum voces in ſuam tranſtulerint pronunciationem, Perinde, vt Rhetorum cohortis ſtatiua in Regiis caſtris Rhetobonnam, quam hodie corruptè Ratiſponam vocamus, & Regenſpurgum. B. Rhenanus tractatu Rerum Germanicarum tertio, ſcribit, in libro Præfecturarum & notitiarum Romanarum, Caſtrorum Reginorum mentionem fieri. Libenter, inquit, dicerem, ab his nomen eſſe nactum Reginoburgium. Habet iuxta ſe inſulam Danubio circumfluam, ciuium vſui, ob fertilitatem commodam, veluti iſtiuſmodi plures habet Iſter. VVerdas, & Augias vocant Germani. Excipit Nabum & Regum flumina, quorum Nabus ſupra ciuitatem, Regus infra allabitur. Ibi Danubii ripa vitifera eſt, vina verò ignobiliora. Pons hîc eſt famoſus & celebris, quadrato ex ſaxo conſtructus, quadringentorum & ſeptuaginta paſſuum, qui ciuitatem ſuburbio coniungit, circa annum Chriſti M.C.XV. conſtructus.

Pons fieri cœpit, Domini dum annus incepit
Mille centenis decem ſemique denis.

Auentinus tamen ſcribit, potentiſſimum Principem Henricum Ducem Bauariæ atque Saxoniæ vnà cum ciuibus Ratiſponenſibus Anno Chriſti M.C.XXXV. incepiſſe pontis ſtructuram, & conſummaſſe, Anno M.C.XXXXVI. Fama eſt de hoc ponte, eum vno, eodemque anno cum Ratiſponenſi Cathedrali Eccleſia ædificatum, à diuerſis tamen artis Architectonicæ peritis fabris, Inter quos æmulatione exorta, decertatum fuerit, vtrius ſtructura citius perfecta, & abſoluta foret: Cùm verò Pontifex, præter omnem alterius opinionem, opus ſuum admirandum ſanè & elegans, citius perfeciſſet, per iocum, & ad exercendum collegam, viuo ex ſaxo, affabrè ſculptum maſculum nudum, quaſi iam vel ex balneo, vel ex Danubio lotus, prodiiſſet, manu tenentem ſchedam, cum hac inſcriptione, Schiuck wie Hais / & ad ſummæ ædis fabricam reſpicientem, pontis portæ ſuperi impoſuit. Quod vbi alteri innotuiſſet, is


RATIS BONA
RVDOLPHO
II·D·G·ROM·IMPERAT·SEM·AVG·
HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIAE, DVCI BVRGV·&
SACRVM.
OCCIDENS
ORIENS
1515
Vernewert
1575.
A·Regen fluuius.
B·Danubius fluuiq.
C·der weg auff Nürnberg.
D·Sanct Magnus im hoff.
E·Hospitall.
F·Nider Munster.
G·des Bischoffs Pallast.
H·der Thum oder S·Peter.
I·Rattürn Rathaus.
K·Sanct Emeranus.
L·Zum Predigern.
M·Sanct Jacobus.
N·Schies hutten.
O·Das Closter Briell.
Lapis hic ad naturalem depict: maximus est et minimus omnium quibus stratus est pons Ratisbonensis, vt latius de eo in Descriptione patet.
Effigiauit Jacobus Houfnaglius Geor: fil: in Comitijs Ratisbonensibus Anno 1594.

ſet,is ira percitus,præimpotentia animi, ex imperfecta Eccleſiæ ſtructura, miſer ſeſe præcipitauit. Quin & alius, eiuſdem pontificis iocus in eodem ponte conſpicitur. Saxum conſtituit quadratum magnum ad normam ſectum, cui aliud minus impoſuit, eo ipſo innuens, talem fuiſſe omnium & maximorum, & minimorum formam, ex quibus pons hic Ratiſponenſis à ſe conſtructus fuit. Pôſt, conſuetudine receptum, vt vix putentur Ratiſponam vidiſſe, qui iſtorum lapidum rationem dare, & eos à ſe viſos, conteſtari nequeant.

Porrò, ædificiis priuatis, publicis, & ſacris Ratiſpona valde eſt ornata, & præſertim Cathedrali Eccleſia, quæ præ cæteris omnibus latè ſe viſendam præbet. In hac, primus ſedit Epiſcopus ex ordinatione S. Bonifacii, Gibolphus. Ita enim antiquus Annalium codex habet, ex quo Lazius hæc quæ ſequuntur libro ſecundo Antiquitatum Viennenſium inſeruit, Sanctus Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, Prouinciam Bauarorum, Odilione duce conſentiente, in quatuor diuiſit parochias, & quatuor his præſidere fecit Epiſcopos, quos, ordinatione facta, in Epiſcopatus gradum ſubleuauit. Quorum primus, nomine Ioannes, in opido, quod dicitur Salzberch epiſcopatus cathedram ſuſcepit. Secundus, Erimprecht, qui Friſingenſis Eccleſiæ principatum obtinuit. Tertius Gibolph Ratiſponenſis Eccleſiæ ſedem accepit. Quartus, Bilibaldus, in loco, cui vocabulum eſt Aichſtet, epiſcopale ſuſcepit officium.

Denique hîc coronidis loco adiiciam, quod de mirandis Germaniæ antiquitatibus ſermones conuiuales Conradi Peutingeri de reliquiis S. Dionyſii Ratiſponam relatis, hunc in modum commemorant, Omine, inquit, optimo euenit, vt de D. Dionyſio Athenienſium Epiſcopo diceremus, qui vnà cum Apollophane Sophiſta, Heliopoli, quando Chriſtus Ieſus paſſus eſt, ſolem vidit præter naturam obſcuratum, & tetram noctem ſubitò terris obductam, cognouitque mox verum omnium Deum, eodem Sophiſta reſpondente (vt ipſe ad Polycarpum ſcribit) rerum has diuinarum viciſſitudines eſſe: tunc Caper nobis referebat, Gallos hunc, vt eorum Apoſtolum venerari, & credere, oſſa eius ad ſecundum lapidem à Pariſienſium vrbe, ad ædem ſacram ſepulta eſſe: contrà tu mira ſuauitate recenſebas, te, atque Reuerendiſſ. D. Epiſcopum & Comitem Tergeſtinum, Petrum Bonomum, bonarum literarum ſtudioſiſſimum, compertum habuiſſe, oſſa hæc ex Gallia Ratiſponam ad S. Emeranum tranſlata; Ego, vt ea comprobarem, exemplar literarum Apoſtolicarum, mihi à Monaſticis eiuſdem monaſterii datum, Capro poſtea perlegendum miſi.

In eo enim Leo Nonus Pontifex Maximus, Bruno antea vocatus Tullenſium Epiſcopus, procurantibus Gallorum Legatis, Imperatore Cæſare Henrico ſecundo Auguſto, præſente (cum B. VVolffgangum in diuos retuliſſet) declarat Diuum Dionyſium Areopagitam Ratiſponæ quieſcere, & hæc acta eſſe Anno Chriſtianæ ſalutis M.LII. Anno Pontificatus ſui quarto, Indictione quinta, Nonas Octobris, &c. Plura Index ſuppeditabit.

LINCIVM Austriæ oppidum.



ILLA pars Austriæ quæ *superior*, siue *supra Anisum*(vulgo **das Landt ob der Enß**)appellatur, olim ad Noricum Ripense pertinebat: quam quidem regionem Romani, victis ac pulsis Noricis, suæ potestati subiecerunt, dispositis passim ad Danubij ripam legionibus, ac deductis coloniis, quarum præsidijs ad bellum contra Germanos vterentur. Collabascente dein per Occidentalium Imperatorum segnitiem & incuriam Romano Imperio, Gothi hic sedem sibi fixerunt; quos Auari, hos Hunni, Hunnos Vngari, ac tandem Vngaros Boiorum siue Bauarorum Reges subegerunt: quod ipsum Bauariæ regnum *Carolus Magnus*, abolita Regii diadematis dignitate, Imperio suo adiecit, siue, vt vulgo loquuntur, incorporauit. Quum vero Hunnorum gens supradictam regionem assiduis vexaret incursionibus, deprædationibus & incendiis: *Henricus* cognomento *Auceps* Imperator Marchionem quendam constituit, qui finibus huius Marchiæ (sic enim primò dicta) tuendis præesset, attributo tanquam primaria arce præsidiaria Ensburgo, ad traiectam Ensæ nauigabilis fluuii sita, non procul ab eo loco vbi paulo ante Ludouici IV. exercitus ab Hungaris ad internecionem ferè cæsus fuit & deletus, cuius stragis indicia etiamnum sepultorum ibi tumuli præ se ferunt. Sunt qui Lincium Ptolæmei *Aredatam* esse volunt: quorũ opinionem doctis & Antiquitatum peritis discutiendam relinquimus.

Porro vniuersa illa regio, in multos olim diuisa Comitatus (inter quos etiam Kirnbergensis & Linciensis fuerunt:) Bauariæ hactenus fuerat accensita, donec *Fridericus Barbarossa* Imperator eam à Bauaria auulsam fratri suo Ernesto, (quem à familiari ipsi iurandi formula Germani **Joch sam mir Gott**/ id est, *Ita me Deus amet vel adiuuet* appellant) firmioris pacis sanciendæ causa tradidit, cumque Anno M.CLVI. Austriæ Archiducem creauit: & vtrosque tam Principem quam oppida & status augustis priuilegiis donauit: quibus etiam ad hæc vsque tempora sartis tectis laudabiliter conseruatis, tam hi, quam ille vtuntur & fruuntur.

Inter supradictæ regionis, Austriæ scilicet superioris ciuitates, præcipuum fere locum tenet Lincium oppidum quum situ peramœnum, tum opportunum; ac proinde quum ædificiorum elegantia, tum opibus ciuium præstans: Colli arx regia imposita visitur, duplici fossa, muro & propugnaculis cincta, & à colle separata: in qua Fridericus Imperator, Vienna & magna Austriæ parte à *Matthia Coruino* seu Hunniade Hungariæ Rege, qui cum Austriacis bellum tum gerebat, occupata, & domicilium habuit, & anno M. CD. XCIII. vitam finiuit: ab eodem variis substructionibus aucta atque exornata. In hac eadem *Ferdinandus* Rex ac postea Imperator, ex Hispania reuersus, & Austriæ Ducatui inauguratus, cum Anna Austriaca nuptias regia magnificentia celebrauit. Nec ab huius loci genio abhorruit non ita pridem defunctus augustæ memoriæ Imperator *Rudolphus* II. quamquam Pragæ plerumque degeret, cuius iussu, & regionis Ordinum munificentia, prædicta Arx diligenter nitideq; restaurata est, vt summis Monarchis dignum præbere posſit domicilium: quemadmodum etiam non ita pridem inuictissimus Imperator *Matthias*, suscepta Imperiali corona, ad proprias ditiones reuersus, eodem diuertens, varias Legationes audiuit, & grauissima Imperii negotia tractauit. In ipso oppido ampla est & magnifica Domus ædificata, in qua quatuor regionis Ordines, necessitate postulante, conuentus agunt, & de publicis rebus deliberant. Primo ordine siue statu Comites & Barones: secundo Prælati Ecclesiastici: tertio Nobilitas: quarto oppida septem (quibus ab antiquo id iuris est) comprehenduntur. Horum delegati, indictis à Principe Comitiis, in supradicta Domo conueniunt, & de iis quæ à Principe proponuntur, quæque ad publicam rem spectant, consultant. Præter hos extraordinarios conuentus perpetuum quoque ibi est octo virorum (binis scilicet ex vnoquoque delectis ordine) Collegiũ, cuius præsidem agit is qui è primo, Comitum scilicet ac Baronum ordine, ætate est prouectior. Horum munus (quod biennium durat) est, de rebus ad Ordines spectantibus deliberare ac constituere: quæ si fortè magni sint momenti, euocantur siue adiunguntur eis omplures alii, qui communicatis consiliis quod visum fuerit decernunt; ita tamen vt eorum decreta in proximis equitiis vel confirmandi vel rescindendi, penes generales Ordines sit potestas; quibus iidem omnium à se actorum rationes reddere tenentur.

Ibidem domicilium habet supremus regionis Præfectus (vulgo **Landts-Hauptmann**) qui Principis nomine cùm adiunctis sibi è Baronum & Nobilium ordine Senatoribus, vniuersæ regioni ius dicit. Et id quidem summum est in superiore Austria tribunal, à quo tamen ad inferioris Austriæ Senatum prouocandi ius est.

Ad oppidi politiam quod attinet, Reipublicæ administrandæ ac iuri dicundo præsunt duo præcipuè, vnus Consulis, alter Iudicis dignitate, cum adiunctis quibusdam Senatoribus: quod quidem Collegium interior Senatus, seu secretius Consilium nominatur. Est & alius ac multò numerosior Senatus, qui Exterior appellatur, à quo res leuiores tractantur. Et hic quidem à Principe quotannis vel mutatur, vel confirmatur, prout ei visum fuerit.

Binæ quoque anno in hac ciuitate celebrantur nundinæ. Primæ ea septimana quæ Pascha sequitur; alteræ die festo S. Bartholomæi: quibus ingens ementium ac vendentium multitudo eò confluere, magnaque vis mercium, cum luculento & Principis & Ciuitatis emolumento, ex omnibus Europæ partibus conuehi, atque inde longe lateque exportari solet.


LINSVM AVSTRIAE vulgo LINTZ
A. Der Haeck.
B. Das Ouuer.
C. Das Weerdt.
D. Der Loedel.
E. Stÿreck.
F. Loftenburch.
G. Ems.
H. Oeuers berch.
I. Sanct Peters.
K. Die Pfarkirche.
L. Das Raedthaus.
M. Das Landt Thoor.
N. Das Schlos.
O. Sanct Martin.
P. Das Voorsters Haus.
Q. Trouwenstein.
R. Der Ertzberch.
S. Die Donaw.
Effigiauit Lucas a Valckenburch,
Communicauit Georgius Houfnaglius.
Anno 1594
Danubius fluuius

In primario ciuitatis templo(quod anno M.CCLXXXVI. ex arce in ciuitatem translatum, & nobili structura conspicuum est) aliquot ex Imperatoribus natorum liberorū tumuli seu Mausolea visuntur.

Dici vero non potest, quàm frequentibus quamq; fœdis incendiis oppidum hoc & olim & superiori tempore deformatum fuerit. Primò enim anno M. CD. LI. ipso Paschatis festo totum pene conflagrauit. Nec multo post, Anno nimirum M.CD.LIX. quum vix è cineribus se paulum erexisset, rursus præter ædificia tam priuata quam publica, etiam turris campanaria, primario templo adiuncta, ignis rabie absumpta est: quod incendium tantò fuit terribilius, quod noctu esset exortum. Deinde anno 1542. in arce tum cum dilectissima sua coniuge degente Rege Ferdinando, oppidi maiori pars tertium miserabili incendio hausta, sed summa dicti Regis liberalitate ac paterna cura breue intra temporis spacium, pristino nitori restituta est. Anno 1592. die 14. Sextilis circiter quadraginta domus in suburbio conflagrarunt. Denique anno 1594. die 8. Quintilis, tres eiusdem suburbii ædes, vnà cum 8. horreis, de cœlo tactæ formidabili magis quàm noxio incendio perierunt. E quibus facilè intelligi potest, quàm semper iratum, vt ita dicam, ciuitas hæc Vulcanum habuerit.

Ad hoc ipsum oppidum Danubius ligneo ponte stratus siue iunctus est, anno 1490. ab Imperatore Friderico III. primùm constructo: per quem multæ merces quotidie ad vltra Danubianas regiones euehuntur. Ex altera Danubii parte pagus est, cuius iurisdictio partim ad dynastiam Wildbergensem, (quam hodie Starembergici Barones possident) partim ad dynastiam Stirekanam (ea Iorgerorum familiam hodie pro dominis agnoscit) spectat: sed insigniori illorum priuilegio, quo rupto aliquo pontis iugo, interea dum illud reficitur, omne naulum, vti & in nautas imperium, VVildbergensi dynastiæ debetur.

Ad Lincii laudem insuper referri potest, quod anno 1620. 4. Aug. circa initium Boemicæ rebellionis, bellique Cæsarei, sese tradiderit in potestatem Serenissimi Maximiliani D. Bauariæ: qui tunc temporis pro Ferdinando II. Imperatore susceperat gloriosam illam & nulla obliuione delendam expeditionem, propter quam aliaque heroica facta iure meritoque adeptus est dignitatem Electoralem. Similiter Lincium constanter alacriterque sese opposuit rusticis rebellionem mouentibus, qui non tantum Vrbem obsederunt, sed grauissimos etiam insultus muris intulerunt, plusquam Scythico furore concitati. Contigit hoc anno 1626. feruente Canicula, quando Gubernator loci strenuissimus milites suos primum hortatus est ad conscientiæ expiationem & SS. Eucharistiæ perceptionem, deinde prandio splendido eosdem refecit atque exhilarauit, tum denique in anima & corpore optimè munitos in hostem eduxit, quem animosè aggressi aut ad fugam compulerunt, aut penitus prostrauerunt, ipso festo S. Laurentij Martyris, quem sibi elegerant in belli Patronum. Sic vlterius perge, ò Lincium, & nominis tui gloriam vehementer augebis.

GMVNDA.



MVNDA Oppidum quidem non ita magnum, in nobilissimo Archiducatu Austriæ superiore, siue supra Entium aut Enum, venustate & elegantia commendatur, situm ad Lacum, qui inde appellationem trahens, Gmundanus Lacus, Die Gmunder See / vulgò nuncupatur, ex quo Austriæ flumen Dranus, communiter Draun/ originem sumens, & aliquanto deinde tractu, Austriam irrigans, non procul à Linzio cum Danubio, omnium Europæ fluminum Rege permiscetur, hinc Gmunda, iuxta Germanorum consuetudinem nomen, & appellationem trahit, (quod propter antiquitatis, & historiarum studiosos longius refero.) Solent enim Germani superiores, ea loca quæ ad riuorum, fluminum, & lacuum exitum, vel vt hic, ad originem iacent, Gmuind inferiores, Mund vocitare, quod vocabulum os vel ostium significat: Sic est Vkeremuindt in Marchia, vbi Vkera in Oderam exit. Tangermuindt in Marchia Brandeburgensi: Trauemunda Holsatiæ: Varnamunda Mechelburgensi; Angermunda in Cliuia Ruremunda Geldria Gemunda Francia, vbi Sala in Mœnum transit: Gemuindt in Cattis, vbi Fulda in Visurgum effunditur: Gemunda Sueuica, vbi riui egrediuntur in Remisum: Niceri Gemunda, vbi Nicri egressiones. Abtgemuindt, vbi Rota in Leinam effluit. Norica Gemuindt, vbi Trauna è lacu exit, in quem vndas suas effuderat. Sic est Lechegemundt, ostium Lici. sic demum, vrbes atq; locaq; composita, aut simplici voce Gmuindt vocantur, ad fluuiorum seu riuulorum ostia sita sunt. Græci in stoma desinunt. Sic est Licostoma, & mox in danubij ostijs Naracustoma, Colostoma, Pseudostoma. Sic demum & hæc nostra Gmunda Austriæ, nomen adiacenti opido præbet, cuius magna & lucrosa est negotiatio salis, quod præstans & acre ex vicinis montibus effoditur, & Gmundam allatum, vasculis (quæ patria lingua, Kuelen/ indigetant) impositum, per Dranum in Danubium transportatur, vnde Viennæ, & in alijs Austriæ, Hungariæ, Stiriæ, Carinthiæ, vicinisque ciuitatibus, magno commodo & lucro Gmundanorum distrahitur. Vtuntur autem da hanc transuectionem cymbis, siue lembis, nauiculæ sunt oblongæ, non admodum latæ, quas tecto stramneo, non sine industria & arte composito, affabrè contegunt, ne quid damni sal, à pluuia percipiat: Hoc nauigij genus, ratio Drani inuenire docuit, qui ob saxorum & arborum impedimenta, tum etiam quandoque ob aquæ penuriam, maiora sustinere non potest. Talium cymbarum multitudo Viennæ deinde distrahitur, quæ vsum peroportunum in pontibus subditò construendis præbent. Incredibilem ac perpetuam tot cymbarum, tonnarum, ac vasculorum materiam, quibus sal longè lateque distrahitur, præbent vicini aliquot montes syluosi, præcipuè verò mons, famosi nominis, Draunstein nuncupatus, qui præ cæteris syluosum caput, eminente cacumine, multum extendit. Atque isti quidem naturæ beneficio, magna hic vasculariorum & naualium fabrorum frequentia, qui ex quotidiana cymbarum fabrica se, & familiam sustentant.


GMVNDEN
Septentrio
Draunstein
Draun flu.
GMVNDER SEE
Ort
Ex archetypo Lucæ van Val-
kenborch effigiauit Georgius Houf-
naglius. Anno 1594.

IAVRINVM, RAAB.

I AVERA, vel, vt pleriq; habent, Iaurinum, vel etiam Iaurium memorabilis Vngariæ vrbs, ad finistrum Danubij latus extensa, ad dexteram ripam amnis, ibi Danubium influētis, cui nomen à nigredine Coruus est, à quo etiam nunc, vulgò, idiomate Germanico, vrbē ipsam Raeb nuncupant. Hunc fluuium pleriq; veterum Arrabonem, alij Narrabonem, vt Plinius, nuncuparunt, & limitem constituerunt, qui superiorem ab inferiore Pannonia diuideret, loco, natura & conditione situs, admodum firmo, in quem Vngari, difficili & diuturno bello, quod cum Carolo Magno per octo annos gesserunt, potissimum secum liberis, vxoribus & fortunis suis receperūt, & præsertim in magnā vicinā Danubij insulam, Schutam, quam vallo, castellisq; impositis vbique præsidiis munierunt, tum enim vrbes nondum habebant, quibus tutius sese suaq; tueri possent. Ipsi verò castra ad Arrabonem, vbi nunc Iaurinum est, collocarunt, quibus munitis, contra Francos præsidio loci, se tueri posse sperabant. Nam cum inter Arrabonem & Danubiū, ad confluentia consedissent, à duobus lateribus vtroque amne se tuebantur, à cæteris partibus altissima fossa; valloq; se munierant, quibus & paludes spem defensionibus præbebant. Pari intentione, & hoc nostro tempore Imperatores Augusti Vngariæ Reges hunc potissimum locum delegerunt, vbi limitaneam & validam arcem, ac firmum præsidium contra Turcarum & Barbarorum tyrannidem collocarent. De quo Stephanus Pighius in suo Hercule Prodicio Iaueram versus, inquit, ex Comario opido, proficiscimur, Danubio ad sinistram relicto. Nihil occurrit in eo itinere nisi visu triste, atq; dolendū homini Christiano. Totus enim ille Pānonici Limitis tractus, Turcica rabie deuastatus est; Agri vbiq; cernuntur inculti, monasteriorum & ędium Sacrarum ruinæ frequentes, pagi desolati, & vici per campos rari, & exigui, in quibus vix aliud reperias, quàm pastorū & miserorū rusticorū quædam tuguria. Iaueram appulit hora post meridiem tertia Princeps Carolus gratum mox eius aduentum testatur ea ciuitas è propugnaculis, ingenti æneorum tormentorum applausu. Iacet in barbarico, ad sinistram defluentis Danubij ripā, extensa ad dexrrum latus amnis, ibi Danubium influentis, cui nomen à nigredine Coruus est, à quo etiam nūc vulgò, idiomate Germanico, vrbem ipsam Raeb vel Raeff nuncupant. Episcopatu est insignis, & mercatura, negociationibusq; pro temporum statu, non infrequens ob situs opportunitatē. Natura enim loci, vrbs valdè firma est paludibus Corno, ac Danubio, magna ex parte cincta. Castri reliquiæ antiquæ, & cippi sepulchrales, cum sculpturis & imaginibus togatis templi parietibus inserti, demonstrant vrbis vetustatem, & Romanorum olim eo loci, fuisse hyberna. Nostro sæculo tandem Diui Cæsares Augusti, Ferdinandus & Maximilianus Imperatores muris ingentibus, fossis ac propugnaculis amplissimis adeò munierunt, vt nunc videatur inexpugnabilis. Quapropter duo valida semper illam obtinent præsidia Hungarorum videlicet equitum, & Germanorum peditum, quæ perpetuis eam excubiis, ac stationibus aduersus Turcarum insultus, insidiasque tutantur. Stabant in ripa parati pontones, quibus Danubium Carulus Princeps cum suo comitatu atque impedimentis traiiceret, appellentque in ripam aduersam, tormentorū æneorū cū magno tonitru, more bellico, fit applausus. Erant in armis ante portas præsidiarij milites præfecti vrbis, atque præsidij, nec non magistratus cum præcipua nobilitate, qui obuiam venientes, aduentum gratulantur. Ipse autem ne reliquum diei perderet, petiit, vti mox ad opera vilenda circumduceretur. Promptè satisfactum eius desiderio, & confestim accitis equis, quibus veni ipse familiaresque, si videretur possent, circumire cœpit muros & aggeres; perlustrare fossas ac propugnacula amplissima, ab architectis peritissimis elaborata. Recognouit tormenta, machinasque bellicas depulsorias, & Penetrauit per meatus concameratus sub aggeribus è quibus fossæ defendi, & propugnaculis laborantibus, dari auxilia possent. Egressus deinde portas, considerauit propugnaculorū atque mœniorum structuram, fossarumque latitudinem, atque profunditatem. cunctarum rerum causas & rationes diligenter indagauit. Post occasum itaque solis, nocte iam subobscura, in prætorium deductus est, ad præparatum hospitium, vbi sumptibus Salmonij Comitis, cum tota cohorte sua magnificè excipitur epulis earum rerum varietate & copia splendidis, quàm conuiuarum exquisito delecto Principe dignis. Aderant enim in eius mensa, semper præfecti centuriones, & viri experientia militari insignes. Postridiè manè, vidit armentarium & granaria: in turrim altam ascendit; ex qua situm vrbis, Danubij cursum, circumiectæque regionis tractum ac oppida contemplaretur.

Hæc ex itinerario Pighij in quo Serenissimi Principis Iuliæ iter Romanum doctissimè describitur. Sed nunc lamentabilis de Iaurino instituenda narratio, quæ maiore calamitate aspersa est, quo minus talis omnino exspectabatur casus de isto propugnaculo & munitione, quæ cum prorsus inexpugnabilis iudicaretur, tanquam vnicum propugnaculum & vallum barbaris opponebatur. Anno 1594. Mense Iulio Sinan Bassa, magnas Turcarum copias, in Vngariam introducens, arcem Dotis, & montem S. Martini, in quo monasterium propè munitum, deditione occupat; mox Iaurinum acerrima obsidione cingit, sub vallorum mœnia, ad ipsas munitiones & foueas, barbaras & infestas copias subducens, muralium machinarum fulmina indesinenter in obsessos emittit. Die XXVI. Augusti nauigiis Danubium traiicit, multi, & præsertim Tartari natando, flumen superant, & occupata Insula Schuta, in qua Christianorum castra erant disposita, nocturno tempore, subita irruptione facta, magnam stragem edit, castra occupat; omnia vastat ac diripit, & multis cæsis, totum exercitum dissipat, multam prædam, & decem Galeras benè munitas consequitur. Hac victoria Bassa elatus, Iaurinum deinde grauiore obsidione, & frequentioribus machinarum ictibus premit, factis etiam cuniculis, propugnacula quædam funditùs euertit, & continuata quinquedierum oppugnatione fatigat: Ita, vt Comes de Hardeck, Perlinus, & reliqui militares præfecti metu perculsi, deditione, tantum propugnaculum die 13. Septembris hosti tradiderit, qui illud nunc occupat, & pro veteri consuetudine sua, maioribus & pluribus munitionibus firmius muniens, infestum vicinis Christianis præsidium ibi tenet.

DANVBIVS FLV.



Molini

ARIWFALV

POTHAZA

Coquina laterum

IAVERINVM vulgo RAB

Palatium

DANVBIVS FLV.

BORGO

RABA FLV.

PALVDES

IAVERINVM olim Anno MD LXVI à Nicolao Aginelli Italo accuratissime delineatum ex maiusculo in minorem tabulam traductu, Amicis Agrippinensib. id requirentib. amicè communicat Georgius Houfnaglius MDXCVIJ.

Hoc in loco castrametatus est Anno 1566 Inuictiss. Rom. Imperator Maximilianus II.

Eques Polonus.

Hayducki

Nobilis Hungara

Turca captiuus

IAVERINVM vulgo RAB Anno 1594 Sinan Bassa Amurati Turcar. Tyranno militãs, trãsmisso Danubio, et in Insula Schutta fusis ac dissipatis Christianorum castris; vltima Julij die tam arcta et immani obsidione pressit, vt die vigesimo nono Septembris deditione (eheu) occuparit.




COMARA



VÆ sunt Arces, & propugnacula limitanea, contra Turcarum tyrannidem valde munita, Iauarinum & Comorra, Prius, ad sinistram defluentis Danubij ripam iacet extensa ad dextrum latus amnis ibi Danubium influentis, cui nomen à nigredine Coruus est, à quo etiam nunc vulgò idiomate Germanico vrbē & Munitionem ipsam, Raeb, vel Raeff nuncupant. natura loci valde firma, paludibus enim, Coruo ac Danubio, magna ex parte cincta. Proxima est Comorra, siue Comarium, cum opido exiguo Turcicis populationibus sæpe vastato, nunc tamen castro munitissimo nobile. Quod Ferdinandus I. Imperator eo loci, magnis sumptibus extruxit ad vicinæ regionis tutelam, aduersus barbarorum excursiones, posuitq; in angulo extremo Danubianæ insulæ Schuta, vulgo die Schutt / dictæ, veluti in nauis cuiusdam magnæ puppi, vbi duo fluminis rami denuo confluunt, & vtramq; ripam stringentes in formam mucronis exacuunt. Hos ramos fossa ductitia lata, profundaq; iungit, & à fronte castrum ab opido separat, quæ ponte sublicio, versatiliq; transitur. Quo fit, vt forma Castri sit triangularis, sed tanquam iacentis in solo pyramidis. Cuius vt cacumē fastigiatum longitudine superat duos inferiores angulos; ita etiam in tribus propugnaculis, quibus vndique castrum munitur; vnum illud ad confluentes ramos, inimicas terras respiciens altitudine sublimius, veluti quoddam per se castellum extenditur in medio flumine, Et amplitudine superat alia duo, quæ in reliquis duobus angulis, opidi latera tutantur. Eius castri custodia Germanis militibus est commissa, qui perpetuo præsidio illud obtinent, nec quisquam interius facilè admittitur, ne vel ad visendum. Opidum incolunt cohortes aliquot Pannonum, & vicinam omni ex parte regionem ab hostium incursionibus defendunt. In Arcis aditu triumphali ac Martium apparet, cernere extantia passim in vallis & aggeribus crebra hostium cæsorum capita tabe plena, sudibus infixa. Arcis & propugnaculorum muri, aggeres, fornices, spissitudine & mole stupendi: latissima & vasta propugnacula ab omni parte defensoria, tormentis æneis maximis ad hostes longè globis ferreis propulsandos, instructa. Armamentarium cum machinis, iaculis, bombardis, telis, & omni apparatu bellico amplum. Item granaria, & commeatuum necessaria, tuguria & casulæ militum multæ & decenti ordine disposita.

Anno M. D. XCIV. Comariana hæc Arx à Turcis grauiter obsessa & oppugnata fuit, Cuius quidem obsidionis successum Ludimagister ex ipsa arce ad amicum quendam suum Viennam, ita perscripsit.

Domine & Amice Colende, Posteaquam ex multis & magnis periculorum vndis, continentem videre, & vada attingere cœpimus, omittere non possum, quin rerum nostrarum statum, & exantlatos labores, perpessasque difficultates, paucis referam, vt intelligas, Deum, illis cooperari in bonum, qui in misericordia & auxilio suo piè sperantes, fideles & cordati gratiæ Diuinæ cooperatores existunt. Posteaquam veteranus & crudelis, Turciuæ tyrannidis executor Sina Bassa, Sultani Murati Constantinopolitani exercitus Imperator (ignoramus qua arte, nec diuinare aliud possimus, quàm proditione) Iauarinum, siue Raab, vicinā nobis arcem occupasset. Quæ quidem muris ingentibus, fossis, & validioribus propugnaculis, quàm nostra Comorra, adeò munita erat, vt prorsus inexpugnabilis videretur, Et nobis consilia sua statim innotescerent, quod in nos etiam potentiam, tyrannidemq; suam experiri vellet, maximo metu perculsi fuimus, præsertim, cùm constanti fama diuulgaretur, nostrum Christianum exercitum fusum, dissipatum, & cæsum, & hinc auxiliaris subsidij expectatio, nobis præscissa & amputata videretur. Occupato igitur, vt dixi, Iauarino, Turcicarum copiarum ductores, die sexta Octobris, nobis imminere, & hostili equitatus aduentu, ad obsidionem se venire declararunt. Sequenti vero die magnis & frequentibus copiarum viribus, obsidionem ipsam adornant. Ad quam Tartari gens barbara, agrestis, & ferox, supra omnem opinionem nostram, Danubium transnatando superantes, rapacem & equestrem operam hostibus nostris, innata alioqui feritate barbaris, præstant, celerrimis vtentes equis, in speciem quidem turpibus, sed ad cursum promptis, laborum patientibus. Arci nostræ (bene disponente Deo) defendendæ, Erasmus Praun, vir cordatus & strenuus, Sacræ Cæs. Maiest. Consiliarius; præerat. Qui captans ex tempore consilium, ex vicino opidulo in cauda oblongæ Danubianæ insula Schuta, sito, Christianos omnes, cum iumentis, & reculis suis, in Arcem recipit, & militare præsidium auget aliquot Germanicorū signorum accessione, quæ Illustris & Generosus Dominus Palfi, in tempore nobis auxilio submiserat. Turcæ, statim propinqua nos obsidione cingunt, & posteaquam mœnia, immani ac funoso impetu indesinenter verberassent, subito pauore nos opprimere rati, submisso rustico, qui Sinæ Bassæ literas, hastæ affixas, offerebat, colloquium & deditionis tractatum postulabat. Has literas Gubernator noster non acceptans, respondit, se esse Germanum, qui nec Græcas, nec Sclauonicas literas intelligeret, se, à Cæsare suo huc missum, Arcem vt defenderet, & dimicaret cum hoste, nō vt cū eo, per litteras, colloqueretur. Hoc ex rustico suo Sina Bassa intelligens, pluribus in locis, machinarum muralium explosionibus, nos cœpit impetere, aggeres, & propugnacula excitare, foueas & transennas vsque ad vallum nostrum deducere, tantisque viribus & indefesso labore nobis imminere, vt vanum & impossibile videretur, vnicā tantùm Arcem, tam furiosæ & laboriosæ multitudini posse resistere. Cùm autem intelligerent, frequentibus explosionibus, propugnacula & mœnia nostra se rumpere non posse, multo vero minus ita planare, vt militaribus assultibus nos tendarent, mutato consilio, cuniculos agere, & maius propugnaculum nostrum suffodere cœperunt, vt cincto tormentario puluere, vel hac ratione aditum ad Arcem sibi pararent. Id, cum Gubernator noster Praunius ex indiciis suspicaretur, in vallū altius prorepens, & pronus iacens, de hostiū conatibus certior esse cupiebat. Et ecce, erronea specula, infœlici casu, huc volitans, crus & genu eius dextrū grauiter læsit, ita, vt nō posset subsistere. Intera per exploratores certior factus, de Serenissimi Archiducis Matthiæ aduentu, qui copioso milite nobis conaretur succurrere, lectica in forum delatus, eleganti oratione milites confirmans, facultatē in hostes & castra excurrendi, permisit. Qua licentia & oratione Germani singulari lætitia affecti, benè mane quadringenti in fossas & munitiones hostiū alacriter irruūt, & magna strage facta, trucidatis fossoribus omnibus ipsorū instrumētis, & multa præda onusti, ad nos, vnico tantū desiderato, ouantes, redeunt. Turcæ, nostrorū constantia & fortitudine territi, de Christianorū etiā aduentu instructi, incensis castris, & obsidione soluta, xxiv. Octob. ad pontē suū se conferunt, quē medio miliari supra Comorrā in Danubio strauerant, Vbi cū toto exercitu ad dies quatuor substiterunt. Tandem, per gratiā & misericordiam Dei, re infecta, octingentis viris amissis, & inter hos quibusdā magnæ dignitatis, Græcis, quorū interitum Sina Bassa grauiter tulit, ad Iauarinū, proh dolor, suū xxviij. Octob. defatigati & inglorij redeunt. Præsidiarij nostri Propugnaculorū & murorū vicia & foramina reparantes, octingentos globos ferreos, singulos sex & triginta librarū collegerūt, quibus ædificiis nostris hostes plurimū incōmodarūt. Gubernator deinde noster Praunius, ex vulnere debilis, vltima Octob. Viennen defertur, vbi xvij. Nouemb. mortuus, animam Deo reddidit. Habes hîc obsidionis nostræ breuem & veram historiam, quam Gymnasij vestri Collegis, quæso communica, & Vale.



Communicavit G. Houf. A°. 1595. depict. a filio.

Hungaria superior.

ORIENS.

Hungaria inferior.

COMORRA.

Dotis landt.

Danubius fluvius.

Danubius fluvius.

OCCIDENS.

Schut



OVVAR, Hungarica lingua castrum sonans, Arx est in Superioris Pannoniæ, loco paludoso, & quasi inaccesso, sex propugnaculis, eleganti Architectonica dispositione ex cespite firma, & permultis æneis machinis instructa, ad vicinorum locorum tutelam præsidium militare tenet. Riuulum perennem recipit, qui sufficientem aquam ad fouearum conseruationem præbet. Arcis Gubernator est Illustris & Generosus Dominus, virtute ac genere Nobilis D. Palsi junior, Marci Fuggeri Augustani gener; qui palatium hic suum habet, prout etiam præsidiarii milites, habitationes suas & casulas eleganter dispositas. In foro ædes sunt ligneæ, in quibus captiui Turcæ detinentur, donec persoluto lytro, aut aliorum Christianorum captiuorum permutatione, dimittantur. In Arcis aditu, multa hostium cæsorum capita, sudibus infixa videntur. In vnica hac Arce, tres sunt diuersarum religionum Ecclesiæ, Catholica, Lutherana & Caluinistica. Quod profecto dolenter refero, cùm Religionis dissidium, Germanorum & Hungarorum vires eneruet, vt ludibrio sint barbaris. Et hac occasione hic commemorabo, quod Thomas Bozius lib. de robore bellico aduersus Machiauellum cà. 4. scribit, Quia historicum & ad rem præsentem pertinet.

Turcæ & Saraceni qui aduersus Hæreticos Reges inuicti fuerunt, iidem sunt à Catholicis omninò victi, & spoliati suis olim Regnis. Quodque maximè obseruandum venit, Catholici tantum terrarum Mahometanis eripuerunt in Europa; quantum Turci Mahometani eripuerunt in eadem Europa Græcis non Catholicis. Eripuimus nos iis Hispaniam, Baleares, Sardiniam, Cretam, Cephalenam, Zacynthum, Siciliam, Italiæ, adde Africæ etiam loca quædam: Græcis illi & Hæreticis abstulerunt ipsam Græciam, Cyclades, Daciam, Mysiam, Illyricum, Pannoniæ, Dalmatiæque partem.

Si quis igitur obiiciat nobis Turcos, dicatque ab illis nos bello superari, ac proinde nobis esse fortiores: Respondemus.

Primo loco, nihil adhuc à Turcis occupatum fuisse è regionibus nostris, quod hæresibus non fuerit contaminatum, ita, vt quamuis anno 1526. Solymanus ad Mocharum fudisset Hungaros, Ludouicusque Rex aufugiens, in palude demersus obiisset, cùm non nisi triginta hominum millia, plus minus, in aciem producens, ausus fuerat, non expectatis aliorum copiis, signa conferre cum quadringentis Turcorum millibus; tamen Hungaricæ ditioni nihil deperierat, nisi ex quo in Hungariam peruasit hæresis Lutherana; annoque 1541. Solymanus est ab Isabella Regina accersitus, melioremque illius regni partem transtulit in suam potestatem.

Videmusque nunquam congredi audere nobiscum pari numero, quod sciant, se robore bellico inferiores, sed incredibili multitudine exercitus aduersus nos expediunt.

Et quamuis fusi simus aliquando ab illis, ob innumeras eorum copias dum pro hæresum plenis terris pugnamus; maior tamen semper est eorum cædes edita, quàm nostrorum, quod est omnibus notum.

Cumq; manus conseruimus cum illis, neq; pro hæreticis bella gessimus, nobilissimas ex eis victorias retulimus. Nam, quis ignorat, quas assecuti sunt Ioannes Huniades, Matthias Coruinus, aliiq; Hungariæ Duces, cum nulla hæresis in Hungaria foret, quis potentissimam Turcorum classem ad Echinadas Pio V. sedente profligatam nescit?

Turcos verò istos, antequam Græci desciscerent omninò à nobis, Catholici nō modo vicerunt, sed sub annum 1096. cùm nostri in expeditione sacra traiecissent in Asiam, bis eorum exercitus fuderunt: quorum alter constabat è tercentum sexaginta millibus equitū, peditumq; multitudine infinita, vt Robertus, qui bello interfuit, narrat, eripuimusque illis Asiam totam vsque ad extremos Armeniæ fines, & Euphratem, quæ reddita est Græcis, excepta Syria, vt idem tradit, ac post eum Guilielmus Tyrius, & Gregoras Græcus, lib. 4. Cumque per annos ducentos, nostri continuarint ea bella, fregerintque eorum vires, nunquam Turci potuerunt per illud tēpus resurgere, quamuis Græci, nihil nō mali in nos molirentur, quæ suis exprobrare haud veretur ipsi Græci scriptores, & in his Choniates lib. 7. rerum à Manuele Comneno gestarum, & lib. 1. Isaacii Angeli.

Sed postquam Michaeli Palæologo Imperatori, qui fidem Catholicam pro virili inter Græcos amplificare est conatus, defuncto, Andronicus eius filius sepulturam negauit: Græciq; omnes, communi decreto, ab Ecclesia Catholica defecerunt, eo ipso tempore circiter annum 1300. rursus Asiam per nostros recuperatam non modò Turci occuparunt, sed Othomannum sibi Regem crearunt, ad extremam Græcorum perniciem, vt lib. 6. & 7. Gregoras narrat.

Ita verò futurum, Græcorum rebus adhuc florentibus in Europa, prædixit Brigida Sanctissima fœmina, asserens id euenturum ob hæreses eorum.

Ex his patet, bellicosissimas quasq; nationes, & ex omni tempore indomitas, à nobis tamen esse victas, ac vinci, cùm non pugnamus pro regionibus hæresi contaminatis (nisi magno nostrorum studio repurgari illæ possint) iustamque causam fouentes, Pontifici Romano sumus obsequentes.

Haud negamus tamen, occulto Dei iudicio, contingere interdum, vt, cui sanctior esse causa videtur, succūbat; quod euenit Hebræis, pugnantibus, & quidem de sententia Dei, aduersus tribum Beniamin. Verùm nos decernimus, quod plerumq; accidit, exitumq; rei supremū sortitur. Non enim benè victor, nisi, qui ad extremum reportat vltimam victoriā. Galli anno conditæ vrbis 363. illam cepere & euerterunt, mox eiecti, ac fusi, variis euentibus per annos trecentos cum Romanis bella gesserunt, donec anno 695. Gallia decreta est C. Cæsari, qui eam spatio annorum nouem redegit totam in potestatem. Exitus itaque post annos trecentos, intra annos nouem declarauit, esse fortiores Romanos cum contingeret, quod Brigida prænunciauit, vt Græci, & hæretici huiusmodi confracti ærumnis, & contusi, agnoscere qualitercunq; crimen suum possint, inquit illa, est futurum vt Deus eos respiciat; ac Turci, vel succumbant omnino, vel manus dent Christo.

VICEGRADVM Plindeburch.

VICEGRADUM Germanus Plindeburch, Castrum vetus, ad dextrum Danubii latus, præcelso in monte inter Strigonium & Budam medium situm obtinet, quinquaginta annis in barbara Turcarum potestate fuit; munitum & validum est, copiosa armaturæ prouisione instructum, adeò etiam, vt cùm antè annos quinquaginta Strigonium à Turcis occuparetur, duobus adhuc annis ipsorū tyrannidi Christianorum zelo, & defensorum virtute, restiterit, Tandem verò, cùm Buda & loca vicina hostium potentiæ cederent, in eorum etiam potestatem deuenit. Quibus Anno M. D XCV. die XXI. Septemb. diuina miserante gratia rursus ereptum nunc à Christianis occupatur. Ad montis radices iuxta Danubium, oppidum est, frequentibus Turcarum deuastationibus, & incendiis deformatum, quod Vngariæ Regibus gratum à curis recessum quondam præbuit, quos aeris soliq; clementia & salubris amœnitas eò frequenter pertraxit. Nam vineta, pomaria, horti, pascua pinguia, virentia, & amœna, omnis generis delitias, hic, vberrima copia præstant. Id etiam ingentes regiorum ædificiorum ruinæ hoc loci testantur, quæ regiam & priscam magnificentiam arguunt: Et inter hæc, equile visendum, sexaginta, & plures equos admittens, ex marmore & secto lapide, adeò politè fabricatum, vt videntes in admirationem rapiat. Ex opposito, oppidum est Maros, à Christianis sub tributo & cruce inhabitatum, qui Ecclesiam amplam cum turri conspicua, & in ea publicum Catholicæ Religionis exercitium habent.



Communicauit G. Houfnaglius. depict: à filio Aº. 1595.



STRIGONIVM. GRAN.



Trigonium, Vrbs inferioris Hungariæ ad dextrū Danubii latus, Gran etiam à præterlabente fluuio dicta, quem illic Danubius, multorum receptor fluminum haurit; quorum liberali frequentique communicatione; tantis abundat aquis vt fluuiorum dominatum obtineat. Quinque milliaribus supra Hungarici Regni primariam vrbem; Metropolitica & Archiepiscopali dignitate claret, cuius Archiepiscopus hoc elogii & commendationis loco præbet, quod Remorum Episcopus Galliæ, qui vt Francicis Regibus, sic Strigonij Archipræsul Hungariæ Regibus coronam & gubernationis diadema solenni inauguratione imponit. Etsi primas regni & cancellarius, penes quem maximum Regni Sigillum, Vndecim sub se Episcopos Comprouinciales habet. Hic vetus Regum aula, & residentia esse solebat, cùm, ob munitiones validas, & habitationem tutam, tum ob gratissimam loci amœnitatem; qua varijs & omnigenis ipsius luxuriantis naturę illecebris hîc passim omnia virent: In planicie pascua sunt, & prata amœna, quæ magna vbertate & pecori pascendo inseruiunt, & arbusta hinc inde distincta, gratissimos recessus præbent, nec pomaria ampla, arte & natura consita, desunt, quæ varios arborum fructus sapori optimi, & admirandæ magnitudinis præbent, quos exteræ gentes hîc anno 1594. Et 95. in castris degentes, plurimum sunt admiratæ. Mōtes preciosissima vina affatim præstant, valles delabentium aquarum ac fontium copiam; Ad tantam etiam amœnitatem accedunt calidorum fontium venæ, quæ amplum constituunt balneum, quo Hungari; & præsertim primores, multum se oblectare solent, & post deuictum Strigonium, Turcæ, qui frequenti balneorum lotione vtuntur. De his Strigonii aquis Gregorius Vernerus Pannonius Consiliarius Regius, ac de nonnullis etiam in Moscouia ac Transsyluania fontibus exquisitè admodum scripsit, ac testimonio simul viri illustris Hieronymi Martinengi Abbatis, qui Paulo III. Pontifice, dum apud Transsyluaniæ Regem Apostolicæ sedis ageret Nuncium, multa de his diligenter, saneque digna memoratu, obseruauit. Adeò, vt deliciosus hic locus, multos ad se non castos procos inuitarit, qui cum graui inhabitantium detrimento, eum & vanis conatibus ambierunt, & tandem expugnantes occuparunt. Quod Bonfinius in suis Decadibus, Et Rerum Hungaricarum scriptores in historiarum monumenta retulerunt. Supra Vrbem in vertice montis Castrum est, situ & opere tam Christianorum quàm Mahumetanorum egregiè munitum, cuius præcipua ornamenta fuerunt Metropolitana Archiepiscopatus Ecclesia D. Adalberto martyri sacra, à Stephano Rege pōst ob virtutum merita inter Sanctos relato ædificata & dotata; qui pōst in eadem est sepultus, & Archiepiscopale Pallatium, cum Canonicorum ædibus. Quorum aliquot celebres & heroicos viros fuisse, præclara quorundam scripta testantur Pallatium, prout etiam ipsa Ecclesia, ex vermiculato marmore constat, cuius adhuc perelegans extat sacellum, oratorium celebre; ad quod gradibus marmoreis affabrè & magnificè factis, conscenditur, pristinam Archiepiscoporum maiestatem, religionem ac zelum testatur. Superiore etiam anno 1595. Christi & Sanctorum imagines, in parietibus, & testudine deauratas exhibens, nisi quod oculi ex picturis defricati & eruti, quod quidem impietatis genus non tam Turcæ, quàm perfidi & renegati Christiani; execrabile hominum genus, vt plurimùm exercere solet, vt tali facinore, verè se impios & Christi Sanctorumque hostes, Turcis contestentur: Qui ex eadem quoque impietatis officina, maiorem tyrannidem & crudelitatem in Christianos captiuos, quàm ipsi barbari exercent, vt miseri captiui infœliciores seiudicent, si vt fit, horum curæ & custodiæ committantur. In celebri illo & deaurato sacello integrè adhuc extant insignia Archiepiscopi & Cardinalis Strigoniensis, cum tali inscriptione THOMAS BACOTZ DE ERDEVD CARDINALIS STRIGONIENSIS ALMÆ DEI GENITRICI MARIÆ VIRGINI EXTRVXIT ANNO M.D.VII.

In Pallatio autem supra omnia ostia saxo Archiepiscopi cuiusdam sunt incisa insignia, cum hac inscriptione. DOMINVS DET NOBIS ET REGNO PACEM.

Ibi etiam est ampla cisterna, eleganter fornicata, in quam quotidiano vsui aquam colligunt, & multo tempore incorruptam conseruant, quæ quondam ex opido ad montis radicem posito, per tubas & fistulas ex Danubio, arte in ipsam arcem deriuari solebat, vnde opido ab aqua nomen inditum perhibent Germanis Die Wasser Statt. Nunc succinctam certorum locorum explicationem dabimus, quæ literis in lamina sunt designata.

A.

Strigonienses viniferi montes, vina fumosa & calida producentes, quæ quia plerique malè sobrij Germani intemperantius superiore an. hauserunt, hinc symbolum seipsos dantes, ibi manserunt, & Hungariam sepulturam habent.

B.

Mons Carolinus, Germanis Karls Bergk à Carolo Mansfeldiæ Comite nuncupationem sortitus, qui à sacra Cæsaria Maiestate Ducali titulo donatus christiani exercitus generalis Imperator est designatus. Magnam de se expectationem virtute & constantia excitauit: Is talem huius montis conditionem & situm animaduertens, vt ex eo, velut è specula & castra cōspici & ex altera parte hostes barbari in campis latè patentibus procul obseruari & dignosci possent, continuam hic militarem stationem, & æneas machinas excubiasq; ordinauit, quod quidem Comitis institutum, non minima victoriæ caussa fuit: namque inde in tempore, tormentorum explosione de hostium aduentu in castris Christiani moniti & excitati fuerunt.

C.


Vetus, siue Rascianorum opidum, Ratzen Statt/huic Miricæ gentis proprium ad nauigabile, Danubii brachium, muris portisque munitum, Id Christiani Anno 1594. Mense Maio occuparunt, sed quia eodem anno minus fœliciter Strigonium tentatum & obsessum fuit, à Christianis rursus desertum. Demum, Anno sequenti die secunda Iulii, à Mansfeldio Principe expugnatum.

D.

Virentia prata in quibus christiani Anno 1595. castra metati sunt, Germani, Vngari, Itali, VVallones vbi Duce Mansfeldio Principe christiani contra prophanam & barbaram Turcarum gentem insigni sunt potiti victoria die quarta Augusti, qui sex & decem millibus benè armatis instructi, vi sibi aditum in Strigonium nitebantur parare. Qui omnes à Christianis cæsi sunt & dissipati.

E. Sigget-







Communicauit G. Houfnaglius depict: a filio. A°. 1595.

ORIENS.

STRIGONIVM. GRAN.

Danubius flu.

M. Goggarn, oder Kakatta.
N. Das shlos Graann.
O. Waßerstatt.
P. Ratzenstatt.
Q. Die insel Sigett.

Hußaren.

OCCIDENS.

E.

Siggettum,insula,ex Veteris,Rascianorum opidi,opposito,in qua anno 1594. christiani murales machinas collocant,quibus Strigonium irrito conatu,verberabant.

F.

Thermæ & calidarum aquarum fontes,ex colle D.Thomæ profluentes.

G.

Sepultura vnius Beggij militaris turcici præfecti.

H.

Aquaticum opidum,quod & nouum dicitur,armata manu per Mansfeldium Principem anno 1595.die 13.Iulij expugnatum,vbi inter reliquam prædam sexcenti equi sunt inuenti.Vbi ex firma fuit vnius Beggij domo arci vicina, Strigonium maximè oppugnatum fuit.

I.

Turcarum Cœmiterium.

K.

Mons S.Thomæ,quem Turcæ anno 1594.Martio mense quando Strigonium contra imminentem obsidionem rebus necessariis instruxerat,propugnaculo,& æneis tormentis munierunt.Sed christiani eos inde pellentes ex ipsorum fortalicio arci maximè obfuerunt,adeò,vt in muris & vallibus Turcæ vlterius se continere non possent, & tandem anno 1595.die 3.Septemb.ad deditionem coacti fuerint.

L.

Militis Vngarici sonipedis habitus,qui vt & cæteri omnes Vngari, soleis ferratis gradiuntur, extremis pedum digitis duntaxat,terram calcantes.Homines feroces,& in bello validi,Turcarum armis excitati,equestri prœlio magis,quàm pedestri idonei.


M.

Parkan,propugnaculum,vulgò Kocken/à Principe Mansfeldio anno 1595.Mense augusto crematum.

OENIPONTIS A PARTE ORIENTALI, ET VICINORVM LOCORVM PROSPECTVS.



Irolensis Comitatus, Prouincia Alpibus licet inclusa & extensa per ipsa iuga Rhætica, fructuum tamen rerumque ad vitam necessariarum; nec non auri, argenti, metallorumque omnis generis optimorum copia, tam locuples & diues, vt eam aptissimè & admodum facetè Maximilianus Augustus, rudem & agrestem rusticis tunicam appellare consueuerit, multis quidem plicis & rugis horridam ac deformem, valdè nihilominus bonam, calidam accommodatam esse dicens. E montium enim visceribus; ingentes hauriuntur metallorum thesauri, cacumina vastis filuis; ferarumque multitudine plena; colles ac cliui, frugibus ac vineis: valles fontium ac fluminum aquis irriguę; armentis & pecoribus refertæ sunt: quæ pabulo non minus, quàm lacus & stagna inter montes spaciosissima, variis & optimis piscibus abundant. Itaque Comitatus iste; non solum Ducatui, verùm etiam Regno diuitiis potest æquiparari. ENI PONS, vulgò Inspruck/ vrbs, Regionis Metropolis est, ad Eni fluminis dexteram ripam, vbi Camera & Parlamentum est Comitatus Tirolensis, & superiorum Regionum Austriacarum. Ibi Palatium est regio sumptu splendidè exornatum, quod multorum Cæsarum Austriacorum fuit domicilium; quod atria habet magnifica, cameras, porticus, sacella, xystos supellectili regia, aulæis, picturis, ornamentisque omnibus instructissimos, hortos artificiosis fontium scaturiginibus amænos. Videre ibi est in spacioso pulcherrimoque cænaculo, generosam illam Austriacam sobolem, florentissimos æui nostri Principes in tabulis ad viuam effigiem, Titiani peritissimi pictoris ingeniosa manu coloribus imitatos. Intueri iuuat tanquam præsentes & rediuiuos. D Ferdinandum cum Anna fœcundissima coniuge. Carolum V. Augustum cum Leonora Emanuelis Regis filia, eiusque filium Philippum cum Maria Henrici Angliæ Regis F. Maximilianum cum altera Maria Caroli V. F Pellitum Polonum Sigismundum Regem; Potentem Etruriæ Ducem fulgentibus in armis Alexandrum. In eiusdem palatii armamentario Ducales ministri per spaciosa tabulata; hospitibus monstrant armorum, telorum omnis generis multiplicem copiam, exuuias & hostium spolia insignia. Persicos acinaces sagaces (vt nunc etiam vocant) Scythicas, samateras Daricas, sarissas Macedonicas, Ithyreos arcus & sagittas, necnon pharetras, variis picturis & coloribus ornatas. Sed imprimis Spectatoribus placet equestrium statuarum turma, barbarorum principum ac Ducum veris armis ac spoliis opulentissimis instructa, Numidæ, nimirum, Mauri, Parthi, Thraces, Thessali, Pannones, cataphractique Germani. Ipsam etiam vrbem multum exornant patrum Societatis IESV collegium, & Franciscanorum cœnobium vicinum cum templo pulcherrimo, religionis ac pietatis opera magnifica, quæ D. Ferdinandus Aug. è quadrato saxo, magnis impensis construxerat. Præter alia templi ornamenta imprimis conspicuum est in eius medio intrantibus obuium Imper. Maximiliani primi monumentum, artificio, signis, & marmorum variorum precio sumptuosum & augustum, quod auo; pii nepotes Carolus V. & Ferdinandus Aug posuêre. Morantur aduenarum atque intuentium oculos artificiosissima signa, imagines, ac tabellæ in lateribus monumenti ex Pario marmore in quibus eiusdem Maximiliani Augusti res pace belloque præclarè gestæ, opere sculptili pulcherrimè repræsentantur. Circumstant ab vtroque monumenti latere; per intercolumnia templi veterum Austriæ domus heroum humana statura maiores, immò decempedales æneæ statuæ, ad viuum in habitu atque armatura antiqua pro more cuiusq; sæculi factæ, cum titulis & collegiis suis, haud mediocrem maiestatem præ se ferentes. Atque inter has quidem Heroum statuas, Gotefridi Bullionii Palestinæ ac Hierosolymorum primi Christianorum Regis, cum spinea in capite corona conspicitur; Cuius causam percontantibus, respondetur, fortissimum illum atque piissimum Principem, post præclaras victorias; quibus Syriam & Palæstinam Turcis ac Saracenis eripuerat, Hierosolymam cœperat, à confœderatis Christianis principibus cunctis, vno cōsensu in eius vrbis, deuictarumque Prouinciarum Regem electum fuisse, Principesque confœderatos ipsum renitentem humeris sublatum, ad sacrosanctum Christi sepulchrum portasse, vt ibi inter Missæ solemnia; coronam atque insignia regalia acciperet, Regni quidem noui gubernacula consensu victum Gotefridum; tandem acceptasse: coronam tamen, atque insignia regalia accipere prorsus detrectasse, quod indignum atque nefarium iudicaret, hominem in ea vrbe incedere aurea insignem corona, in qua Rex Regum Christus, pro nostra salute spineam gestasset. Eius igitur tam piæ modestiæ propter memoriam optimè merito principis statuam, spinea corona posteros decorasse. Non procul ab vrbe Eni Ponte, Mulbach/ in Eni Insula se offert, vbi Armamentarium Archiducum est, in quo monstrantur machinæ bellicæ, & ænea tormenta, vastæ magnitudinis, ac ponderis ingentis, quibus propugnacula, muri, & turres expugnantur, vrbes euertuntur. Vident ferrarias officinas, & fabricas, in quibus thoraces, galeæ, clypei, ocreæ, & ferrea indumenta quæuis cuduntur, poliunturque: nec non in quibus ferreas fistulas formant ac terebrant, per quas plumbeos globos, puluere sulphureo primus iniecto, summa vi torquent in hostes, equos, hominesque cataphractos facilè prosternunt lethali vulnere. Vicina est ibi villa Ferdinandi Archiducis suburbana, quæ cum triplicibus antiquorum Romanorum villis, opulentia & magnitudine certare potest, posita in cliuo sub montium iugis altissimis in Eni valle, & occupans perampla latifundia Etenim, præter rusticas & fructuarias suas stationes habet in colle positum Palatii instar prætorium, AMERAS dictum, à Sereniss. Archiduce Ferdinando Austriaco extructum, in quo & eius bibliotheca & Musæum Villamque pulcherrimam, elegantia structurę, situs amœnitate, picturis, regiæque suppellectilis nitore prorsus vrbanam. Quam idem Princeps extrui curauit, sibi, aulicæque vniuersæ cohorti suæ ad æstiuandum commodissimam. Ostenduntur etiam in cliuis ac vallibus stagna, piscinæ; lacus & viuaria nobilium piscium, illinc vineæ, pomaria, siluæ, leporaria, saltus & ferarum viuaria. In Prætorio illo visuntur elegantes apparatus, atria, porticus & triclinia, aulæis, signis, & tabulis pictis ornatissima, In Aula perampla Comitum Tirolensium ab initio, ad nostra vsque tempora successio, cum elogiis rerum gestarum cuiusque Principis. Ibi gynæceum cubiculis variis pulcherrimè distinctum, horti pensiles : & auiaria æneis retibus conclusa: Item, Armamentarium


Elegantissimus à parte Orientali
OENIPONTIS
prospectus.
Occidens
Castrum AMERAS à serenissimo
Archiduce Ferdinando Austriaco
extructum, in quo et eius
Bibliotheca et Musæum.
Oeni pons
Ex archetypo
Alexandri Colyns
effigiauit Georgius
Houfnaglius.
Oriens

rium in superiore tabulato spaciosissimum, in quo tanta vis armorum atque telorum omnis generis congesta, vt ex eodem, velut ex equo Troiano, cohortes aliquot armatura plena instructæ, breui spacio possint erumpere. Ostenduntur huic castro, vicina, & circumiacentia loca pulcherrima paradromis equestris, stadium, sphæristerium, & alia septa, in quibus iuuentus nobilis solet exercitari; Item horti excultissimi, vbi visuntur paradysi, labyrinthi, & Nympharum diuersa sacella fontibus artificiosis irrigua, quorum scaturigines multas, variis in locis abundè suppeditant torrentes è vicinis montibus per subterraneos tubulos ducti. Placent ibidem hypetræ, & subdiales cenationes topiariis pulcherrimis vestitæ, & imprimis illa rotunda, ad radicem vici montis, in cuius medio mensam acernam rotundam simul cum conuiuis assidentibus aquariæ rotæ sub cenatione laborantes, vel leniter, vel raptim circumagere, & conuiuas, si ita placeret, vertigine inebriare poterant. Est ibi denique Liberi Patris sacrarium, vbi mysteriis initiari aduenæ solent: Spelæum est ingens in rupibus amplum & obscurum, in quod pluribus saxo excisis gradibus descenditur. Mirantur peregrini capacissima vasa vinaria, & nobilissima Bromii dei multiplicia dona haud grauatim libant, per quæ cura fugit. Non prius tamen se sentiunt impeditos, quàm cùm regredi volunt. Tum intelligunt primùm Dithyrambi Dionysii numen, ac pedicas in obscuro positas; cancellisque obseratis, exitum non inueniunt. Confestim præsto sunt sacrorum callentissimi hierophantæ, cum scyphis decumanis ferè congialibus, quorum antistes ritualem profert codicem, & ex eo legit Bromiam legem ab antiquo Germanis populis in hisce mysteriis solemnem.

Hospes aduena Liberi Patris adytum ne
prophanus egreditor, Tauricornis
Dei iram ne prouocato. At eius sacris lubens initiator.
Meri optumi craterem ac ratophorum
haustu pollenti potenti polluceto. Initiatus
nomen tuum in Orgiastarum tabulis adscribito.

Hinc ducuntur initiandi non ad aram Tauricam, sed ad mensam eduliis & mattyis sitim prouocantibus plenam; vbi cùm ingentem vnico tractu pateram euacuarint, iam initiari inter Orgiastas in codice rituali mox adscribuntur.

PROSPECTVS AMOENISSIMVS VALLIS OENIPONTICÆ VNA CVM ANTRO IN ALTISSIMA ET PRÆRVPTISSIMA RVPE, IMP. MAXIMILIANI PRIMI.



Vi ex Germania in Italiam per ſalebroſas montium cautes, per aſpera ſaxa, per altas ac præcipites valles, atque per amœniſſimas Oeniponticas ac Tyrolenſium vias contendunt, præterquam quod arces, villas, elegantesque vrbes conſpiciant, in præaltis etiam ſcopulis rupicaprarum greges, earumque miram ac iucundam venationem frequenter vident, quæ per rupes & ſaxa, inſtar auium volitantium ſaliunt, & in tantam altitudinem ſcandunt; vt viſum fallant, & exigui videantur eſſe cuniculi. Huius venationis occaſione monſtratur locus in ſublimi rupis pariete, in quadrum exciſus, & in eo imago crucifixi Saluatoris noſtri, altitudinis quadraginta pedum, quæ ab imo cernentibus, vix bipedalis apparet, in memoriam rariſſimi caſus ibidem poſita. Qui quidem caſus ita narratur. Quo pacto Maximilianus Cæſar, Friderici A. filius, imperito prorſus ardore iuuenilique nimia audacia feras iſtas inſectando (vt cacoethes illa venandi in adoleſcentibus principibus plerumq; vehementer flagrare ſolet) eo loci euaſiſſet; vnde nec referre pedem, nec vlterius progredi poſſet, niſi in præcipitium. Stabat attonitus in abrupto loco infelix ille princeps, temeritatem ſuam culpans ipſe, famis diræ longa tabe, vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus, horror & tremor artus occupauerant, & obuerſabatur vbique triſtiſſima mortis imago. Si altum reſpicit, niuoſa cacumina & ſcopulorum ingentes minæ capiti imminent, & vt Silii poetæ verbis dicam:


Caligat in altis
Obtutus ſaxis, abeuntque in nubila montes.

Sub pedibus occurrunt, tartareus veluti abyſſus

& regni pallentis hiatus
Ad manes miſeros, atque atræ ſtagna paludis.

A tergo & lateribus Marpeſiæ cautes, non ferro, non flammis, non aceto Punico domandæ, viarum acceſſus claudebant. Nec funes aliaue inſtrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipſum alicunde protendi poterant, nec ſemita quæpiam, lapicidarum labore menſtruo parari. Stabant gregatim hinc inde comites ac miniſtri, conſilii prorſus inopes, dominumq; ſuum miſerum à longe non ſine lacrymis proſpectant, quem iuuare non poterant. Ipſe autem cum iam noctes atque dies integros duos in tam afflicto ſtatu continuo permaneret, nec vlla ſalutis ſpes reſidua videretur eſſe, mortalis huius vitæ cupidinem pius princeps abiicere, & qua ratione tutius beatioris vitæ cœleſtem in locum tranſire poſſet, cogitare cœpit. Appellat magna voce ſuos, iubetque, vt quamprimum Sacerdotes ſacroſancta Dominici corporis Euchariſtiam adferrent, & è viciniore, quo poſſent loco ſibi monſtrarent: vt, quando corpus mortali cibo reficere non daretur, ſaltem oculos à longe mentemque immortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret, Deumque ſeruatorem ſuum præſentem adoratione poſtrema reconciliare ſibi poſſet. Satisfactum tam pio Principis deſiderio quam diligentiſſime. Sed luctus interea magnus per vniuerſam prouinciam ſpargitur, fama tam acerbi caſus diuulgata. Deplorabant parentes dilecti ac vnici filii ſortem infelicem, & infauſtam orbitatem deteſtabantur. Curia, ſenatus, ac ordines vniuerſi, crudeli fato, ſpei optimæ principem adoleſcentem, ſibi ſublatum mœrebant. Populus omnis publice vota pro principis ſui ſalute ſuſcipiebat, in vrbibus oppidiſq; ſingulis templa atque ædes ſacras, magna vtriuſque ſexus frequentia ſupplex circuibat, iram diuini numinis deprecando. Flectere cœleſtium iram mortalia vota, piaſque preces, veluti miraculo quodam tum innotuit. Cum enim iam ope deſtitutus humana Maximilianus in ſcopulo cura fragilis vitæ prorſus abiecta, nil aliud, quam immortalitatis, Deique ſeruatoris ſui contemplatione ſemet occuparet, audit non procul à ſe ſtrepitum, circumſpicienſque, videt arreptare per rupis coſtas iuuenem quendam ignotum, habitu ruſticum, dimouere ingentia ſaxa, & callem parare. Qui cum

SCHLOSBERG. die Clause, in Alpibus Tirolensibus. Depingebat Geor. Houfnaglius. Monument. occursus Imp. Caroli V. et Ferdinandi fratris



1590



cum ad ipſum acceſſiſſet, porrecta dextera, Macte inquit animo, virtuteque tua Princeps, viuit & adeſt, qui te ſeruare poteſt: depone metum inanem, & me ſequere, actutum te in tutiora loca traducam. Vti ſol per denſas nubes clarior emergit, ita mox anxii pectoris angore deterſo, ſerenior rediit animus, confidenterque ducem ſequitur. Et paulo poſt in patentiori via poſitus, ſemet ex Orci faucibus ereptum videt, liberatoriſque ſui induſtriam non ſatis admirari poteſt. Ad deſcendentem deinde fit magnus comitum miniſtrorumq; nobilium concurſus, vbi inter congratulantium turbas, ducem ſuum perdidit. Pallidus, & inedia languidus excipitur equo, domumque cum ſumma lætitia à ſuis reducitur, luctu publico confeſtim in maximum gaudium conuerſo. Poſtero die cum læti patris edicto promulgato, dux ille vbique terrarum quæreretur, quo præmio, merito poſſet honorari, nec diu quæſitus inueniretur: cognitum pariter, & vulgo creditum eſt, Euangelum cuſtodem, bonumue Genium fuiſſe à Deo miſſum, vt adoleſcentem principem ad maxima reipublicæ Chriſtianæ commoda, & ad Auſtriacæ domus incrementum grande ab immatura morte ſeruaret. Quam opinionem poſtea res ab ipſo præclare geſtæ plurimum confirmarunt. Ad rei memoriam pius princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, & in eodem periculi ſuo loco, crucifixi Seruatoris noſtri imaginem conſpicuam è via poni curauit, vti peregrinantes diuini auxilii gratiam vbique piis eſſe paratam in periculis, inde cognoſcerent. Hanc Maximiliani Cæſaris fortunam Germanus Poeta quidam non indocte ſic attigit in Hodœporico ſiue Itinerario ſuo:

Poſtera rore leui virides Tithonia campos
Sparſerat, ad ſcopulum curſu peruenimus altum
Hic vbi ſectatus ter Maximus Æmilianus
Alta in rupe capras, finiſſet turpiter æuum;
Ni Deus ad maiora virum ſeruaſſet, opemque
Auxilio agricolæ pene ipſa in morte tuliſſet.

Meminit item Georgius Sabinus itineris Italici Hodœporico ſuo his verſibus:

Iamque tenebamus, qua ſpumifer æſtuat Oenus,
Ardua carpentes ſub iuga montis iter.
Cuius in abrupto per noctes vertice Cæſar,
Diue tuus, quondam Carole ſedit auus.
Syluestres quando capreas, dam aſque bicornes.
Auſus in aerea figere rupe fuit.
Culmen & aſcendit iuuenis temerarius, vnde
Cum vellet, potuit non reuocare gradum.

MONVMENTVM OCCVRSVS IMP. CAROLI V. ET FERDINANDI FRATRIS.

Qui per aſpera Oenoponticæ vallis ſaxa Steinachium contendunt, & per iuga Rhætica, profundaſque montium valles iter faciunt, ad Pyrenes montis radices, obuiam habent in via columnam cum ærea tabula erectam, in qua pulcherrime ſculptura repræſentatur duorum fratrum maximorum Imperatorum eo loci congreſſus lætiſſimus: Caroli V. videlicet per Italiam ab Africana Tuneti expeditione redeuntis in Germaniam, ad Imperii res poſt longam abſentiam conſtituendas: Et Ferdinandi Cæſaris fratri deſideratiſſimo, quem à multis annis non viderat, cupidiſſime obuiam occurrentis. Videntur ibi vtriuſque Imperatoris factæ ad viuum effigies, & varii aſſeclarum principum pro cuiuſque more gentis habitus manu artificis eleganter imitati. Mentionem huius etiam columnæ facit Germanus ille Poeta, in ſuo itinerario, his verſibus:

Hic poſt longa duo congreſſi tempora fratres
Carolus heſperiis victor, Ferdnandus Eois;
Cum patriis cuperent propellere finibus hoſtem
Iſmarium, atque Ducum longas componere lites.

Huic autem ſculpturæ, ad ſempiternam rei geſtæ memoriam, inſcriptio talis ſubiungitur.

IMP. CÆS. CAROLO V. P. F. AAG. EX HISPANIIS ITALIAQ.
SVSCEPTIS IMPERIALIB. CORONIS ADVENIENTI ET
FERDINANDO HVNGAR. BOEMIÆQ. REGI E PANNONIIS
OCCVRRENTI OPT. PRINCIPIB. AD PERPETVAM PVB.
LÆTITIÆ MEMORIAM QVOD FRATRES ANTE ANN. VIII.
DIGRESSI SVMMIS INTER MORTALES HONORIB. REGNIS.
TRIVMPHIS AVCTI. HOC IN LOCO SALVI. SOSPITESQ.
CONVENERVNT ANNO SALVTIS M. D. XXX.

FRED. FRAZIVS A MONTE NIVEO STENACI PRÆFECT.
MANDATO REGIO F. C.

AVGVSTI APVD VENETOS TEMPLI D. MARCI DESCRIPTIO.



VENETIAE vulgò Vinegia, præclara & insignis vrbs, imò vrbium & insularum domina, in sinu maris Adriatici in medijs aquis sita, Regiones seu Parochias habet LXXV. Monachorum Monasteria XXXIX. Monacharum XXVIII. Turres CXV. Organa CIV. Oratoria XVIII. Hospitalia XVII. Fora publica LIV. Palatia CX. Hortos CLVII. Fontes publicos CXLVIII. Fontes publicos exceptis priuatis CCCCL. Tot enim canales habet, quot vicos Fanum verò nullũ, quod non suo ornetur Foro, vno D. Pauli excepto. Areæ sunt, quæ ad ciuitatis decorem latè se extendunt, quę omnes nundinis, die, qui Mercurij dicitur, At Sabbato D. Marci forum, maximo, frequentissimoq; conuentu, qui vel mercatui vrbis cuiusuis totius Italiæ comparari queat. Forum hoc non vnum est, sed coniuncta tria. In capite, quod littus spectat, columnæ peringentes binæ cernuntur, quarum vna D. Marci leoninum alatum signum, altera D. Theodori statuam sustinet. Forum hoc in longum ped. CCCC. in latũ CXXX. patet. vndique nobilibus ædificijs clausum. Pręoccupatur autẽ sumptuosissimo ac mirabili templo D. Marci, quod alterius fori medij longitudinis pedũ CCCC. latitudinis CXXX. frontẽ exornat, alterumq; caput eius aduersum ædes nobili lapide perfecta D. Germani tenet, Latera claudunt splendida è marmore ædificia, cum eximijs porticibus, & variorum artificum tabernis Aedes Marciana tota è nobilissimo pretiosissimoq; marmore, nec minore artificio, quàm sumptu constructa est. Pauimentũ inprimis nobile habet porphyreticis, ophe-ticis, alijsque pretiosissimis lapillis tessellatum, cum varijs emblematis. In parietibus quoque nobili marmore crustatis, ad læuam binæ tabulę sunt varij lapidis, candorem nigræ lineæ distingnunt, in quarum commissura, signũ virile, tam excellenti artificio cernitur expressum, vt summam prorsus habeat admirationem, cuius memoriã, vti rari operis, etiam Albertus Magnus literarum monumentis celebrauit. Inclyto in hoc fano, ac inter Europæ totius magnificentissima censendo, XXXVJ. columnæ stant, ex marmore solido præstãtissimo. crasse diametro pedes duos, alteq; conuenienti statura. Tum ad aræ summæ penetralia gradibus aliquot nobilissimi lapidis ascensus est. Ipsam aram testudo tegit quaquauersum in crucem fornicata, lapide ophetico, quaternis fulciata marmoreis colũnis, quę totæ signis integris, palmi paulò amplius magnitudine, cælatæ perfecteq, sunt, & sumptuosissimo, mirabilique prorsus opere, veteris ac noui testamenti historiã exprimunt. Post aram alabastreticę columnæ passuum duorum, perlucidæ, vitri instar, quatuor, religioni ac decori sacratissimi corporis Christi positæ stant. Ipsum delubrum vtrinq, ante suggestum habet, in quorum vno, festiuis diebus, cum Senatus adesse sacris solet, musicorum chorus solennia modulatur vota. In altero quotidie Diaconus Euangelium canit. Sustinent hęc pulpita columnę variorum lapidum nobilissimæ. Summam aram insignis tabula decorat, ex auro, argentoque facta, multisque infiniti pretij gemmis & margaritis exornata. Dextra mox in parte, asilicæ medio, lata sublimisq; porta cernitur, opere tessellato perillustri elaborata tota, cum imaginibus Diuorum Dominici & Francisci, quæ signa Ioachimum Abbatem, effingi curauisse ferunt multis annis antè, quam sancti illi viri in lucem editi fuerunt. Intra hanc portã, thesauros illos inclyti D. Marci Procuratores seruãt, hercule diuitiarum immensus aceruus, stupendæq, prorsus opes sunt. Sunt ibi coronæ maximi pretij duodenæ, totidemque thoraces puro ex auro, & cum mirabili gemmarum variarum multitudine. Sunt carbunculi, quos rubinos vocant, item smaragdi, topazij, chrysolithi, cæteraque genera gemmarum & margaritæ, magnitudinis penè incredibilis. Deinde bina cornua monocerotis, eximia proceritate, tertiumq; breuius, item carbunculi, aurea vasa, cochleæ ex achatis & iaspidibus nõ modicæ, carbunculus item, seu rubinus, maximus, vrceolus ex pretiosissimis gẽmis, quem Persarum Rex Venetæ Reipub. dono misit, Et alia multa ingentium pretiorũ vasa, cum thuribulis ex auro & argento, vt ad stuporem videntes adigat. Postremo mitra seu galerus, qui nouo Duci imponitur, vndique puro auro, per oras perque transuersum deornatus, & in zophoro nobilissimas gemmas, & in summo apice, carbunculũ infiniti pretij tenens. Adsunt etiam ingentia candelabra, pateręque aureę, aliaque tam multa maximarũ opum vt nisi longissima narratione comprehendi omnia haud queant. Solet hic D. Marci thesaurus, festo Ascensionis Dominicę, quod maxima pompa Veneti celebrãt, quotãnis populo intuendus publicè exhiberi. Habet porrò, peraugusta hęc D. Marci ædes, atrium, duo eius latera claudens, cuius auream testudinem opere tessellato veteris Testamenti historiæ depictæ nobilitant, nec pauimentum ipsi elaborata pulchritudine cedit. Quaternæ hic valuæ aditum in templũ præbent, cum XVJ. columnis è nobili marmore, crassitudinis duorũ pedum, aptæque statuæ Duas portas octonæ harũ faciunt marmoris atri cum niueis onychinis maculis, aspectu iucundissimæ: Porticus huius exteriore frõs CXIV columnis Porphyricis, opheteisque, & marmoreis alijs altitudinis ped. sustinetur: alijsque sequitur huic impositus ordo columnarum, non quidem pari cum inferioribus magnitudine, sed tamen eiusdem nobilitatis CXLVJ. quarum coronis ambulationem apertã complectitur supra vestibulum templi, quæ pariter, vti ipsa porticus, frontes ædis externas cingit, spodisq; forinsecus munitur & marmoreis columellis. Hoc in ambulacro sacerdotes, festo die Palmarũ Senatu ac Principe superastante, certas quasdã solennes cęremonias peragunt. Superciliũ frontis, quod maiori portæ (quina enim hæc facies æreas habet, quarũ binæ aperiuntur indies, totidem non nisi quibusdã, festiuis diebus vna perpetuo clausa est) respondet equi ex ęre vetusti quatuor inaurati, forma, magnitudineq; Turcici uiui, mirificè, ornant. Istæ equorum statuæ, ex Constantinopoli, cum Veneti eam occupassent, trãspositæ, & eò primũ ex vrbe Roma ex Arcu Triumphali Titi Vespasiani allatæ, Tectum fani totius quinque constat hemisphærijs plũbeo tegumento Contra Basilicã interuallo ped. LXXX. turris est eminentissima tintinnabulorum, lata quaquauersum XL. ped. alta CCXXX. cum alato summo in apice genij signo, ventotum indice, quoniam versatile est, & aura quauis circumagitur. Sublime fastigium totum aureis vestitur tegulis, quarum fulgor solis repercussu longissimè conspicuus est.

DE PALATIO SENATORIO VENETO.

MAgnificentissimæ D. Marci Basilicæ vicina est peregregia Ducis Curia, ex omni parte niueo marmore incrustata, vbi Dux habitat, & Consiliarij coeunt, Palatium sanè regium, in quo conclauia multa, & pulcrè ornata, atque armarium duplex, publicum & secretum, illud omnibus patet: Hoc, nisi à Decemuiris impetrata venia, nemini. Et sunt arma in illo contenta Decemuirorum auro & argento politissima. Tertium Reipub. armarium est, quod vulgò Arsernle appellant, in quo triremium, quinqueremium, & aliarum omnis generis nauium bellicarum magnus numerus. Quippe, in quo CC. triremes semper paratæ sunt, & CCCC. homines opus faciunt quotidie, quibus singulis septimanis M. CCC. Ducat exponuntur. Habet vero in ambitu II. milliaria, & latericio muro circumdatum, oppidi speciem præ se fert.

Oriens

AVGVSTI APVD VENETOS TEMPLI D: MARCI ACCVRATISSIMA EFFIGVRATIO.

Depinxit Georgius Houfnaglius αὐτόπτες. Anno 1578.

Septentrio

PALATII SENATORII APVD VENETOS CONFLAGRATIO, ANNO M D LXXVII.


CAPRAROLA.



APRAROLA arx insignis,egregia,ac planè speciosa, inter Viterbum & Monterosam oppida sita, vnius circiter diei iter ab vrbe Roma distat.Hanc reuerendissimus & illustrissimus in Deo pater, Princeps ac Dominus,Alexander Farnesius Cardinalis,per Vignolum architectum præstantissimum erigi & ædificari curauit in monte præcelso,ad cuius radices oppidum Caprarolę situm iacet:hanc inquam arcem velut recessum suum, ad dulcissimum,quo æstiuo frueretur tempore,refrigerium: quam aliquot miliaribus ex Monterosa ciuitate ad Capenos colles extructam(sicuti ex Agrippinensi vrbe Bensburgum castrum ad Bergensium montes) prospicere licet.In decliuitate montis locus quidam saxis totus exasperatus,in planitiem redactus est, super quam Caprarola arx extruitur,atque ita locatur,vt amœnissimam latitudinem ex amphitheatro delapidato constantem & ad pilæ exercitium satis capacem sibi retineat, ad hanc ex oppido binis scalis, vt apud nos in templorum choris videre est,ascenditur,similunij ad formam extructis,& nec superius nec inferius sibi contiguis, sed in summitate ab vna semilunij parte ad alteram cancellato adminiculo coniunctis,columnarum serie exornatus fontesque viuos duos curuatura sua sub se ambientibus,quæ per capita leonina in tumbas affabrè excisas lympidissimam suam effundunt aquam, hominum vsui maximè opportunam.Inter vtramque fontium tumbam per ostium itur in pergulam valdè tenebricosam, cryptæ non absimilem, perque saxum excisam medio sub amphitheatro delapidato in cellam foueamque vsque deriuatam.E regione porro ostij in area supradicta, domus & arx Caprarola conspiciendam se exhibet,ad cuius portam lepido ascensu geminis ac duplicibus scalis supra in quadrangulum peruenitur spatium,vbi vtriusque lateris scamna ex cælato lapide fabricata consessui admodum se præbent idonea. Supernè per oppidulum in forum,sicut etiam ab inferiori ostio,summa cum animi oblectatione,longè lateque prospicitur. Et cum duplices hæ scalæ subtus concauæ arcem,domumque non contingant(inter vtramque enim fouea scopulo incisa ac sicca penitus consistit, totam ambitu suo domum comprehendens)à summitate earum per ligneum pontem ingressus in arcem datur, quæ plana superius est,& quinquangularis veræ Pentagones formam exhibens:isto tamen artificio disposita, vt nisi intenta sit ibi & attenta simul oculorum acies,quinquangularitas illa(vt sic loquar)animaduerti haud facilè queat.In domum vero per pontem ingrediens, primo in nitidum ac quadratum(non secus atque in templum splenditum ac cauernosum varijs regionum picturis exornatum) atrium seu vestibulum subintras,quod rectà è regione pontis ac portæ,per quam ingressus patet, sublimia & speciosa habet ostia. Ad dextrum latus, in amplum & fornicatum itur cænaculum,Gardæ robbæ(vt vocant)vsum ipsis præbens.In sinistro latere exhibet se lata,pellucida,summoque artificio,cum duplicibus in summitatem vsque ductis columnis,extructa scala:quæ rotunda etiam ac supernè recurua,artificiosisque picturis ad Gratiscorum(vt artifices vocant)formam eleganter cōdecorata est,& primaria habetur earum quæ ad secundam porticum pedetentim deducit,ita vt mulo etiam seu equo conscendere eam liceat.Ianua vestibuli, quæ è regione primæ portæ palatij videtur,in aream rotundam deducit,ac lithostrotum,apertis tamen quæ diem inducant spiraculis,quæ(cum inferius vbique sit concauum,conclauibusque refertum)per fenestras ferreis cancellis munitas lucem infundunt.hæc super columna ingenti ad imum vsque deducta quiescit,quæ pellucidam intrinsecus habet formam,superiusque in area saxea, & in ipso medio, cum ingenti ex marmore excisa larua,seu mascarata (vt vocant)facie ita obtecta est vt conspici columna nequeat: pluuiarum verò aquæ per os oculosque dictæ laruæ sic sese deriuent,vt quorsum perueniant aut absorbeantur, percipi non queat. Hanc autem de qua loquimur aream cancelli quadranguli vndiquaque ambiunt.Eadem hæc rotundum habet latumque ambitum,cui & sua sunt conclauia ad antiquitatum & imaginum custodiam destinata,& ab vna areæ parte altis ac planis columnis vestita, in quadrum ex lapide quadrato erectis,superius veluti fornicatæ sibi contiguis,quibus & aliæ duæ porticus impositæ sunt,quarum altera similiter columnis suis munita est,rotundis tamen & duplicatis:tertia & suprema sub dio collocata,adminiculis lapideis circumdata, quibus & suæ insunt propius sibi coniunctæ columnæ.Prima illa quadratis ac planis constans columnis, interius in medio sui fenestram habet septem circiter pedes altam,ad quam per tres gradus ascenditur, ex eaque prospectus in aream patet ornatus magis quam necessitatis gratia fabricata,ad statuas nimirum in ea collocandas.Superius,inferior circuitus(quemadmodum & secundus)fornicatus est, vite carpenti in formam incuruata circumquaque depictus,cuius fundus cælestino constat colore, cameræ verò ligneæ sicut & palmites per eas ductæ,cinericeo,folia tamen vuæ,& auiculæ circumuolitantes,viuis adumbratæ sunt coloribus, quæ omnia oculos iucundo pascunt aspectu.Alterum latus,in quo per suas ianuas in cubicula ingressus datur,stratum habet, Adamantum ad formam quadratis exornatum figuris, quibus & suæ insertæ sunt imagines.Singulas superius ianuas clypei & insignia domus ac familiæ Farnesianæ, sicut & aliorum quorundam illustrium Romanorum,depicta conspiciuntur. Ex infimo hoc circuitu ingressus est in alia duo ædificia cubiculis suis fornicatus exstructa, quoduis autem ædificium pro more Italico cænaculum siue aulam comprehendit, cubiculum interius,& aliud exterius quæ coniuncta sex faciunt,conclauia,quæ(sicut & reliqua totius arcis omnia)vndequaque tot tamque artificiosè oleaceo colore depictis historijs ac inuentionibus exornata sunt,vt singularis hac de re conscribendus liber foret.

Nunc quod ad circumflexam illam scalam maiorem,cuius initio facta est mentio, quoniam non vulgaris in ea amplitudo,vt nec artificium triuiale, apparet:scias eam testudini assimulari,ad eiusque amplissimum latus proximè parietem artificiosi gratiscorum(vt vocant) ductus depicti sunt,variæque hinc inde non tamen perfractæ(quas cæcas vulgò dicunt)fabricatæ sunt fenestræ, ad statuas suo tempore in ijs collocandas,ad arctissimum testudinis latus,duplex ex lapide circumductus est margo, columnulis quamplurimis sibi contiguis interstinctus,quibus magnæ longius inter se distantes impositæ sunt columnæ, paribus vbique coniunctæ. Ex hac testudine in secundam peruenitur porticum,similiter adminiculis suis circumductam,quibus suæ insertæ sunt columnulæ, eisque maiores illæ innituntur columnæ quæ superiorem fulciunt porticum,in summitate parietum cuiusuis cubiculi varius gratiscorum extat ornatus, cauamentisque eorum(siue cæcis fenestris)duodecim primorum Imperatorum impositæ sunt imagines, cauamenta verò ex albo marmore confecta pedibus quasi suis insistunt,conchilijsque ex ordine tecta conspiciuntur. Sunt & aliæ complures ac minores scalæ testudinum ad formam fabricatæ, per quas hinc inde ascensus ad palatium datur. De secunda etiam porticu illud sciendum,ex ea perueniri posse in duo seiuncta ædificia cubiculi, suis instructa quibus cuique suus adiunctus est hortus;cum ex primo ac infimo ædificio nullus ad vllum hortorum exitus pateat. idque hanc ob causam, quod fundamentum Palatij, fossæ eius, areæ, via quæ ad tria Palatij latera ducit,sicut & ipsi horti,rupes olim & solidum immanis saxi extiterint corpus,quod operariorum manibus postea ad cuiusuis loci opportunitatem excisum & elaboratum est,sicut & hortorum locus ex ruptum asperitate in planitiem redactus est:vt suprema conclauia secundæ porticus hortorum altitudini correspondeat.quæ tamen vt tuta magis essent,nullusque ex hortis ad ea pateret accessus;à tribus palatij lateribus ingenti sumptu ad imum eius fundamentum , cuneis ac clauis ferreis fossa lata simulac profunda excisa est quæ hortos à palatio penitùs separet ac diuellat,vt per fundum eius via pateat amplissima,ex eiusque imitate in hortos ascensus nullus detur,nisi per duos ad id extructos pontes, qui nocturno tempore contrahi solent.

Inter vtrumque Apparamentum hoc,prospectaculum quoddam(Logiam vulgò nuncupant)existit,ex quo per totam Caprarolam,omniaque ei subiacentia montana velut in immensum pelagus,Stomarorum scilicet,Sabinorum, vicinarumque regionum agros prospectus patet amplissimus:ad alterum muri latus cælata se exhibet fontana,regiones,molendina,ædificia, & restagnationes artificiosas cōprehendens.In medio eius monticulus est,in quo Cupido ex marmore cōstans acquiescit,capite incumbans duabus colūbis lymphas ex ore profundentibus. Infrà monticulis hic aliquo modo excauatus est,in quo se nudus niueoq; candore conspicuus ostendit


CAPRAROLA ARX ET HORTI FARNESIANI.

ostendit puerulus, altera manu anatē nigram ita premere apparens, vt aquā ea ex ore profundere cogatur, altera verò aliū fontis saltū amplectens, qui ante eum ex tumba marmorea summo artificio elaborata ac polita exoritur, in quam & ceteræ aquæ superius eiectę decidunt. Supra Cupidinem ex vtroque latere quatuor alij sunt puelli nudi, & ex albo confecti marmore, superiores duo in rupibus consistunt, & ex lapideis quas humeris gestant amphoris, aquas suas ante Cupidinem quiescentis more recubantem, super lapidem effundunt, reliqui duo paulo inferius, quorum vnus Delphini insidet, alter equo marino, similiter ex hydriola aquas suas effundentes, in tumbulam quandam infra Cupidinem fabricatam: vbi omnis illa aqua de montibus ac rupibus congregatur, donec tandem latissimo fluxu, veluti crystallum extonsum in inferiorem decidat ripam, ex qua per absconditos quosdam canales absorbetur, & quasi euanescit. Supra in media dicti prospectaculi siue Logiæ testudine, historiæ quædam seu tabulæ potius de Herculis laboribus depictæ cernuntur. Supra ianuam Logiæ, primariæ vrbes & oppida domus Farnesianæ, ad vtrumque ostij latus, per quod ingressus in Logiam hanc datur, quatuor longinqui prospectus regiones depictæ sunt, quarum prima amœnissimum Maij mensem designat, vallibus, pascuis, saltibus vndique viridantibus; animalibus itidem, auiculis, & aucupijs referta. Secunda verbis cuiusdam, veluti Troianæ, incendium præfigurat. Tertia mare fluctibus ac tempestatibus insaniens, nauibus ac naufragijs refertum. Quarta & vltima regionem niuibus vbique contectam. Ad latus frontispicij è regione fontis, ianua est in Sacellum deducens, cui & alij duo sunt exitus siue ianuæ, sacrorum Bibliorum historijs omni ex parte vestitum, in superiori testitudinis parte tabulis cauamentis, ac marginibus suis ordine distinctum, in parietum circuitu duodecim conspiciuntur Apostoli habitu suo ac statura naturali: supra capita cuiusuis in quadratis tabulis passio ac mors eorundem. Suprema autem testudo distinctis regionibus ac domicilijs quadratis auroque allitis, Mundi creationem demonstrat, primæuos itidem parentes, Noen cum Arca sua, diluuium, Abrahamum & Isaacum, Mosen & populum Israeliticum per mare rubrum transeuntes, Samuelem & Dauidem Regio exornet diademate, Salomonem quoque in solio considentem & tributa ac donaria suscipientem. Supra tres sacelli ianuas diui conspiciuntur, Georgius videlicet, Stephanus, & Laurentius, stratum non minori in suo genere constat ornamento, compartitum lapidibus coctilibus lilia (quæ Farnesianæ familiæ sunt insignia) compræhendibus; sicut & reliqua omnia conclauia ac vestibula flauis strata sunt lilijs. Verum vt ad primæ porticus apparamenta veniamus, scias vnius apparamenti cænaculum & cubicula vndequaque aureis suis marginibus ac regionibus distincta esse ac depicta: alterius vero apparamenti conclauia in solis fornicibus elaborata, quamuis parietes tes eorum aulæis Damascenis alijsque pretiosis auro argentoque intertextis strangulis vestitæ sint. Iam quod ad aulam siue cænaculum primi apparamenti attinet, in ea omnis Farnesianæ stirpis res gestæ ante oculos ponuntur: primaque fronte ab vtroque latere in oblongis tabulis è regione sibi oppositis imagines cernuntur Henrici Galliarum, & Philippi Hispaniarum, Regum, cum his subscriptionibus HENRICO FRANCORVM REGI MAXIMO, FAMILIÆ FARNESIÆ CONSERVATORI, & sub effigie Hispaniarum Regis: PHILIPPO HISPANIARVM REGI MAXIMO OB EXIMIA IN DOMVM FARNESIANAM MERITA. In media summitatis antiqua & originalia Farnesiæ stirpis insignia videntur, clypeus nimirum flauorum liliorum refertus quæ postmodo ad nouem, denique ad sex deducta sunt. Galeæ monoceros imposita est diademate collum cincta quæ à regina quadam Neapolitana olim Farnesiæ stirpis cuidam in virtutis suæ testimonium donata fuit. In diuersis postea tabulis ab omnibus lateribus depictæ sunt res gestæ illustrium familiæ huius maiorum, quæ cum permultæ sint, inter alia vnam adducemus Petri cuiusdam Farnesij historiam: Is anno millesimo & centesimo supremus Sedis Romanæ militum Dux fuit, magnamq; ab hostibus Romanæ Ecclesiæ in Tuscia deportauit victoriam. Alius Petrus Nicolaus Farnesius Bononiam graui obsidione liberauit, eamque Sedi Romanæ conseruauit. Alius quoque Petrus Farnesius summus belli Dux in expeditione Florentinorum aduersus Pisanos, magno triumpho Florentiam ingreditur, captiuos ducens primarium hostium ducem cum alijs permultis prælio superatis hostibus: vnde Florentini quoque statuam æneam equo insidentem ipsi fecerunt, quam etiamnum videre licet in vestibulo summi templi. Hinc, qua ratione Alexandro Farnesio in habitu Pontificali (cum à Paulo III. Pont. Max. VVormatiam ablegatus esset de bello Germanis inferendo tractandi causa) à Carolo V. Imp. & rege Romam. obuiam processum sit. Ab alio latere Carolus V. armatus copias suas militares antegreditur, inter Cardinalem Farnesium & Ducem Octauium fratrem eius tum temporis generalem Italorum Præfectum. Ab vna quoque ostij parte primo intuitu Octauij Ducis & Margaretæ Austriacæ Car. Imp. filiæ connubium à Sum. Pontif. inauguratur. Ab altera parte idem fit cum fratre eius Horatio & Diana Henrici Francorum regis filia. Ab alia porrò eiusdem aulæ parte, quomodo Franciscus rex sub Baldachino quodam Parisijs Carolum V. excipiat, equitantem inter regem & Cardinalem Farnesium Legatum Pontificium; quomodo etiam à tergo alij nonnulli proceres ac Principes Germanorum sequantur. In eadem quoque aula videre licet Consistorium Cardinalium à Iulio III. Pont. Max. institutum, in quo Farnesius Cardinalis Parmam vrbem restituit, ac deinceps fratri suo Octauio tradit. Atquæ hæc omnia (quę totius tantummodo pars sunt) in aula siue cænaculo dicto ad viuum adumbrata conspiciuntur. Id verò admiratione dignum, qua ratione tot Magnatum ac procerum effigies ex Germania, Gallia, Hispania suis habitibus & armis accuratè adeò ad viuum ab oculos poni quiuerint, vt qui eorum quemuis semel tantummodo viderit, primo aspectu hunc vel istum regem, Pontificem, Cæsarem (quorum tamen numerus centum & decem excedebat) internoscere valuerit. Horum illustrium virorum effigies (quemadmodum & cæteræ picturæ imagines) à summis istius loci ac seculi artificibus, Tadeo videlicet, Friderico Zuccaro, alijs magni nominis elaboratæ & perfecta sunt. Denique arcis huius Caprarolæ magnificentia & gloria paucis paginis describi nequit, particularem autem de ea fecit librum celeberrimus ac doctissimus vir & Poeta Laurentius Gambara Brixianus, quem carminibus conscriptum nuper in lucem edidit.

FVNDI.



VNDI, Campaniæ oppidum in plano situm, satis commodè habitatum per medium strata via Appia, ab ortu & Septentrione montes, à meridie & occasu mare habet. A dextris ituris Formias, lacus Fundanus est. Straboni, Melæ, Silio, Ptolomæoq; Fundi, sed Antonino Fundæ, Liuius eiusdem meminit, vbi Fundanos Appiæ securitatem & tutelam procurasse narrat: post quoque Vitrubiũ Bachum Fundanum Priuerni rebellionis principem nominat, quamobrem, cùm à L. Papyrio Consf. victis Priuernatibus, alter Consul Plautinus in Fundanos exercitum duxisset, illos ait, Plautium adijsse, non pro Vitrubio, vel eius exercitu deprecantes, sed populum Fundanum defectionis crimine haud contingi contendentes, quippe quia Vitrubius & Priuerni domicilium habuerat, & ibi militem collegerat, non Fundis, eaque de causa laudatos à Consule Fundanos, & abductas ex eorũ agro legiones Strabo, vinum Fundanum & Cæcubum agriq; finitimi valdè commendat; vti quoque Plinius lib. 14. cap. 6. vina autem Fundana ætatem non ferunt. Itaque Fundanum non debere seruari Martialis significat, his versibus:

Hæc Fundana tulit, fœlix Autumnus, Opimi.
Expreßit mulsum Consul, & ipse bibet.

Vrbem hanc, cum locis alijs plurimis, Ferrandus Arragonum, & Neapolis Rex, singularium meritorum præmio donauit Prospero Columnæ, præstantissimo, fortissimoque Duci, quemadmodum eius egregiæ declarant res gestæ, in Sabellici Enneadibus, & Latinis Leandri Ephemeridibus commemoratæ. Fundis adiacet Cæcubus mons, cuius vina multis in locis ab Horatio commendata, vt libr. 3. od. 29. & libr. 2. od. 14.

Calamitatem Fundis insignem anno salutis M. D. XXXIV. Caradinus Barbarossa classis Solimanni Turcarum Imperatoris præfectus intulit, omnes enim oppidanos in seruitutem abduxit, nec multum abfuit, quin & Iulia Gonzaga caperetur, lectissimæ formæ matrona, quam Vespasianus Prosperi Columnæ filius matrimonio sibi iunxerat, tanta venustate ac pulchritudine, vt formæ ipsius fama, etiam ad Barbaras Turcarum aures peruenerit. Nam Barbarossa Turcicæ classis Imperator, à Gallo contra Carolum in subsidium excitus, mare Thyrrenum magna classe tenens ingentem toti Italiæ, continuis incursionibus & latrocinijs metum iniecit. Et, cùm in ea parte maris, vbi agri Fundani sunt proximi, versaretur, ad rapiendum eam, animum intendit. Rem enim longè grauissimam Solimanno facturum sperabat, si inter reliquam prædam, tam excellentis formæ fœminam asportasset. Cuius cùm se maximè fieri compotem cuperet, ex triremibus, aliquot militibus in terram expositis, hos eius rei experiundi causa, in ciuitatem celerrimè iubet excurrere: &, cùm iamiam oppidum oppressuri essent, illa sibi metuens, & hæc resciens, nulla mora, nulla cunctatione interposita, etiam vestibus necessarijs post se relictis, feminuda per equi celerrimi cursum, plus, quàm credibili festinatione, saluata pudicitia atq; vita, sese, ex spurcissimorum, fœdissimorumque latronum manibus eripuit. Qui, cùm omni spe eius potiundæ se excidisse cerneret, furore rabieque actus, oppidum diripuit, incendij, atque à nullo crudelitatis aut libidinis genere, in omni sexu, absque discrimine exercendo abstinuit, atque, tanquam vilissima pecora ad victimam, ita hos ad naues multis plagis atque verberibus cogens, in omnem miseriam perpetuamque seruitutem, atque acerba mox subeunda supplicia, abegit. Hanc crudelitatem spatio quatuor horarum Turcæ exercuerunt, Monimenta insuper quibus Prosperi, & Marci Antonij Columnarum ossa, loco templi edito condita erant, vt aurum, ornamentaque cætera detraherent, Item simulachris passim Saluatoris, Mariæ Virginis, aliorumque Diuorum laceratis, prædam ingentem ad naues retulerunt. Ortus hac vrbe Soter Pontifex Romanus, qui vltra annos nouem sub incommodo Imperatore Commodo, Ecclesiam feliciter gubernauit. Hinc, itinere ad Formias, læua, castellum Villa cernitur, Imperatoris Galbæ patria. Dextra, Lacus Fundanus est: & Fundanum in Plinianis codicibus perperam legi, Barbarus annotauit, Pisces in eo capiuntur multi, præsertim, raræ magnitudinis anguillæ.


FONDI.
Septentrio.
B.
A. Los porticelles, terminus regni Neapolitani.
B. Via Appia.
Meridies.
Deping. G. Houfnaglius Aº. 1578.

TARVISIVM.



Aruisium, vrbs clarissima Marchiæ Taruisinæ, Gothicis celebrata historiis, quibus traditur, Totilæ patrem Veronæ Taruisiique imperium tenentem huius vrbis situ captum, in ea domicilium ac sedem habuisse, filiumque Totilam, qui postea regnũ Ostrogothorum adeptus est, hic in lucem editum, educatumque. Deleta re Gothica Longobardorum Regem Alboynum, cum in Italiam venisset, Aquileia cum cæteris huius regionis vrbibus in potestatem redacta, quoniam non tam cito, vti volebat, Taruisinorum Legati ad imperia suscipienda occurrerant, vrbem diripere, & vastare incendio decreuisse traditur; sed victum veneratione Felicis vrbis Episcopi, mitigato sic barbarico furore, veniam, & pacem concessisse. Deinde sedem hic Longobardi posuere Marchionum, vnde regionis vniuersæ nomen Taruisinæ Marchiæ profluxit. Postea Taruisium Opitergiumque ab Rotare Longobardorum Rege subuersum, scribit Paulus Diaconus. Fracta re Longobardica, quemadmodum Italiæ ciuitates reliquæ, sic etiam hæc in Imperatorum & Italiæ Regum ditionem concessit: dein autem in sæuissimi tyranni Actiolini potestatem venit, indein Richardi Caminatis, quem opibus ac potentia plurimum hac regione pollentem, vrbis Procuratorem ab Henrico VI. Imper. auctoritatem sibi summi Imperii reseruante constitutum, perhibet Merula, sed dominatu occupato tanquam iustum principem, arbitrio suo cuncta gessisse. Bello etiam, cum Aquilerensi Patriarcha dimicasse, Candidus, & Amaseus memoriæ prodiderunt. Sequentibus seculis Taruisinorum potiti Carrarienses, Scaligeri, postremoque Veneti Anno à C.N. M.CCC.LXXXVIII. nempe, per conditiones pacis, quæ tum inter Ioannem Galeatium Vicecomitem primum Mediolani Ducem Venetosque, & Mastinum Scaligerũ facta est. Exin itaque fidem Veneti nominis vrbs hæc mirificè coluit, etiam ijs summis temporibus Ripaltanæ cladis: quamuis enim tum omnes propemodum vrbes & opida cõtinentis è Venetorum ditione Principum aliorum imperia capesserent, hæc tamen nunquam pristinum mutauit. Perculsos quidem insigni calamitate Venetorum hostiumque mirabili felicitate Taruisinos, quia militum præsidia habebant nulla, nec etiam auxiliorum spes videbatur, consilium fecisse, dedendi sese Maximiliano Cæsari, si fortuna prorsus vrgeret, cæterum post alia deinde multa consilia spiritus ac fiduciam resumpsisse, potiusque suprema omnia statuisse pati, quam imperium mutare. Interea verò Venetorum auxiliis summo cum gaudio acceptis, ita diligenter vrbe permunita, reque frumẽtaria instructa, pristino se in statu conseruasse, tum Andreas Mocenicus in historia sua, tum Leander in Ephimæridibus latinis perscripserunt. Vrbs est Taruisiũ rebus ad vsum humanum vtilibus, imprimis affluens, copia namque frumenti, vini, cæterarumque frugum, & pecuaria re maximè abundat. Triticum agri eius candidissimum reddit panem, summaque vino nobilitas. In vrbe, præter amnem Silem, quo perluitur, fontium scatebræ permultæ, claris aquis, & tam aspectu iucundis, quàm potu admodum suauibus emicant: ædificia quoque splendida quam plurima sunt, gens perhonesta, lautaque, sublimibus & viuidis ingeniis, tam ad litterarum disciplinas, quàm opes quærendas, aliaq; luculenta studiorum genera promptissimis.

AQVAPENDENS.

Aquapendens olim Aquula, à Ptolemeo designatum Volaterranus existimat, Plinii testimonio nitẽs, qui Aquasfes, cognomine Taurenos (non tamen, vt Volaterranus legit Aquulesfes) memorat, Oppidum est oblongum in monte positum, via, quæ Sena Romam ducit, inter lacum Vulsinensem, & amnem Prilam, siue Paliam, qui lapideo ponte sex fornicum transmittendus est. Inde alius pons, quem nominant Cintinum, à quo proximæ vicus appellationes sunt sortitæ.

Oriens

AQVAPENDENTE

Ex archetypo Lodouici Toeput, delineauit et communicauit Georgius Houfnaglius

TARVISI

1·Il domo.
2·Sanct Nicolo.
3·Sancta Margarita
4·Il Iesus.
5·Sanct Martino.
6. La torre della cita.
7·Sanct Paolo.
8·Honesto.
9·Casa di Bressa.
10·Sanct Stephano.
11·Alpes.


Meridies

NVCERIA.



NVCERIA, Ptolomæo, Vmbrorum in Piceno vrbs. Hodie Noceta est, vt Leander ait, Plinio NVCERINI sunt, quos FAVONIENSES & CAMVLANOS cognominari tradit, Volaterranus, Blondus, Leander & Niger scribunt ALPHATEMIAM etiam dictam ex Liuio. Sed ALPHATERNA apud Liuium legendum docet Sigonius ex Diodoro. Sed in Samnio ponit hanc Liuius Alfaternorum etiam meminit Plinius. Hanc Nuceriam CONSTANTIAM appellat Antoninus, Onuphrius NVCERIAM CONSTANTIAM COLONIAM vocat; huius meminit quoque C.V. Nansij codex M.S. Frontini. NVCERIA Colonia Ptolomæo, Straboni & Plinio, Campaniæ Picentinorum vrbs. Hodie Nuceria dei pagani, Leandro, Hanc Cicero ad Atticum non semel LVCERIAM nominat. Quatuor huius nominis vrbes habet in Italia Ptolomæus, quarum vnam in Apulia Daunia collocat, hanc etiam Neuceriam vocat cum Ptolomæo Suetonius. Sed LVCERIAM appellant, vterque Plinius & Liuius, item Strabo: apud quem LEVCHERIA legitur, Stephano ex Polybio LVCARIA est, sine A in medio legit codex Polybij Lucria. Luceria Dei Saraceni Leandro nunc dicitur. Addit illi aliquando Diuæ Virginis Citta di S. Maria nomen inditum, Sed pristinum nomen præualuisse. Quarta Nuceria Ptolomæi est in Gallia Togata, vbi hodie Rino deL usera est, vt putat Leander, qui hæc de Nicerano Vmbriæ oppido porrò commemorat: Nuceria ciuitas lateri Appennini adhærens, quam Nuceriam Strabo vocat, & à vasis ligneis commendat. Nuceria quoq; Ptolomæo dicitur, Plinius Nucerinos Fauonenses memorat, Alfateniam olim cognominatam ait Blondus, idque mihi ad differentiam aliarum Italiæ Nuceriarum videtur factum, est enim in Campania Felice altera, in Apulis tertia, quanquam illa verius appellari Luceria debeat, nimirum vt ab hac Alfatenia, item à Campaniæ Nuceria nec non alia eiusdem nominis in Apennino, agro Mutinensi discernatur, quemadmodum Volaterranus scribit. Idem quoque contendit Alfateniam Vmbriæ ciuitatem ab hac Nuceria diuersam fuisse. prorsusque deletam. Ego credere ausim, aut hanc vrbem Alfateniam esse, aut illam loco saltem propinquo extitisse, vt euersi nomen post huic Nuceriæ sit additum quò ab cæteris eiusdem nominis internosceretur. Alfateniæ mentionem Liuius sæpè facit, præsertim cum Lilium Consulem, ad eam obsidendam profectum, & oppidanos in populi Rom. potestatem redire coactos scribit. Propter montes in quo Nuceria, radices Topinus amnis, Tinnam Plinius vocat, infimam vallem percurrit, cui inde Topiniæ nomen vsque Fulgineum. In Tinnæ ripis ingentes passim apparent ædificiorum ruinæ; fundamentaque maximorum operum, quæ à Romanis ad tutelam Viæ Flaminiæ facta quondam: ea enim hac secundum Tinnam P. M. XII. emetiuntur. Ista hactenus Leander.

CASTELLVM NOVVM.



CASTELLVM NOVVM, in Apennino oppidum, via, quæ ad vrbem Romanam ducit, cuius incolæ naui & industrij, præsertim in lanæ, vini, ac olei negotiatione. Fertili namque est agro, partim campestri, partim collino; ex quo ruralis negotiationis occasio, qui frumentum, vina, oleum, cæteraque ad vitam necessaria, copioso prouentu profert. Duodecim milliaribus ab vrbe Romana distans, impositum viæ Flaminiæ, quod Antoninus illo itinere, & nomine Castri noui recenset, vbi viæ stratæ pars cum vestigijs quibusdam & ruinis ædificiorum superest, Nunc Portam primam vocant. Sequitur secundo Tiberi pons Miluius, quo via Flaminia per amnem iuncta, primusque datur in Latium & suburbia Romana ingressus. Eadem hac via Ciuitas Castellana, præcelsis in rupibus occurrit, quam quidam Veiorum fuisse Vrbem à Romanis decennio obsessam, propter munitissimum loci situm arbitrantur. Quod tamen Leander, ex situ loci, refutat. Ad læuam Mons D. Syluestri se offert, quem Cato, Vergilius, & Strabo, Montem Soractem vocant, Sacer olim Apollini habitus, Mons D. Syluestri postea dictus, quòd in eo Syluester Pontifex, metu Constantini Imperatoris latitauerit.

NOCERRA
In Appennino monte

Occidens

Depingebat Georgius Hoefnaglius. A° 1577.

Oriens

CASTEL NOVO


Meridies

Septentrio

strada per Roma

Depingebat Georgius Hoefnaglius. Anno 1577

ELEGANTISSIMVS AD MARE TYRRHENVM EX MONTE PAVSILIPPO NEAPOLIS MONTISQVE VESVVII PROSPECTVS



NEapolis, Regis maritima vrbs, caput totius Campaniæ & illius Regni Metropolis, trianguli Forma, laterum inæqualium, ea, qua mari alluitur, parte, curuatur in modum dimidiatæ lunæ. Hæc maris vicinitate, portus amplitudine, ſalubriate, aeris, ſoli vbertate, fontium copia, hortorum amœnitate, rerum denique omnium, quas humana vita deſiderat, abundantia, nulli cædens, & ornatam excellenti & fœlici cum toto Campaniæ agro, vt palam ſit vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Arces in ea tres præcipuæ, ex quibus ab omni irruente vi ſe facilè poteſt tueri.

Noua in ipſo vrbis ingreſſu ad maris litus forma quadrangulari, lapide Tiburtino, mœnibus & turribus craſſis, foſſaque duplicata, ea parte qua vrbem reſpicit profundiſſima, illo ipſo loco, quo fuit Monaſterium Prædicatorum poſita, cuius porta interior ex marmore pulcherrima & area quadrata oblonga & ampla. Aula quoque ſpatioſiſſima, in qua quotannis conuentus regni celebratur, & Prorex ſingulis ſeptimanis bis ſui facit copiam, ſupplicationes & quærelas ſuſcipit, iudicumque exercet.

Vetus, ad viam Capuanam ædificata, antiquiſſimas picturas & ædes refert; Eſtque in ea armamentarium, in quo inter cætera πανοπλία Regis Franciſci ad Ticinum capti eligantiſſima, ex optimo ferro ſine vllo auri ornatu facta, hanc C.C. Hiſpani cuſtodiunt.

Tertia in rupe altiſſima ciuitati incumbente, vnde vrbi quantumuis ab hoſtibus occupatæ facilè poteſt imperari excisa in Saxo tota eſt à Phirro Aloyſio Cæſareo Præfecto militũ, auſpicijs D. Petri de Toledo Caroli V. Imperatoris Proregis, capta Carthagine, regnoque Tunetano deuicto, & bellicis tormentis, quæ ex pugna Saxonica ſimiliter hunc tranſlata ſunt refertiſſima. Aedicula itidẽ in ea, in quibus artifices habitant, quo obſeſſa nihil deſideretur. In ædificijs ſubterraneis ligna & alia neceſſaria aſſeruantur. Percunculos plurimos equites & pedites tuto emitti & intromitti poſſunt, vulgo Caſtel di S. Elmo ò di S. Martin à templo, quod infra eam eſt, & Carthuſianorum Monaſterio Regio & pulcherrimo. Vocatur etiam hoc caſtrum Briglia, quaſi dicas Frenum equi vs dem Roß einen Zaum/ eò quod Carolus V. ex Africa reuerſus, & videns plures equos depictos Neapoli abſque freno (tale ſignum eorum eſſe dicitur) commoueretur, eius præſidio ferocem & temerarium hunc equum, ne Domino poſſet reluctari, conſtringere. Cœpit itaque ſub ſpecie voluptarij & templi, hoc caſtrum extruere & iniecto equo indomito, id eſt, Neapolitanis, freno, ſeu briglia, eos domui. His & alia duo addi poſſunt, LA VICARIA ſcilicet, in quo ius populo redditur, & cauſę ciuiles tractantur, captique ſeruantur. In qua nonnunquam bis mille, & plures captiui vno tempore detinentur.

Caſtellum oui, modico extra Neapolim ſpatio, in inſula Mergeri, vnde Meagrum veteres appellabant, à primo conditore Guilielmo tertio Normanno, diu Normannica vocitata. A quinquaginta Hiſpanis excubitoribus ſeruatur.

Veſuuius mons his locis imminet, multorum auctorum commemoratione clarus, mare, verſus Neapolim ſpectans, quem Strabo hunc in modum deſcribit. Veſuuius amœniſſimum agrum habet, præterquam in vertice, vbi planities eſt, nullum omnino fructum ferens, ſolo cineribus oppleto, ſcrobibuſq; cauernoſis exuſta ſaxa, quod calor indicat, oſtendens, quapropter ſuperioribus temporibus ardere ſolitum, ac intus incendij materiam ac fomentum eſſe colligitur, quibus deficientibus, ignis quoque ceſſer. De Veſuuio Procopius li. 2. de bello Gothico, in hanc ſententiam ſcribit, Abeſt à Neapoli ferme LXX. ſtadijs, vrbemque ipſam & Aquilonem ſpectat, vndique à circumiectis montibus diuiſus: circum radices ſaltibus ſyluoſus, vti etiã in ſummis cacuminibus, quippe, vbi inuius horridusque eſt. Medio eius vorago profunda, quã in intima terræ viſcera præ altè penetrare coniectura eſt, hinc ignis & flammæ prorumpunt. Ita ferè Procopius. Conflagrationis eius etiam meminit Beroſus li. x. antiquitatum anno penultimo Aralij, ſeptimi regis Aſſyriorum, multis diebus Italiam tribus in locis arſiſſe ſcribens, circa Iſtros, Cumæos, & Veſuuios. Quam rem Dio exactiſſimè perſequutus eſt hac ſententia. Sub Tito horribilia quædam in Campania accidere, quæ magnam admirationem habent, nã ſub autumni tempus ingens incendium repentè exortum, quo mons Veſeuus conflagrauit. Is mons, mare ſpectat ad Neapolim, habetque fontes ignis maximos: ac olim quidem ex omni parte excelſus erat, ſed tunc ex medio eius ignis extitit, nam ea parte tantum exuſtus eſt, intrinſecus autem intactus integerque permanet ad hæc tempora: ex quo fit cum ignis externas partes nõ exurat, interiora verò conſumantur igni, redigantur que in cineres, vertices, qui circa ſunt, vſque adhuc veterem altitudinẽ habeant, & quæ pars igni conſumpta eſt, dum in ſe coit, concaua facta ſit, ità vt totus mons (ſi licet parua cum magnis conferre) formam habeat amphitheatri. Et cætera, quæ iam commemoratus auctor de Veſſuuij incendio ad longum commemorat. Sed & alia de Veſuuio mõte ſtupenda, vide in Indice Appoſitum nunc eius pedi oppidum SVMMA à quo monte Summanum vulgo vocari dicunt. Sunt tamen qui Summanũ appellari putent, ab agri eius præſtantia fœcunditateque ſumma, vini quoque Græci naſcentis abundantia, (id Pompeianum appellat, Plinius, ob vicinitatem Pompeiorũ, vti etiam Volaterranus probat) item ab vbertate varietaque maxima fructum optimorum hoc tractu prouenientium, Blondus Summum dici vult, tanquam montem altum, quod ſit in proſpectu Neapolis. etenim cum vno latere mare, cæteris vndique planitiem amœniſſimam habeat, præcelſus inter ea camporum & maris æquora conſpicitur.

PAVSILIPPVS Mons, Romã Neapolem tendentibus, occurrit, inſtar promontorij in mare vergens, Eum ità Plinius appellat. Columella Cæſarem iuxta montem hunc piſcinam habuiſſe ſcribit, in qua piſcis vnus annis ſexaginta vixerit: cuius quoque mentionem facit Plinius, cum eiuſdem montis Pauſilippi commemoratione. Viam quia Puteolis ac item à Turre Patriæ Neapolim itur, interſecat, & prȩcludit, quamobrem in profoſſus eſſet, aut ambitu longiſſimo circumeundus foret Neapolim petentib. aut arduus iugorum abruptuſq; vertex ſuperandus. Itaque per cauã montis viã, ſumptu artificioque mirabili exciſam itinere directo comeari poſſe conſtat. CRYPTAM nunc appellãt: Strabo ſpeluncam dixit: de qua, deſcripto priùs ipſo monte, diligenter, & abundè differemus. Mons vndique tum cultura fructiferiſque arboribus, tum villis hominumque domicilijs nitet. Planities ante aſcenſum amœniſſima præiacet: tota frumenti fertilis, & vitibus quæ præ altis arboribus coniunctȩ ſunt, nobilitateque ſucci præcellunt, exornata. Paſſim etiam hortos nobiliſſimis arborum generibus, maximeq; medicis ac ſimilibus conſitos videre eſt. Initium hinc cryptȩ perintima montis viſcera ſaxo mirabili opere exciſo, tranſitum directum præbentis: qua de Strabo ſcribit, inter Neapolim & Dicæarchium in montem effoſſam ſpeluncam eſſe (quemadmodum & aliã Cumas tendentem) per quam via multis ſtadijs, qua duo contraria plauſtra commeare queant, pandur. Hanc ego diligentius exactiuſque cognoſcendi deſiderio metiri volui, & pedũ amplius XII. in latum, totidem in altum, à faucibus vbi introitur ad finem vſque contectæ cauernæ II. M. & ab oſtio quo exitur ad Neapolim via quidem detecta, ſed in ſaxum inciſa D. in longum eſſe comperi, qui in totum miliari noſtrorum temporum, vel M.P. menſura perfecta eſt. Pars tamen aperta, latitudine contectam aliquanto, duplici altitudine ſuperat: neque recta eſt vt altera, ſed flexibus quibuſdam ſinuoſa. Feneſtris olim, ſeu ſpiraculis plurimis lumen in opacum infundebatur, quibus nunc omnibus obruratis, intus perpetuæ tenebræ, ſunt, & in oſtijs tantum lumen ingreſſu refulgens tanquam ſtella procul apparet, intus iter agentibus. Aetate Senecæ nõ minor eius obſcuritas quã maiorum noſtrorum memoria fuit: ſcribit enim ille, ſe in crypta Neapolitana fuiſſe qua carcerem vnquã

aut exten-

ORIENS

Elegantissimus ad mare Tyrrhenum ex monte Pausilipo NEAPOLIS montisque Vesuuij prospectus.



A. Neapolis.
B. Castello S. Elmo.
C. Castel nouo.
D. Mons Vesuuius. monte (Soma.
E. Soma.
F. Chiaia.
G. Monte Pausilipo.
H. Castel del ouo.
I. La grotta.
K. A la montagnia.
L. A la marina.
M. Camino per Roma.


Depinxit Georgius Houfnaglius Anno 1578

OCCIDENS

aut extensiorem, aut obscuriorem haud conspexerit. Rassanus ætate sua cum nullã omnino lucem haberet nimirum fenestris terra completis, & ostijs etiam ruinis vepribusque conuestitis, adeo, vt ingressu absque lumine perhorrendus esser, Alfonsum Aragoniæ primumque Neapoli regem, fauces, vti nunc sunt, aperuisse ferro, purgasseque scribit, quo sine metu per cauernam commeare liceret. Eam operã laude summa dignam, profectò fatendum est, ingenti enim voluptate lumen ostijs immissum procul tanquã sidus euntes cernunt, ad quod iter dirigant. Ego penitus omnia cognoscendi studio pedibus incedens, præeunte lucerna, diligentiam & industriã artificium qui tam directè fodere potuissent vehementer admirabar, ac postea non semel apud curiosos homines quæstionibus iniectis, qua tandem ratione id assequi operæ potuerint, ita propemodum omnes sentiri comperi: primum, in summo vertice montis constitutum signum, & ab eo lineam rectã vltro citroque ductã ad ostiorum in pede cliui loca; his ita designatis, inceptam ibi fodinã, ac de in ad normã exacto directoque processu, absolutam. Mirabile profectò ac immensum opus est; quamquam de auctore scriptorum sententijs varietur. Zenobius Accieuolus ordinis Prædicatorum monachus, Græcè Latineque doctissimus, in Panegyrico quodam vrbis Neapolitanæ ac ciuium eius, nonnullos à L. Lucullo factum, alios, à Basso dixisse tantum refert. Nos, Cocceum auctorem existimamus, verbis nimirum Strabonis inhærentes, qui, vt antea commemorauimu, Cocceium cauam illam ac subterraneam viam a Cumis vsque Baias, & alteram à Puteolis ad Neapolim fecisse tradit.

Stephanus Vinandus Pighius, in Hercule suo Prodicio, hæc, de isto monte cõmentatur. Pausilypus, inquit, mons arduus quidẽ, vineis attamen pulcherrimis excultus; & villis, etiam olim, vt ex Plinio & alijs constat, opulentis habitatus; instar promontorij procurrit in mare Siculum, viam præcludit inter Neapolim & Puteolos: qui quidẽ summo cum labore molestiaque viatoribus superandus erat, vel ambitu longo circumeundus; priusquã maiori industria perfoderetur. At vero per ima radices atque intima viscera pertusus, viã itinerantibus recto tramite planã atque facilem aperire cœpit. Hinc quidem ab antiquo Græci montẽ non inepto videntur insignijsse nomine παυσίλυπον appellantes, velut ademptorẽ molestiarum atque laboris: quo cognomine & Iouẽ ipsum celebrarunt Græci veteres, vt apud Sophoclem legimus. Mons quidẽ pertusus est ad passus plus minus mille, viaque per fodinã illam patet lata pedes XII. ac totidẽ alta; qua sicuti Strabo testatur, duo contraria plaustra simul cõmeare & transire possunt. Speluncã appellat ipse, Seneca cryptã Neapolitanã; vbi sortem athletarũ omnem se perpessum scribit ad Luciliũ epistola LVIII. cum per illã Baijs Neapolim repeteret. Repperit nimirum in via luti ceromata perabundãter, & in ipsa crypta Puteolani pulueris haphen. Eandẽ expertus inspersionem Carolus Cliuorum Princeps. Anno M.D. LXXXVII. illac transiret, eiusque comites, sicuti omnes solent, qui multi simul vel pedites, vel equites illam transeunt. Itaque cum ex tenebris illis flaui prodirent, inuicem intuiti non sine cachinno admirabantur excutiendumque satis reppererunt. Caussa perpetui pulueris istius in promptu est, quod ventus, aut pluuia nunquã eo penetret, nihilque nisi in specus ostijs: humectet. Cum Igitur illic puluis motus, vt idem Seneca dicit, in se volutatur, & sine spiramento sit inclusus; in ipsos, à quibus incitatus est, recidit. Ex cuius verbis quidem colligimus, Neronis temporibus nullas speluncam istam habuisse luminum fenestras, vel aeris spiracula, præterquam in vtrisque faucibus Nam carcerem longum & obscurum vocat Seneca, in quo nil aliud, quam ipsas tenebras videre est. Afferit attamen Cornelius Strabo, per montis crepidinem olim fenestras plures varijs locis ex alto lumen infudisse. Quibus omnibus demum vel terremotu, vel negligentia temporum obturatis; tenebras profundas speluncam longissimam illam obsedisse, non est mirum. Hoc quãdo contigerit, in obscuro nunc item est. Petrus Rassanus Siculus, Episcopus Lucerinus, ante sua tempora, scilicet, ante annos centum quinquaginta plus minus foramina, quibus lumen admitteretur, in ea crypta, fuisse nulla testatur. Obstructas item fere ruinis, atque vepribus vtrinque fauces; vt ingressus absque lumine cunctis esset perhorrendus. Tunc Aragonum Regem Alphonsum primum, in potestatem prouincia redacta, complanasse, dilatasseque viam ac fauces, perforasse montis dorsum, atque duas aperuisse fenestras, quæ lumen obliquum in mediam speluncam ex aduerso nunc infundunt. Tanquam nix quædam insparsa solo lux illa transeuntibus apparet à longè resplendens in obscuro, priusquam fenestræ videri possunt. Est item in tenebrosæ viæ medio Sacellum exiguum excisum in pariete saxeo, in quo nocte dieque lampas ardens viatoribus æternæ lucis memoriam suggerit, nec non in tabula picta nostram salutem è virgine matre D. Maria natam ostendit. Adampliauit opus immortalitate dignum, restaurauitque nostra memoria, Petrus Toletanus, dum Caroli V. Imperatori auspicijs regnum Neapolitanum administrat. Itaque nunc tam recto tramite via per montem ducta est, vti cryptam intrantibus, lumen à longè veluti sidus quoddam per ostium aduersum resplendeat, ad quod euntes in tenebris iter dirigant: quibus item facile atque iucundum est, obuios quosque per lumen illud in speluncam intrantes, tanquam pigmæos procul, vel equites vel pedites cernere. Quisnam primus animo Xerxeio tam immensum opus aggressus fuerit, aut quo tempore factum sit, feruntur eruditorum variæ sententiæ. Sed prætereamus vulgi sermonem insulsum, magicis poetæ Virgilij (cuius ante fauces cryptæ sepulchrum fuisse plures tradunt) incantamentis istud attribuentis. Item eos, qui Bassum, nescio quem, eius auctorem adferunt, cuius nemo, quod sciam, veterum meminit. Nos ex Strabone Cornelio quidem colligere videmur, atque is ex Edphoro, Homero, Græcisque scriptoribus alijs, Cimmerios antiquissimos populos in illo Campaniæ tractu iuxta Baias lucrinum, atque Auernum in antris atque subterraneis specubus habitasse, cauernisque quibusdam inter se comeantes, effodisse metalla, pertudisse montes: nec non per sacerdotes suos necsomantiam, ac diuinationes suas in speluncis profundis exercuisse, peregrinos & aduenas ad inferorum oracula deducendo. Qua gente deleta, Græcos, qui regionem illam post incoluere, quique, Cumas ac Neapolim condidere, Cimmeriorum fodinas illas, vt opinatur plures ad Hypocausta, thermas, vias, aliosque varios vsus accommodasse. Nec minus Romanos, Græcorum exemplo, pro sua magnificentia plurimum auxisse subterranea illa opera, cum iam rerum domini, secessus ac villas oppidorum instar ibidem extruerent, atque Puteolani pulueris ex ijs montibus extracti, raræ virtutes ad ædificiorum structuras firmandas, fundamentaque in aquis solidanda, iam innotuissent. Affirmat autem Strabo, sua quidem ætate cum Auerni montis saltus aerem corrumpentes excinderet sub Augusto M. Agrippa, tum inter alia antiqua, & magnifica opera, specum subterraneum vsque Cumas effossum apparuisse, quem vna cum alia, quæ inter Puteolos atque Neapolim est Cocceium quendam perduxisse fama tenebat. Cuius inquit, ætate, fortassis vsus regionis obtinuit, vt eiusmodi subterraneæ viæ, cauernæque fierent. Ex eius autem hisce verbis eli cimus, diu ante Strabonis tempore Cocceiam gentem in Campania floruisse, cryptamque dictam ibi fuisse, nec de eius auctore quid aliud tum certi constitisse. Nec veri simile mihi videtur, opera L. Luculli, quę maxima & sumptuosa supra modum in ijs locis fecit quorum ob causam Xerxes togatus à Pompeio magno, Tuberone, Cicerone, cæteris principibus verbis appellatus fuit, Straboni ignota fuisse. Quapropter nec in eorum sententiam pedibus eo, qui volunt ab ipso propter villam suam ibidem Pausilypum perfossum: errore ducti, quod à Marco Varrone, Plinio, atque alijs memoriæ proditum sit, à Lucullo montem iuxta Neapolim maiore impendio, quam villam suam ædificauerat, exilium esse, Sed in quem vsum? quæso. Non vt iter viatoribus commodum faceret, sed vt euripum aperiret, ac Maris vndas cum placeret, piscinis suis immitteret; vtique piscibus per viuaria tam æstate, quam hyeme commodas stationes intra montis cauernas pararet.

CALATIA.



CALATIA, quam nunc Caiaziam Italorum vulgus appellat, antiqua vrbs est Campaniæ Felicis, prope Vulturnum amnem. Capua Viij. Neapoli verò xxi v. Italicis milliaribus distans.

Fuit olim Municipium, vt patet ex pulcherrima inscriptione, quæ legitur in vetusto lapide in foro ipsius Ciuitatis, & ex historicis etiam quam plurimis, qui narrãt Attilium Calatinum functum esse Dictatura supremo apud Romanos magistratu, quo non potuisset fungi, nisi Municeps fuisset, cùm Municipes tantum Vrbis Romanæ numerum participes olim fierent.

Eam fuisse præcipuam Campaniæ ciuitatem, patet ex Polybio, qui lib. 3. enumerans causas aduentus Annibalis in Campaniam, hanc quoque addit, vt potiretur scilicet, nobilibus ciuitatibus, Capua, Atella, & Calatia.

De Capua, Atella, & Calatia, habetur frequens mentio apud Liuium, & Plutarchum in Annibale.

Cicero (licet P. Manutius perperam, quod pace sua dictum sit, ac contra veterum exemplarium omnium autoritatem locum illum corruperit, prout etiam Vitus Amerpachius & Victorius, qui pro Calatinum Calactinum, vel Galathinum legunt) meminit lib. 13. Epistolarum, quæ familiares vocantur, de Hippia Philoxeni filio Calitino, hospite & necessario suo, & de legibus Calatinorum, quibus vetabatur, ne quidquam publicũ, nisi publico nomine posideretur. Ex qua Ciceronis Epistola etiam apparet Calatiam Municipiũ fuisse, cùm eam suas leges habere dicat, quod proprium Municipiorum erat. Coloniæ namq; & cæteræ ciuitates, populi Romani legibus astringebantur.

Meminit etiam Cicero huius ciuitatis libro 16 ad Atticum, Epistola vii. his verbis (quæ libet adscribere cùm ex illis videre sit, quanti Octauianus illam ciuitatem fecerit) Kal. vesperi litteræ mihi ab Octauiano redditæ sunt. Magna molitur: veteranos quique Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam.

Idem denique Cicero, cùm in Rullum oraret causam, & de Capuæ excellentia verba faceret, Calatiam quoq, inter præcipuas Campaniæ vrbes commemorat, his verbis Romam in montibus positam, & conuallibus, cœnaculis sublatã atq; suspensam, non optimis vijs, angustissimis semitis, præ sua capua, planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atque contemnent, agros verò, Vaticanum, & Pupinium cũ suis optimis, atq; vberib. campis conferendos scilicet non putabũt, oppidorum autẽ finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per iocum contemnent: Labicos, Fidenas, Colatiam, ipsum hercle Lanuuium, Ariacam, Tusculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeis, Nuceria comparabunt.

Extat adhuc magna pars veterum murorum, qui fuerant tantùm ex quadratis lapidibus sine calce, alióve feruminationis structi, præ se ferentes haud paruam Vrbis elegantiam.

Antonius Sanfelicius Monachus, eleganti de Campania libello, Montana est, inquit, Calatia, supra quam, seorsum tamẽ, ingens quadrato saxo surgit opus, quod rupis faciem oculis offert, ferruminato nexu lapidibus aptè inter se cohærenrib. Hæc fuisse antiqui oppidi mœnia sunt qui dicant, quos, ego non sequor, opinorque ciues per ea tempora habitasse vbi adhuc habitant. Argumento mihi est perennis aqua influens subterraneo riuo in cisternam veterem, quæ in oppidi est vmbilico, ipsaque aqua per æstiuos menses obinnoxiũ ciuibus frigus gratissima est. Addo etiam testimonium superpositæ ibi marmoreæ tabellæ, in qua incisum est Epigramma.

M. GAVIVS TF.
QVISELLIVS QF.
GALLVS
DVOVIR QVINQ.
CREPIDINES CIRC
FORVM SPF.

Si ergo heic erat forum, continuò & oppidum, nunquam foro mœnibus excluso. Habent hi colles oleta distincta oleastris, quorum baccæ non carne, sed liquoris dulcedine commendantur.

Hæc Cisterna, cuius auctor hîc meminit etiamnum Calatinis commodè inseruit. In foro enim Ciuitatis, insignis est puteus, qui constat magno subterraneo ædificio in tres partes diuiso, mirabili artificio factus. Nam cùm intrinsecus non solùm singuli parietes, & cameræ sint solido marmore muniti, verùm etiam ipsum pauimentum adeò vt aquis scatere pœnitus non posit, tamen perpetuo abundat aquis, mirantibus cunctis, nemine causam abundantiæ aquarum adhuc sciente, licet vulgus illorum hominum, pro vniuscuiusque captu varia iudicia ferant.

Sunt multa in ea vrbe antiquitatis monumenta, & veteres inscriptiones, quas omnes hîc intexere, vna hæc pagina non tolerat. Illud tamen silentio præterire non possum, quod etiamnum in ipso foro ciuitatis exstet simulachrũ lapideum Priapi, paucos ante annos in ruderibus antiquissimi templi Veneris Felicis repertum, Quale simulachrum neq, in antiquitatibus quotquot Romæ sunt, neque in vlla alia vrbe, quod sciam reperitur.

Fuit Calatia in primis ipsis crescentis Ecclesiæ temporibus Episcopatus titulo insignita, vt patet ex publicis tabulis, ab vsque Anno salutis humane ccc. confectis, vbi mentio habetur Episcopatus Calatini.

Fuerunt inter illius vrbis Episcopos duo sancti viri pietate & miraculis clari, S Ferdinandus scilicet, & S. Stephanus. Ferdinandus qui iam dudum ante Stephanum illam Ecclesiam rexit, Hispanus ex regali Aragoniæ prosapia fuisse traditur, quo tempore claruerit ignoratur. Eius corpus seruatur in templo suo nomini dicato, in oppido Albiniano Calatinæ Diœcesis. Stephanus, Italus fuit, claruit tempore Landulphi Principis Capuæ, cuius corpus seruatur in ipso Episcopali templo, suo nomini dicato. Eius festa dies celebratur iv. Kalend. Nouemb. qua etiam populo ostenditur illius digitus, qui est adhuc integra carne.

Eccle-

CALATIA LECTORI :- SVM PIETATE POTENS, ROMAEQVE COAEVA VETVSTAE : TVLLIVS, ET NOSTRAE ID DICENT MONVMENTA RVINAE • 1597 •

CALATIA

Vulgo Caiazo, perantiquum Campaniae foelicis oppidum

1 Episcopatus. 2 Domus Episcopi. 3 Horti domus Episcopalis. 4 Forum publicũ. 5 Puteus antiquꝯ. 6 Domꝯ Praetoris, et Gubernatoris Ciuitatis. 7 Templũ diuę Marię ãnũtiatę dicatũ. 8 Templũ diuo Francisco dicatũ. 9 Coemiteriũ Episcopatꝯ. 10 Ecclã parochialis diuo Antonino dicata. 11 Ecclesia parochialis diuo Nicolao dicata. 12 Eccla parochialis diuo Petro dicata. 13 Monasterium fratrũ minoris Ordinis obseruãtię Frãciscanorũ Visitatiõis diuę Marię dicatũ. 14 Hospitale pauperum.

Officinae figulorum

Hospitium publicum

Porta vetus

Arx Ciuitatis

Monasterium Capuccinorum

Vulturnus fluuius

Ecclesia Calatina, perantiquum & paucis in Germania & Gallia notum, sacrarum imaginum vsum obseruat, per quem accuratissimè comprobare videtur, imagines, hunc quoque in finem, in cœtu fidelium casseruari, vt laicorum libri existant. Nam septimanæ sanctæ, sabbato sancto, dum in eminenti Cathedralis Ecclesiæ loco, in quo Euangelium decantari solet, Prophetiæ decantantur, statim prophetica lectione vna finita, ad plebem fidelem in Ecclesia collectam, à sacrorum ministro, eodem ex loco depicta explicatur, & euoluitur charta, imaginum & colorum varietate ad viuum expressa, eandem ipsam prophetiæ historiam, quam Canonicus iam ante decantarat, repræsentans. Ita, vt duodecim prophetijs decantatis, duodecim picturæ inter se connexæ, & baculo complicatæ, sensim in imum euolutæ, fideli populo spectādæ propositæ, duodecim prophetias, quasi viua voce populo explicent & interpretentur. Fuit etiā in eadem Ecclesia consuetudo vetustate comprobata, vt die Iouis sancto, quando Mandatum Domini de more, & ritu maiorum celebratur, in Sacello S. Trinitati nuncupato, Altare concauum trium digitorum altitudine, trium pedum latitudine, sex verò longitudine, vnius Cadi capax, vino impleretur, quod fideles in Cathedrali Ecclesia pietatis ergo congregati, interea temporis exhauriebant dum absoluto Mandato duodecim pauperum pedes ab Episcopo lauarentur. Et tenuit in Ecclesia hanc consuetudinem vsque ad Concilium Tridentinum, cui tunc non sine communi Ciuium dolore, derogatum.

Ornamento, æuo duraturo Ecclesia Calatina condecoratur Octauij Mirti Frangipanij Antistitis sui virtutibus & nullis non seculis laudanda prudentia, qui nomine Summi Pontificis Gregorij XIII. ciuitatem Bononiam bonis legibus gubernauit. A Sixto deinde quinto, ad superiorem & inferiorem Germaniam omnesque Belgij Prouincias, eo tempore, cum potestate Legati de Latere, destinatus est Nuncius, quo periculosissimo bello præcipua Nunciaturæ suæ loca ardebant. In qua quidem functione octauum in annum Coloniæ potissimùm resedit, & tanta maturitate, grauissima Rei Christianæ publ. negotia administrauit, vt Serenissimis & Reuerendissimo, Principi Electori Coloniensi Ernesto; Bauariæ Duci, Parmensi Duci, Senatui Coloniensi & vniuerso demum Clero gratissimus fuerit. Post, ob virtutem & merita à Clemente VIII. ad Episcopatum Tricaricensem euectus, magnum sui desiderium apud omnes reliquerit; quando ab eodem Pontifice ad grauiora pertractanda negotia, ad Archiepiscopos Electores, cæterosque Germaniæ Principes, ablegatus peregregiam ibi operâm Religioni & Clero restaurando præstat. Tanti certè temporis residentia, & rerum vsu eleganter cultus, de Coloniensis Ecclesiæ statu accuratè informatus opus eruditum conscripsit, de Ecclesiastica illius Ecclesiæ & Cleri Reformatione; quod, vt ad communem & publicam vtilitatem in lucem prodeat, omnibus votis optandum.

GALLIPOLIS.



GALLIPOLIS, vrbs in Salentinis, & magna Græcia, cuius fines olim Strabo demonstrat inter mare Tyrrhenum & Adriaticum, omnem illum Brutiorum & Lucanorum agrum, & præterea rebus crescentibus, vniuersam tenuisse Siciliam testatur. Cato, Magnam Græciam vocatam perhibet oram, sinui circumiectam Tarentino. Nam circum Sinum Tarentinum, inquit, est magna Græcia. Id huic Regioni nomẽ obtigisse Scriptores tradunt. Quod, cum hic ad sinum Tarentinum, tum in Lucanis Brutiisque Græci, ad nouas quærendas sedes, patria digressi, diu constiterint, vrbesq; plures, quam in vlla quauis alia regione, cõdiderint. Alias tamen aliorum rationes Leander prolixius commemorat in sua Italiæ historia, quas nostri instituti ratio non fert, in topographicis vrbium descriptionibus referre. Ad Gallipolim igitur nunc paulo propius accedamus, oppidum in ora, & in ipso quasi sinu ac cauda Italiæ situm. Anxa Plinio, De quo Mela. Vrbs Graio Gallipolis. Et Nonius Pontianus, obseruationibus suis in Melam, Pro, vrbs Graia Gallipolis, scribendum putat. Vrbs Gallica Gallipolis. Plinius in tertio. In ora, inquit, Senonum Gallipolis, quæ nunc Anxa: Erit igitur Gallipolis dictio composita, ex voce Græca & Latina, quod etsi raro, aliquando tamen fit, vt in Epitogium monstrat Quintilianus. Gallipolis igitur Italicũ cum dimidio, continet & habitationes vltra mille, octingentas, rupi, & immobili saxo insidet, Muris, tam ad defensionem idoneis, quam ad ornatum & magnificentiam conspicuis, circumdata, aere saluberrimo gaudet; Peninsulæ formam repræsentat; De qua Leander in Italiæ & Salentinorum descriptione, ista commemorat.

In Salentinis, inquit, Ciuitas est Gallipolis. Ita Melæ vocata; Sed Anxa Plinio P.M. à Tarento XLII. Eam initio Græcos, deinde Gallos tenuisse Raffanus vult: nobis contra videtur, Græcos successisse Gallis, idque potissimum nominis argumento, quod à Græcis vti vrbe de Gallis captæ inditum, Gallipolis; Nam, si primos Græcorum fuisse colonos arbitraremur, posteriores Gallos, illi sane, non Græcam appellationem, sed aliam, ex sua lingua vernacula condidisset. Accidit huic sententiæ, Quod Ecclesia Gallipolitana, tanquam à posterioribus colonis Græcis, etiamnum instituta, ritusque Græcorum obtinet, quodque in more habeat, nunc originis gentisq; Græcanicæ, nunc Latinæ per vices æquat, episcopum creare, Scopulo insidet seu Insulæ modicæ, quæ mari vndique cingitur, continenti adhæret ponti, saxis ingentibus suffulto; quæ nonnunquam tumidis vndis, ita prorsus occultatur, vt ibi plena tum Insulæ forma sit: Munitissimum itaque natura situm habet, vt adeo haud facile vi expugnari posse videatur. Locus instar est fori & negotiatoribus accessu, tam mari quam terra peroportunus: Quapropter toto anni tempore mercatoribus frequentatur, maxime Genuatibus. Ex aduerso duæ longius in altum proiectæ insulæ, sed permodicæ minimiq; momenti cernuntur. Ager Gallipolitanus optimus, & fertilissimus est oleo, vino, croco, cæterisq; fructibus ad vsum humanæ vitæ cum primis abundans: mare valde pisculentum habet. Atque ista quidem Leander hactenus cui paucas quasdam obseruationes addemus ex separata Ioannis Baptistæ Crispi topographica tabula, quam in laudem & elogium patriæ suæ, ænea tabula diuulgauit.

In aditu vrbis, qui vnius tantũ pontis est, Castrum est valde munitum, ad defensionem & conseruationem loci, peroportunũ. Præter varia loca pietati nuncupata, Ecclesiam etiã Cathedralem sanctæ Agathæ dicatam Gallipolis exhibet. Fontem similiter nouum elegantissimis decoratũ statuis, quinque tubis, præstantem aquam, ciuium vsibus affatim eructantem. Aquæductum prætereaoperis vetusti, partim conspicuum, partim per occultos terræ meatus procul deriuatum.

Insula, marinis secata aquis numero 6. signata, ager quondam fuit, vrbi Gallipolitanæ multis sæculis continuis, nunc vero aquarum impetu à continenti auulsus & in Insulæ formã redactus est. Quæ vero paulo maior ex opposito insula apparet, D. Andreæ dicta, miliare Italicum in latum cõtinens, plana & mari in circumferentia accliuis, compascua, pecoribus larga pabula præbet, quæ ex Gallipoli certo anni tempore eo pabulatum emissa, aliquamdiu, loco ibi tuto, substituunt, vbi & Gallinarum multitudinem bruchus, in pascuis frequens, & nociuus: victum affatim præbet. In insulæ medio lacus dulcem aquam tanta copia fundit, alueum vt in mare deducat. Demum & à quæstuosa piscatione insula hæc parua plurimum commendatur.

GALLI POLIS

OMNIA TECU

IN M

PARTE DEL MARE MEDITERRANEO

DI TERRA DO TRANTO PARTE D'ITALIA

GOLFO DI TARANTO

Scoglio della [illegible]



La fidelissima Citta di Gallipoli [illegible] molto salubre populosa, et in quel circuito di un miglio e mezzo contiene habitatori [illegible], et ottocento fuochi. Tutto il corpo di essa siede in un sasso, et le mura in molte parti [illegible] ornamento in poche riparo.

Num: 1. St. Agatha chiesa cathedrale. 2. Annunciata di frati Dominicani. 3. S. Francesco di Mendicanti. 4. Monasterio à Monache. 5. Caualiero di Sant Francesco eminente al Campo. 6. Il Campo parte gia antiquissima della Citta hogai fatto [illegible]. 7. Castelo. 8. [illegible] che [illegible] guazza da carri di la dal primo ponte di legno. 9. primo ponte di legno. 10. secondo ponte di legno. 11. Fonte nuouo ornato di molte statue con cinque bocche d'acqua perfettissima. 12. Fonte vecchio. 13. Condotti parte scoperti parte sotterra. 14. Giudecca un tempo habitanza antica. 15. S. M. del Cannito. 16. S. Nicola. 17. Scoglio grande. 18. [illegible] scoglio couerto. 19. Oliueri.

NOVAE PALMAE CIVITAS ANNO SALVTIS M. D. XCIV. A FLORENTISSIMA VENETORVM REPVB. AEDIFICATA.



ALMAE nouæ Ciuitatis typus, quæ in patria Forojulienſi à Venetis ædificatur ad maris Adriatici oſtiũ, quod fuit pręteritis ſęculis Italiæ calamitatibus quaſi fatale. Nam barbaræ quæcunque nationes illac, ad Prouinciam hanc vaſtandam & ſubigendã ſibi aditum fecêre, & Turci ipſi pluribus excurſionibus olim vicinas regiones vexauerunt, quibus non erit illud in poſterum, per gratiam Dei, tam facile. Nouem habet propugnacula, quæ à ſe inuicẽ diſtant ducentis paſſibus, circa hæc plateæ circulares ac latæ pro ordinanda acie, & mœnibus defendendis. Foſſæ, aquis inſtructæ, quæ eam ambiunt, largæ ſunt paſſus triginta, profundæ duodecim, Portas habet tres, & areas ſpatioſas nouem. Viæ, ex propugnaculis ad centrum ſunt, in quo turris munitiſſima ciuitatis ſubſidium. Habet diametrum ſexcentorum paſſuum.

Nomina Propugnaculorum.

1. S. Fortunat.	4. S. Laurentij.	7. S. Mariæ.
2. S. Hermacori.	5. S. Iuſtinæ.	8. S. Clementis.
3. S. Crucis.	6. S. Stephani.	9. S. Eufemiæ.

PAL MA





Noua PALMAE ciuitas in patria Foroiuliensi ad maris Adriatici ostium contra Barbarorum incursum à Venetis ædificata

Propugnacula ciuitatis nouem, quæ à se inuicem distant 200 passibus. Circa hæc plateę circulares pro ornanda acie. Fossæ quę eam ambiunt largæ sunt passus 30. Profundæ 12. Portas habet tres, et areas 9. Viæ ex propugnaculis ad centrum sunt, in quo turris munitissima, ciuitatis subsidium. Habet diametrũ 600 passuum.

CATANA.



ATANA, vetustissima Siciliæ vrbs, Græcis atque Latinis commendata Scriptoribus, vna sui parte mari alluitur, cæteris ad radices Ætnæ, cui subest, extenditur. Hæc à Chalcidensibus, qui Naxum in Sicilia ædificauerant, anno mundi 4462 vt in supputationibus Eusebius refert, & Septimo post Syracusas, ab Archia occupatas, condita est, lib. 6. teste Thucydide. Anno enim nono, post Naxum extructam, cùm loca Naxi vrbis Chalcidensibus habitationi minus apta viderentur, quod paludum ac fluminum ex Ætna orientium, eruptionibus, quibus cœli inclementia excitabatur, essent obnoxia (prout etiam hodie sunt) Theocles & Chalcidensium maxima pars, è Naxo transmigrantes, hoc loco delecto, sedes posuerunt, vrbemque à Catano duce (vt à Græcis accepimus) Catanam appellauerunt: licet Thucydides Euarchum, Naxiorum Coloniæ ad eam extruendam, authorem fuisse scribat. Sunt qui à situ potius, quod nimirum sub alto monte iaceat, eam denominatam velint. Nam Catena, Græcè, sub alto, est Latinè. Processu verò temporis, cum Hiero, senior Syracusanorum Tyrannus, vrbem Catanam superasset, expulsis Catanensibus, decem Megarensium, Geloûm, Syracusiorumque millibus, magna quoque finitimorum agrorum parte, in capita distributa, eam habitandam dedit. Quam cum Doricis, Laconicisque legibus exornasset, vt l. 9. Diodorus, & l. 6. Strabo memorãt, quò nouæ quasi vrbis conditor videretur, abrogato Catanæ nomine, Aetnam appellauit, cuius etiam non tyrannum, non Regem, sed habitatorem, ciuemque sese salutari voluit. Vnde & in certaminibus, quibus superauerat, victor, nõ Catanæum se, aut Syracusium, sed Aetneum, noua ambitione proclamari iubebat, vt Pindarus in Olympijs & Pythijs tradit. Huic vrbi, Hiero Chromium, quem ob singularem modestiam, probitatem, ac fortitudinem plurimum diligebat, gubernatorem præfecit: qui & ipse in Pythijs victor, Aetneus, eodem Pindaro teste, promulgatus est, Catanenses verò patria exutos, in Leontinos transcripsit, eamque illis sedem constituit, iussitque, vt cum incolis & ciuibus, eam vrbem incolerent. Id autem ab Hierone propterea factum est, vt idonea ac fida sibi ad emergentes necessitates subsidia quàm paratissima haberet, &, vt ex hac vrbe decem millium colonorum quasi à se condita, præmia, laudesque heroicas assequeretur. Moriens deinde apud hanc vrbem, & fato functus, non minores funeris honores nactus est, quàm si vrbis conditor fuisset. Verùm prisci illi Catanenses, quos in Leontinos transcripserat, vt eum mortuum audierunt, patriæ amissæ desiderio Catanam reuersi, profligatis nouis colonis, tumuloque tyranni terræ exæquato, vrbi suæ pristinum Catanæum nomen, Aetno abolito, restituerunt. Hæc autem Catana ciuitas, antiquitus ad eam oram, qua Naxus petitur, insignem portum habebat: qui Aetnæ profluuio postmodum obrutus, vastissimis lapidibus plenus hodie conspicitur. Tria præterea Theatra memoratu digna erant in ea, quorum ruinæ adhuc visuntur. Quippè, muri pars, quæ Leontinos spectat, maximi theatri ex nigro quadratoque lapide structi, cui contigua est, præclaræ adhuc magnificentiæ monumenta exhibet. Alterum, iuxta Stesichoream, quam nunc Acidis portam appellant, in hunc vsque diem, admiratione non indigna, sui vestigia reliquit. Tertium Catanæ, intra vrbem propè ædem D. Augustini, spectandas hucusque reliquias monstrat. Aedes quoque complures, dijs veteris superstitionis sacræ, hac in vrbe olim erant. Sed præter cæteras Cereri religiosissima, Sacrarium (in Verrem inquit Cic.) apud Catanenses erat Cereris, eadem religione, qua Romæ, qua in cæteris locis, qua propè in toto orbe terrarum. In eo sacrario, in intimo signum erat Cereris perantiquum: quod viri non modo, quid esset, sed ne esse quidem sciebant, aditus namque in id sacrarium, non erat viris: quoniam sacra per mulieres ac virgines confici solebant, hucusque Cicero. Sacrarium id extra portam vrbis, quam Regiam vocant, situm erat, vbi turris est hodie Episcopo inscripta: cuius mira adhuc visuntur monumenta, superstructæ iam Spiritui sancto ædiculæ inclusa. Gymnasium habebat Catana honestarum disciplinarum studio celeberrimum, quod M. Marcellus, captis Syracusis, erexit, Plutarcho in Marcello: cuius pro mœnibus non longè à littore cernuntur ruinæ. Thermæ quoque erant in hac vrbe, cum columnis & epistylijs, marmoreis ornatissimæ: quas, vbi nunc D. Agathæ vetus est fanum, fuisse, Catanenses, à maioribus per manus instructi, affirmant. Ex hac præterea vrbe à M. Valerio Messala Cos. primo bello Punico Siciliam turbante, horologii vsus Romam est adductus. Plinio l. 7. c. 60. Aquæductus ex quadrato & nigro lapide, à viginti fermè p. m. ex fonte, cui vernaculè Butta hodie nomen est, qui non longè à Paternione opido, iuxta monasterium D. Mariæ Licodiæ emergit, in vrbem affluentissimè, prisca ætate, per pilas arcusque aquas deducebãt. Quorum magna & integra moles, neque inferior ea, quæ Romæ est, adhuc cernitur: licet dum pararem hæc edere, ad noua vrbis propugnacula struenda, non parum diminuta ac diruta fuerit. Catanam vrbem prisco tempore equestri militia, ac eruditione, opibusque fuisse insignem, Pindarus, cum ab equitatu, diuitijs, & sapientia Catanenses extollit, in Nemeis ode nõ scribit. Quam & locupletem, honestam & copiosam, in Verrem Cicero commemorat. In hac vrbe, (eodem authore) & summus Proardiorum magistratus fuit. Claruit olim & illustrium virorum sepulchris. Quorum longior commemoratio, breuitatis studio, in Indicem huius operis, relata.

Catana, postquam Sicilia, captis Siracusis, facta est Romanorum Prouincia, à Sexto Pompeio, cum reliquis Siciliæ ciuitatibus, vastata est: quam deinde Cæsar Augustus (vt lib. 6. Strabo memorat) restituit. Iterum tamẽ eam Fredericus Secundus Rom. Imperator, Siciliæ huius nominis primus Rex, quod ab eo desciuisset, solo ferè æquauit: arcemque in ea, quæ adhuc extat, in rebellionis formidinem posuit. Qui pœnitentibus postea ac supplicibus ciuibus indulsit, vt vrbem structura humili, ac lutea restituerent. Cuius deinceps mœnibus Fredericus Aragonius, Secundus huius nominis Sicilię Rex, quẽ tertiũ falsò appellãt, turres addidit. Martinus mox, vt domos, qua vellent altitudine, ornatu ac magnificentia, calceque firmarent, concessit. Postea verò Carolus Quintus C. Secũdus huius nominis Siciliæ Rex, catanam mœnibus, & propugnaculis munitissimis, magnificentissimam reddidit, Nuper Anno Salutis M.D.LIIII. Mense Maio, apud catanam, in fodiendo littore apud portum cognomento Saracenum, in tabula marmorea quadrupedali, Fiduis apud Græcos Trinomius, veteris superstitionis Deus, tribus his nominibus appellatus, Semipater, Fidius, & Sanctus, & his aliis, Honor, Veritas & Amor, sub tribus imaginibus sculptus fuit repertus: Honor scilicet & Veritas manus dexteras iungentes; ille, aperto capite; hæc, pallio vittata; & Amor medius adolescens vtrumque complectens. Catanæ Anno salutis M.CCCC.LV. pridie calendas Augusti Friderico, huius nominis tertio

Siciliæ


CATANA VRBS SICILIAE CLARISSIMA PATRIA SCTE AGATHAE VIRGINIS ET MART.
FAMOSVS MONS AETNA
CATANA TVTRIX REGVM
1. Templum diuæ Agathe maius.
2. Palatium Episcopale.
3. Curia Ciuitatis.
4. Collegium Canonicorum.
5. Colleg. PP. societat. Iesu.
6. Templū diuę Agathę vetus.
7. S. Mª Rotunda.
8. Monasterij Sti Nicolai de Arenis.
9. Abbª Nouelucis Reggia.
10. Eccª Ste Mę de lognina.
11. Sta Sophia. vnū ex 7. monasterijs à D. Greg. papa in Sicilia edificatis.
12. Locus Martyrij B. Agathe.
13. Conuentus et Monasterij insignia.
14. Sta Mª la gratia domus paterna B. Agathe.
15. Amphiteatrū olim insigne.
16. Theatrum maius.
17. Theatrum minus.
18. Naumachia et Circus.
19. Vestigia antiqssimi Gimnasij.
20. Arcus vetustissimus.
21. Aquiductus ex quadrato lapide.
22. Termarū monumēta.
23. Templū Ceveris insigne.
24. Sepulcrū Stesicuri Pöetę Illre.
25. Turris Empedoclis philosop.
26. Platea magna.
27. Pl. la fera nuncupata.
28. Pl. nuncup. la tririni.
29. Plat. nuncup. san Pho.
30. Platea nuncupata il piano de l'herba. 31 Castrum Regium. 32 Portus. 33 Porta Pontonia. 34 Porta Canalium. 35 Porta Acis. 36 Porta decinari. 37 Porta Regis. 38 Castrū Acis. 39 Pagi et nemora Catinensia. 40 Il carmino. 41 Sanct Dominico. 42 La grutta. 43 Li Capucini 44 Sanct Lucia. 45 Santa Maria di Jesu

Siciliæ Rege,rerum potiente quem Auritum appellabant,vacca,ad macellum ducta , vitulum , effigiem humanam
ac vnum in fronte oculum habentem edidit.Nobilitatur & hodie vrbs hæc diſciplinarum omnium , Iuris præſertim
Cæſarei,ac Pontificii Gymnaſio inſigni. Tulit Catana olim viros illuſtres complures,quibus plurimum eſt nobilita-
ta; De quibus plura in Indice.

Catanæ quoque vrbi ſepulchro D.Agathæ virginis, quæ pro Chriſtiana religione,ſub Quintiano Siciliæ quodam
Præſide,anno ſalutis 252.occubuit,plurimum ornamenti acceſſit; Ea namque,cum ob id ſolum, quòd Chriſtiana eſ-
ſet,tanquam malefica delata fuiſſet,plagas,fidiculasque primum,mox à pectore vbera ſibi ferro ac igne diuelli paſ-
ſa,demum,ex pedum plantis deraſa cute,ſuper ardenti foco,placido vultu incedens, intrepida, inuictam mortem
in carcere obijt. Cuius nomen,tanquam Catanæ vrbis tutelare , maximo totius Siciliæ virorum ac mulierum con-
uentu nonis Feb.quàm religioſiſſimè colitur;tametſi Panormitani de eius patria contendant. Templum ei,tota Si-
cilia maximum,& cœnobium illi coniūctum,ab Angerio Catanæ vrbis Epiſcopo conditum eſt,prout marmorea ta-
bula,ad ſeptentrionalem ædis portam infixa,has maiuſculas inſcripta demonſtrat: Anno ab incarnatione Domini
1094.ind.primæ, Vrbano ſecundo Papa Romæ,Philippo Rege Franciæ,Rogerio Guiſcardi Ducis filio , Duce Italiæ
Rogerio quoque fratre ipſius Guiſcardi,Comite totius Siciliæ,ac calabriæ Domino,Angerius Catanæ Abbatiæ E-
piſcopus,cæpi hoc ædificare monaſterium,& ad finem vſque compleui,adiuuāte Domino noſtro Ieſu Chriſto, huc-
uſque inſcriptio.Rogerus etenim Normanus Siciliæ comes,poſt exactos Sicilia Sarracenos , Catana Epiſcopali ſede
ornata,& cœnobio ordinis D.Benedicti,in eadem æde conſtituto,Angerium,cœnobii Abbatem, ſimul & vrbis E-
piſcopum inſtituit,cui Catanam vrbem,Aetnam montem,atque Acim opidum,dono perpetuò obtinenda dedit,re-
ſeruato ſibi pro cenſu annuo,vini cyatho & pane:vt in eius diplomate dato Catanæ,anno ſalut. 1092. videre eſt , Vr-
bano Secundo Romano Pontifice,id confirmante;vt in eius priuilegio dato Anaginæ , 7. Id. Mart. anno ſalut. 1092]
conſtat.Nicolaus cognomento Todiſcus,Catanenſis fuit.Is,Iuris Pontificij ſcientia,ſua ætate,nemini ſecundus , Ab-
bas vulgò dictus eſt:quod Abbas erat monaſterij S.Mariæ cognomento Maniacis,ad radices montis Aetnæ ſiti. 8. p.
m.à Randatio ad Occidentem diſtantis. Nec multo poſt,ad Panormitanum Archiepiſcopatum ab Eugenio quarto,
Romanæ ſedis Pontifice,per Alfonſi Arragonum & Siciliæ Regis interceſſionem ſuffectus,poſtremo ſedis Apoſtoli-
cæ Senatui cardinalis adſcitus eſt.Bononiæ & Senis inſtituendę iuuentuti operam dedit.In totum penè Ius Pontifi-
cium erudititiſſima edidit commentaria,quę à peritis maximo in precio habentur.Hic in concilio Baſilienſi anno ſa-
lut.1440.conſilio,doctrina,atque authoritate,cæteris omnibus præſtitit.Galeatius ſiue Galeotus Bardaſinus,
ætate ſuperiori,Catanæ oritur.Is ſingularibus naturæ incrementis euectus,admirabili corpo-
ris magnitudine,eò proceritatis exceſſerat,vt communem hominum ſtaturam
verticesque humeris ſuperaret. De cuius ſtupenda fortitudine,
plura in Indice ſtudioſus lector
inueniet.



QVINTI VRBIVM THEATRI INDEX.

A

B

a



C.

DE CALETI ET GVINAE EXPVGNATIONE MICHAELIS HOſpitalis carmen.

SIc mutat fortuna vices, & ludit atrocem
More ſuo ludum, hunc his nunc æquior illis.
Nos adeò fuſi & magno certamine victi
Nuper ab Hiſpanis, fortes modo vicimus Anglos.
Ereptas patribus tandemq; recepimus vrbes:
Oceano in medio iuſſis regnare Britannis
Illi cum lacrymis Terra ceſſere, retenta
Poſſeſſaq; ſuis atauis iam tempore longo.
Namq; erat in fatis rediturum haud ante Caletum
Ad veteres dominos, quam ſe regina marito
Traderet externo veterumq; propagine Regum
Poſthabita, nouus hic ſuccederet aduena regnis.
Ipſe Valeſina venturum è ſtirpe nepotem,
Merlinus vates multò prædixerat ante.
Sanguinis vltorem noſtri, cladiſque futurum,
Creſciaca, cecidit qua Francia pene iuuentus
Omnis, & extincta ſunt longa in tempora vires:
Non magis ille ſuis (quanquam veriſſimus auctor)
Creditus eſt, Troiæ Priami quam filia regis.
Quin etiam tantum his animi victoria duplex
Addiderat, tantus noſtri contemptus, vt arcis
In foribus ſummis legeretur marmore duro
Inciſum carmen (valet id ſermone Latino)
TVM DEMVM FRANCVS PREMET OBSIDIONE CALETVM
CVM FERRVM PLVMBVMVE NATABIT SVBERIS INSTAR.
Barbara vox, ſupraq; hominum fiducia morem.
Sed neque tot circumducta, fuſæq; paludes
Totq; obiecta vias paſſim caſtella par omneis
Præſidijs inſeſſa virum, potuêre morari
Noſtrorum turmas equitum, peditumq; cohortes.
Ipſe feros ſecum diuerſis partibus orbis
Adductos rapiens comites, ſublimis in alto
Loarenus equo, prius eſt conſpectus ad vrbem
Deſignare locum caſtris & cingere vallo,
Quam miſeri ciues illum potuiſſe putarent
Anguſtos aditus arctoſq; euadere calles.
Hic labor exoriturq; nouus, maiorq; priore.
Murus erat latere è cocto firmiſſimus, alta
Incinctus foſſa, verùm poſt aggere nullo
Subnixus, lapidis iactu vix æquore diſtans:
In medio littus, Nerei quod protulit vnda,
Bisq; die refluo terris illabitur æſtu.
Tum me ludentem nemo, conchaſve legentem.
Viderit. at ſiccam poſtquam mare liquit arenam
Diſcedens, pedibus tamen hic conſiſtitur ægrè,
Nec patiens onerum locus eſt: & ſæpius altè
Subſidet, iniectoq; fatiſcit pondere tellus.
Hac regione, leui ſubiectis cratibus aluo,
Exponenda fuit tamen omnis machina belli,
Ingens præterea ſuſpectuq; ardua turris
Miſſilibus portumq; globis, litusq; premebat.
Omnia quæ tam multa ferox incommoda noſtri
Miles, & vnius vicit ducis inclyta virtus.
Expugnata prius turris: mox Regia muro
Iuncta domus, primos aditus patefecit in vrbem.
Armatis data pax & inermibus: vrbe relicta
Illæſi ciues alio concedere iuſſi.
At tu Guina ferox hominis clementis, & æqui
Audires potius leges, & mollia iuſſa,
Quam rex experiare manu quid poſſit & armis.
Non tua nunc euerſa, ſoloq; æquata iacerent
Mœnia: non domibus lapſis inducat aratrum
Agricola, inq; nouo ſemen eem præparet aruo.
Quis furor, aut quænam rabies hæc, ſtrage virorum,
Non contenta, ſimul niſi tantas hauriat vrbes,
Integraq; addictis cum ciuibus oppida ſacret
Dijs Erebi? Nuper Teruenam vidimus vrbem
In Morinis, Edniq; ſuperbam vidimus arcem.
Vix in vtriſq; locis hodie veſtigia parent
Tectorum, quæ ſint fortaſſis in hoſte ferenda,
Id verò, manibus proprijs ſua mœnia ciues
Deijcere, incenſaſq; faces ſupponere tectis,
Parcere nec patriæ, victor cui parceret hoſtis,
Quale fuiſſe putas, hominum magis anne ferarum?
Sed noſtris ducibus præclaro munere Diuûm
Intentata prius cœlo victoria venit,
Cum mare, cum glacialis hyems, & cùm vetus vrbis
Gloria, cumq; recens aduerſa infamia pugnæ,
Et nimium Fortuna diu contraria poſſent
Talibus audaces quamuis abducere cœptis:
Mens Errice tamen ſemper tibi conſtitit vna.
Te ſolum referunt animos firmaſſe tuorum,
Scilicet vt Regum cœleſti numine mentes
Impelliq; trahiq; Deis quocunque videtur,
Et quo mortales nequeunt pertingere ſenſus,
Addiſcant homines mirari, cur ita fiant
Plurima ſactorumq; abſiſtant quærere cauſas.
Ac Deus is quicunq; tibi fuit iſtius author
Conſilij, monſtrauit iter, ducibusq; præiuit
Idem Erricce tuis, donec res ordine geſta eſt.
Idem, multorum cùm poſceret æra dierum
Miles inops, & ſigna ſequi ſe poſſe negaret,
Exhauſto penitus belli per tempora fiſco:
Hunc animum in patriam dedit, hanc tibi Carole mentem
Vt tu vas, ſponſorq; rei communis, in vrbe
Pariſia, biduo omne bonis à ciuibus aurum
Acciperes; quæ mox diuiſa pecunia fratri
Morigeros comites, & ad omnia iuſſa paratos
Reddidit. His opibus pulſi ceſſere Britanni
Littoribus noſtris maria vltra cærula Ponti.
Quas, ergo, tot opumq; Deo tantaque datori
Lætitiæ. nobis fas eſt perſoluere grates?
An delecta boum pecudum vel corpora centum
Illius ante pias grati mactabimus aras?
An lætum Pæana canemus, Ioque triumphe?
Quodque ſolet dici victorum carmen honori?
Vſurpata malis cultoribus iſta Deorum.
Nos hanc gloriolam potius, laudemq; ſinamus
Inuicto fortique Deo; turgentia Regum
Colla ſuperborum qui proterit, & pede calcat;
Subiectos, humileſq;, ipſique accepta ferenteis
Omnia, tollit humo ſupera ad conuexa polorum.
Qui nos ſucceſſu nimio, rebusq; ſecundis
Inflatos, ideo caſtigat more paterno,
Caſibus exercens varijs, ne noſtra putemus
Quæ nos ille frui ſecura mente ſinebat:
Vt rerum & columen noſtrarum, ſpemq; ſalutis,
Priuati, Regeſq; Deo ponamus in vno:
Nec fracti nimium, dura cum ſorte grauamur:
Nec rurſum elati veniunt cum proſpera nobis.

Gadi-

H.

33 HELSINGORVM. Daniæ opidum insigni Emporio & Telonio ad Fretum Danicum, Orsundt, nobile, vbi ad latus maritimum explendescit Croneburgum, castrum munitissimum, & inexpugnabile: Arx sanè magnificentissima, ex lateritia facta marmorea, sumptibus maximis Friderici II. quadrati lapidis artificiosa, compage congesta, & mirabili structura absoluta, 1584. Primùm enim molem lapideam, in ipso littore, ante arcem coaceruari iussit: qua trabibus maximi roboris contextis, sudibusque transuersis, & crातibus firmissimis connexis corroboratam, fluctibus opponi fecit: cui Saxa immensi ponderis alia, super alijs grandioribus, ad stabiliendum operis pulcherrimi fundamen iniecta sunt: ne vt antea opificum incuria, vndarumq; frequentissimis, & violentissimis latratibus lambentibus, id dehiscat, & fatiscat.

Habet hoc castellum aliud in aduersa RIPA SCANIAE, quod ELTZEBVRGVM appellant. Vtroque sanè bellicarum machinarum vis ingens, hinc, & illinc, ad concutiendum naues furtim, & sine venia præternauigare, debitumque portorium subtrahere conantes, locata.

Nam hoc in loco, naturæ beneficio, ad id præparatio, pro mercibus vltrò citroque exportandis, rursumque inuehendis, alioue transuehendis (si modo quis nauigationem institutam securà absoluere velit) reddenda erit ratio. Quis secus faxit, capitale esto: Et bona quantacunque fuerint superacta confiscantor.

Velificantes igitur dorsumque angusti maris, hac calcantes, quocunque soluerint siue in LVSITANOS, vel HISPANOS, GALLOS, BRITANNOS, vel quaqua versum, cursum direxerint, angustas Porthmi fauces, vtrumque castellum interlabentes intrare coguntur. Et portorium salis, vini, aliarumque mercium pretiosissimarum carbasis diductis, pendere tenentur. Quibus dimissis, mox alij onustiores rationem redditurі, caternatim commeant: & voluntatem regis Daniæ præstolari tenentur. Idque bono iure, quod pro ipsorum salute, transituq; securo regia classis, perpetuis sumptibus instruatur, & triremes per æquora traducantur, vt quicquid piratarum inuestigetur, capiatur, crucique adiudicetur. Ne spoliorum lucris gustatis, inducti, prædæque dulcedine illecti maius in posterum facinus tentent, quamplure sque innocenter trucident, neue impunitatis spe, huius pelagi portibus tanquam receptaculo, sentina piratica abdita delitescat, incautisque insidias locet.

Ita beneficio Neptuni Danici, mare purgantis, neminemque prædonum elabi permittentis, tuto omnibus, sine seruitutis & mortis periculo transmittentibus, saluus conductus, quo volent, patet. Siquidem opem suam, contrà piratarum impios ausus implorantibus, promptissimè communicat, & negociatoribus tutissimum maris vsum conseruando, vnicuilibet terræ suos ciues saluos reddit. Quanquam verò Dania, neque aureas venas, neque vineta, quibus glorietur, natura habeat: vt Arabiæ, Hispaniæ, Vngariæ, Italiæ, & Germaniæ hoc modo conferri possit: profert tamen, prȩter alias fodinas medallicas, suas amplissimas opes: & reuera hoc maris Balthici ostio vinifera, & aurifera est: tam vinifluum mare, quam in aureum flumen possidens. Cuius anniuersarijs reditibus immensis, Regiȩ Gazæ, opesque excrescentes, Hermo, Tago, Pactolo & Rheno non cedant.

7 HISPALIS, eius Hispaniæ Prouinciæ Metropolis, quæ cunctas diuite cultu, & quodam fertili, ac peculiari nitore præcedit, Bæticam veteres à Bæti fluuio, Recentiores VVandalusiam, à VVandalis, eam posteriore seculo occupantibus vocarunt. Quæ quidem Hispalensis vrbs omnium totius Hispaniæ vrbium ornatissima, cultu, & elegantia ciuium, & quodam priuato, & quasi natiuo splendore, nulli totius orbis secunda: pietas in ea, & bonarum artium studia, & nobilitatis exercitamenta apprimè florent: diuitiæ etiam, & opes, quantas nulli vnquam Regno aut Imperio quamuis excellenti, nisi vni forsan Romano, contigisse legimus, in eam congestæ sunt. Ipsa enim omnium Europæ vrbium opulentissima, quas ab altero penè terrarum orbe, quem prima aperuit, immensas, nec vllis prius sæculis auditas diuitias accepit, In vniuersum Christianum orbem largè diffundit, ac ipsos etiam Barbaros, qui penitiora Asiæ atque Africæ Regna colunt, abundè locupletat centum, & amplius auri milliones per aliquot annos in Basilica Indici commercij commentarios, bona fide relatos, constat, & hinc æstimare liceat, tantundem certè à vectoribus occultatum, ne Rex ad tempus mutuetur, timentibus: quid si infinitam, & penè incredibilem opum vim expendamus, quæ ad hæc tempora à principio Melanticæ nauigationis eò conuecta est, binis classibus quotannis non alio mercium genere, quam auro & argento onustis, & eo plerumque saburratis ad nos redeuntibus? Sed hæc peregrina, & aduenticia quisquã dixerit: porrò, proprijs diuitijs adeò pollens est, vt Regi suo, cuius nomini ac maiestati deuotissima est, sesquimillionem aureorum in singulos annos obsequij, & vectigalium ergò, libentissimè reddat: quantum multi Principes ex integris Regnis corradere vix possunt. Versantur ibi hospitium & aduenarum, mercimonij causa innumerabiles turbæ, ac præter hos, censa sunt in ea, à proximis annis viginti quatuor ciuium millia priuatas domos aut domicilia habentium in viginti octo tribus diuisa, quarum prima D. Mariæ titulo, & fano insignis est, & nullum habet Christianus orbis excellentius, si operis amplitudinem & maiestatem, sacra quadam hilaritate, & pulchritudine venerabilem, & turrim summæ celsitudinis, è qua statas horas signum datur, editissimo & operosissimo fastigio admirabilem spectes, vnde in vniuersam vrbem & latissimè circumiacentes campos, iucundissimus prospectus est. Quid Regiæ arcis ornamenta verè Regia describam? qua nullam elegantioris structuræ, aut gratioris voluptatis Hispani Reges habent, quid præterea sumptuosa Ducum, Comitumque, & illustrium procerum palatia; quid amœnissimis fontibus & viretis ornatas ciuium ædes memorem? prætereo antiquos aquarum riuos, longè per arcus, in varias vrbis regiones deriuatos & recentiores S.P.Q.H. ingenti sumptu & industria ad Herculanas, quas vulgò vocant, columnas deductos, & publicæ voluptati dicatos, palustri, & vliginosa vastissimæ amplitudinis area, consitis arboribus, in pulcherrimum viridarium reformata, & latissimis spatijs

49 PRAGA, Regno Boemiæ, Metropolis, Bubienum, & Marobuldum, Auentino, Casturgis Ptolomeo dicitur. De qua in ipso opere plura, quæ verò ibi ob loci angustiam omisimus, hæc sunt. Non longè à Cathedrali Pragensi, templo, versus oriente solem, situm est Monasterium Deo dicatarum virginum, toto regno vetustissimum. Nam à Duce Vratislao, S. Vinceslai patre erectum est: Diuo Georgio sacrum, in quo templo ipse Vratislaus, cum matre sua S. Ludmilla, & nepote Bohuslao Pio quiescit: Sacerdos hic cœnobio præfecta, pastorali baculo vtitur, & principis defungitur honore, quin etiam ipsius præsidentia requiritur, in coronanda Regina. Est & ab alia arcis huius templi parte aliquando remotius monasterium vulgò Strahoro, aliàs, mós Syon, dictum, quod iuxta ipsa vrbis mœnia, in admodum arduo colle, Petrzin dicto: ædificatum, sepultura Vratislai primi Bohemiæ Regis, qui ipsum condidit, celebre est & clarum: Nec silentio prætereundus est Regius hortus amœnissimus, iuxta fossam arcis altissimam situs: varijs arboribus ac stirpibus, non tantum domesticis, sed & peregrinis, & Italia, Hispania, & alijs longinquis regionibus huc allatis & plantatis instructissimus; op reque topiario fragrantissimus. Hic videas mala Punica, Citria, Limonia, Aurantia, non infeliciter prouenire, olera, & herbas exurgere intra laminas ferreas, instar literarum formatas, & apto contextu orationem dominicā exprimentes. In hoc horto aluntur Leones, intra ligneos cancellos inclusi, necnon mirandum ex India animal, quo anteriore parte ceruam, reliquo corpore camelum mentitur, adeo vt clarissimus Dominus Andreas Mattheolus græca voce Ελαφοκάμηλον rectè appellari posse testatur. In penitiore huius viridarij secessu, habetur domus elegantissima saxea, ad refectionem, deambulationem, & omne prospectum concinnatissima: nam duos habet ambitus, inferiorem, & superiorē. Inferior est porticus, columnis teretibus æquali interstitio, circumquaque positis. Superior est subdialis; cuius extremitates sunt continua series lapidum, in quibus variæ imagines, ex veteribus historijs & Poetis artificiosissimè excisæ, iucundissimum præbet spectaculum. Ab hoc horto, vnius stadij interstitio extat viuarium Regium, muris longo circuitu septum, sed non est conferendum ad nouum illud, quod Serenissimus Archidux Ferdinandus quatuor à Pragēsi Castro stadijs dissitum condidit, & spatiosissimo murorum ambitu cinxit, in cuius meditullio magnificentissimum, cultissimùmque stat palatium, ad figuram stellæ fabricatum, vnde ei nomen datum. Pauimentum habet ex marmore tessellato, nitidissimum & conclauia multa picturis elegantissimis ornata. Quin etiam & illud, Pragensium ornamentis adnumerandum est, quod Collegium Societatis Iesu, habeant, institutum à Ferdinando Cæsare, qui pietatis & eruditionis fructu ex eiusdem Societatis Collegio Viennensi, promanante commotus, etiam Pragense instituit & dotauit, cuius prima initia & fundamenta iecit D. Petrus Canisius, eximius Societatis Iesu Theologus. Varios huius vrbis fortunæ conditiones & casus, quos temporis successu, sub Regibus, Principibusque diuersis pertulit, breuitatis causa omitto. Eos Georgius Handschius à Limoso ex Pragensium Annalibus, ex quibus & hanc descriptionem excerpsimus, admodum diligenter collegit.

Multa denique sunt alia, & quidem præstantia Pragensis vrbis ornamenta, quæ iusto & peculiari libro commemorari possent. Verùm diuersi & afflictissimi tantæ vrbis casus ostenderunt, nihil esse sub sole perpetuum, Regna, communitates, & vrbes certa habere fata, quorum dum puncta attingunt, iusto permittente Deo, ne sapientiæ innitantur humanæ, & proprijs confidant viribus, inexpectatis casibus sepè corruunt. Hoc Pragæ in vnius veræ ac auctæ Religionis professione sub Regum obedientia florenti, tum primùm accidit, quando fatale vrbium ac Politiarum malum, hæresis, eam inuasit. Et Calixtinorum seu Taboritarum occupauit studium: per quod funesta contentione scissum est & inflammatum vulgus, vt non tantum Pragæ, sed ne in toto quidem Regno vix vllum monasterium integrum reliquerit. Adeò enim Apostatarum linguæ imprudentem plebem ad conatum suum rapiebant, & effreni audacia, conflato exercitu Magistratum mutarint, excludendes ab officijs & dignitatibus bonos, ac spectatæ & antiquæ probitatis viros, alios ære mulctarint, alios patrium solum vertere coegerint, homines plebeios & inopes, eorum loco substituerint, qui carbones minæris conflandis ad officinas suppeditare solebant. Qui inde calicis, & nouæ religionis prætextu, rapto viuere, quàm labori operam dare malebant. Quàm quidem ferentem seditionem continuatam optabant, ne nouis dignitatibus exuti, vel ad laqueum, vel absoluta remitterentur officia. Ab his, vt quicquid veteris Catholicæ Religionis Pragæ supererat, totum exploderetur, Religionis cardines ac vincula dissoluerentur, & exterminarunt. Vt sunt sacrorum ministri, & humaniora atque Theolohica studia. Itaque Vniuersitatem turbarunt, Monachos & Religiosos omnes trucidarunt, vtramque Nouæ, ac veteris Pragæ Curiam, multorum Senatorum sanguine consperserunt: nec ipsi quoque Regi pepercerunt, quem telis, saxis, veneno impetiuerunt. Monasteriorum bonis ac possessionibus direptis, ignem ædificijs subiecerunt. Monasteria magnifica, Templa miro artificio, & amplitudine commendata, euerterunt ac solo adæquarunt. Quæ quam celebria, quam conspicua Pragæ fuerunt, multorum stupendæ ruinæ, ac rudera manifestè declarant. Atque hunc tantum furorem, cædes, rapinas, incendia, sacrilegia, Apostatæ ac seditionis ministri, Religionis prætextu valebant, vesano populo corpus Dominicum, & calicem præferentes, pro quo solo obtinendo, solliciti, quare hunc passim in parietibus, in vexillis, in templis pingebant, vt haud inscitè quidam adscripserit.

Tot pingit calices Boemorum terra per vrbes,
Vt credas Bacchi numina sola coli.

Hæc paulò fusius à me Thaboritarum occasione, qui magnis cladibus Pragam affecerunt, commemorantur, vt palàm fiat: Regna, Imperia, & vrbes, per veræ Romanæ Religionis immutationem, & peregrinorum dogmatum inuectionem perire. Qua de re vnicam Eusebij Historici sententiam ex libro 10. cap. 7. subijciam. Ex pluribus inquit, rebus apparet, religionem, in qua summa custoditur sanctitatis reuerentia, si extenuetur, magna pericula adferre Rebuspublicis: Ac rursus eandem, si legitimè tractetur, & custodiatur, maximam prosperitatem Romano nomini, & cunctis mortalium rebus præcipuam præstare fœlicitatem.

Q.

R.

ib. Raceburgum, olim, vna religione florente, nobile Saxoniæ oppidum; Cathedrali Ecclesiæ, aræ, & stagno, quod mare appellare posset, præstans, varias formæ conditiones pertulit.

Henrici Berchmieri XXVI. Episcopi Raceburgensis tempore, Magnus Saxoniæ Dux, ditionem omnem inuasit, & occupauit, ita, vt Canonici apud ecclesiam, & in residentia sua permanere non possent: qui post septennium, imperiali auctoritate, tandem in integrum sunt restituti.

Similem rursus calamitatem, sub Georgio de Blomendal XXVIII. Episcopo, ab eodem Saxoniæ Duce, Raceburgensis ditio pertulit.

Tempore Christophori de Schovvenberg XXIX. Episcopi, Volradus, Comes de Mansfeld, Episcopatum Raceburgensem inuasit, Canonicos, quos in residentia inuenit, vinculis constrinxit, omnia Ecclesia ornamenta, ipsas etiam campanas abstulit.

Eandem fortunæ aleam infœlix Raceburgensis Ecclesia Anno 1560. Saxoniæ Duce sentijt. Dum eius administrator Christophorus Megapolitanus in Liuonia abesset.

S.

T


V.

describitur, sed à Dione in Tito fusius enarratur. Accidisse enim ait vehementem illam Vesuuij eruptionem hoc ipso primo anno Titi imperij sub tempus autumni. Plinius Iunior epist. ad Tacitum, Kalendis nouembris hora septima. At, quoniam prodigij loco res est habita, quæ & imaginem quandam præ se ferret diei nouissimæ: eandem recensere, haud inutile arbitramus. sic enim ait; Eo tempore magnus numerus hominum inusitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in eodem monte, regioneque finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu noctuque vagari; versarique in aere visus est. Posthęc consecuta est maxima siccitas, ac repentè, ita graues terrę motus facti, vt ea omnis planities feruida esset, & culmina montium subsiderent. Ad hæc sonitus subterranei, tanquam tonitrua, & super terram mugitibus similes exstiterunt. Deinde mare simul fremere, omne cœlum resonare, ingensq; & repentinus fragor, quasi montes simul cōciderent, axaudiri. Tum exsiliêre primùm immensi lapides, & ad summos vertices peruenêre: deinde magna copia ignis fumique ita, vt omnem aerem obscuraret, occultaretque solem, non aliter, quàm si defecissent.

Igitur nox ex die, & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis, gigantes seditionem inter se facere, quòd multæ imagines eorum in fumo conspicerentur, quodque clangor tubarum audiretur. Alij existimabant, aut mundum in chaos redigi, aut ignę consumi: ob eamque causam properabant alij ex ædibus in vias; alij de vijs, in ædes confugere, atque è mari in continentem, & è continenti in mare se recipere, alij turbari, & quæ nondum venerant, existimare tutiora rebus præsentibus. Tanta verò erat copia cineris, vt terram mareque, atque adeò ipsum aerem compleret; quæ res multa damna, vt cuique sors tulit, imporrauit non solùm hominibus, prædijsque ac pecoribus: Sed etiam pisces volucresque omnes peremit, duasque vrbes, Herculanum & Pompeios, populo sedente in theatro, penitus obruit. Postremò, tantus fuit cinis, vt inde peruenerit in Africam, Syriam & Aegyptum, introieritque Romam eiusque aerem compleuerit, & Solem obscurauerit. Id Romæ accidit paucis post diebus, cum omnes ignorarent id, quod factum erat in Campania, nec quid esset, coniectura assequi possent. Itaque etiam ij putare cęperunt omnia sursum ferri: Solemque in terram cadere, aut terram in cœlum conscendere. Quamquam autem hic cinis, non attulit statim grauia incommoda populo Romano, tamen postea morbum pestilentem & grauem immisit. hucusque Dio.

Hæc autem & alia id genus à Deo viua exempla data esse hominibus ignis æterni, quibus peccantes in inferis punirentur. Tertullianus in primis declarat in Apologetico, cap. 48. his verbis: Nouerunt & philosophi diuersitatem arcani & publici ignis: ita longè alius est, qui vsui humano, alius qui iudicio Dei apparet, siue de cœlo fulmina stringēs siue de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat: adeò manent montes semper ardentes, &, qui de cœlo tangitur saluus est, vt nullo iam igni decinerescat. Et erit testimonium ignis ęterni, hoc exemplum iugis Iudicij pœnam nutrientis. Montes vruntur, & durant, quid nocentes & Dei hostes? hæc Tertullianus. Sed enim Minutius Felix in Octauio, dum de gehennæ ignis incendio, ab his ipsis etiam mutuatus exemplum, verba facit, hæc habet, illic sapiens ignis membra vrit, & reficit, carpit & nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, & absumunt: sicut ignis Aetnæ, & Vesuuij montis & ardentium vbique terrarum, flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Et Pacianus opere de pœnitentia & confessione. Si de cruciatu exomologesis extinguet, vim eius & de præsentibus æstimare cuius fumariola quædam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt: æstuat indefessis flammarum globis Aetna, & Lisimiculus, & Vesuuius Campanus: & quo nobis iudicij perpetuitatem probent, dissiliunt, deuorantur nec vllis tamen sæculis finiuntur.

FINIS.



describitur, sed à Dione in Tito fusius enarratur. Accidisse enim ait vehementem illam Vesuuij eruptionem hoc ipso primo anno Titi imperij sub tempus autumni. Plinius Iunior epist. ad Tacitum, Kalendis nouembris hora septima. At, quoniam prodigij loco res est habita, quæ & imaginem quandam præ se ferret diei nouissimæ: eandem recensere, haud inutile arbitramus. sic enim ait; Eo tempore magnus numerus hominum insitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in eodem monte, regioneque finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu noctuque vagari; versarique in aere visus est. Posthęc consecuta est maxima siccitas, ac repente, ita graues terrę motus facti, vt ea omnis planities feruida esset, & culmina montium subsiderent. Adhæc sonitus subterranei, tanquam tonitrua, & super terram mugitibus similes exstiterunt. Deinde mare simul fremere, omne cœlum resonare, ingensq; & repentinus fragor, quasi montes simul cōciderent, axaudiri. Tum exsiliêre primùm immensi lapides, & ad summos vertices peruenêre: deinde magna copia ignis fumique ita, vt omnem aerem obscuraret, occultaretque solem, non aliter, quàm si defecissent.


Igitur nox ex die, & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis, gigantes seditionem inter se facere, quòd multæ imagines eorum in fumo conspicerentur, quodque clangor tubarum audiretur. Alij existimabant, aut mundum in chaos redigi, aut igne consumi: ob eamque causam properabant alij ex ædibus in vias; alij de vijs, in ædes confugere, atque è mari in continentem, & è continenti in mare se recipere, alij turbari, & quæ nondum venerant, existimare tutiora rebus præsentibus. Tanta verò erat copia cineris, vt terram mareque, atque adeò ipsum aerem compleret; quæ res multa damna, vt cuique sors tulit, importauit non solùm hominibus, prædijsque ac pecoribus: Sed etiam pisces volucresque omnes peremit, duasque vrbes, Herculanum & Pompeios, populo sedente in theatro, penitus obruit. Postremò, tantus fuit cinis, vt inde peruenerit in Africam, Syriam & Aegyptum, introieritque Romam eiusque aerem compleuerit, & Solem obscurauerit. Id Romæ accidit paucis post diebus, cum omnes ignorarent id, quod factum erat in Campania, nec quid esset, coniectura assequi possent. Itaque etiam ij putare cęperunt omnia sursum ferri: Solemque in terram cadere, aut terram in cœlum conscendere. Quamquam autem hic cinis, non attulit statim grauia incommoda populo Romano, tamen postea morbum pestilentem & grauem immisit. hucusque Dio.

Hæc autem & alia id genus à Deo viua exempla d ata esse hominibus ignis æterni, quibus peccantes in inferis punirentur. Tertullianus in primis declarat in Apologetico, cap. 48. his verbis: Nouerunt & philosophi diuersitatem arcani & publici ignis: ita longè alius est, qui vsui humano, alius qui iudicio Dei apparet, siue de cœlo fulmina stringēs siue de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat: adeò manent montes semper ardentes, &, qui de cœlo tangitur saluus est, vt nullo iam igni decinerescat. Et erit testimonium ignis ęterni, hoc exemplum iugis Iudicij pœnam nutrientis. Montes vruntur, & durant, quid nocentes & Dei hostes? hæc Tertullianus. Sed enim Minutius Felix in Octauio, dum de gehennæ ignis incendio, ab his ipsis etiam mutuatus exemplum, verba facit, hæc habet, illic sapiens ignis membra vrit, & reficit, carpit & nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, & absumunt: sicut ignis Aetnæ, & Vesuuij montis & ardentium vbique terrarum, flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Et Pacianus opere de pœnitentia & confessione. Si de cruciatu exomologesis extinguet, vim eius & de præsentibus æstimare cuius fumariola quædam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt: æstuat indefessis flammarum globis Aetna, & Lisaniculus, & Vesuuius Campanus: & quo nobis iudicij perpetuitatem probent, dissiliunt, deuorantur nec vllis tamen sæculis finiuntur.

VV.

X.

Z.



FINIS.

